9
12-b
33

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 I
15

IV-22

9-12.b.33

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPUTATIONES
HISTORICÆ
VIGINTI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISPUTATIONES HISTORICÆ AD VITAS PONTIFICUM ROMANORUM

AB ANTONIO SANDINO

Conſcriptæ, ejuſque poſtumis curis retractatæ atque auctæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



FERRARIÆ. MDCCLV.

Impenſis Jo: Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SANCTI VERONESIO

Patricio Veneto, Abbati Commendatario Monaſterii S. Andreæ de Carmignano, Canonico Patavino, Cimeliarchæ, & Vicario Generali

ANTONIUS SANDINUS.

F.

HIſtoriam Apoſtolorum, & Pontificum Romanorum Illuſtriſſimo ac Reverendiſs. Epiſcopo noſtro Joanni Minotto-Ottobono dicatam, ejuſque nomine ornatam haud ita pridem emiſi. Emitto nunc Diſputationes nonnullas Pontificali Hiſtoriæ illuſtrandæ inſervientes, quas cui-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nam potius commendem, quam Tibi, qui ejuſdem Ampliſſimi Præſulis tanta cum laude vicem & locum ſupples, plane non video. Id tanto libentius facio, quod duos eodem tempore Patronos libello adſciſco, cum mihi ad præſidium appellare Vicarium non poſſim, quin tacito ſaltem ſenſu Epiſcopum ipſum appellem. Continet autem libellus tractatos quidem ab aliis locos: ſed *utile eſt*, ait Auguſtinus, *libros plures a pluribus fieri diverſo ſtylo, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic*. (1) Quod legens ego ſumſi animos, & de iis, quæ ſunt etiam ab aliis diſputata, conatus ſum novo quodam modo diſputationem inſtituere, ac identidem verbis ipſis Auctorum graviſſimo-
rum

(1) Lib. I. De Trinitate cap. 3. §. 5. pag. 752. tom. 8.

rum *ut tarditatem ingenii, lectionis diligentia compenſarem*. (2) Num id, quod erat in animo, præſtiterim, Tu judicabis, Vir Sapientiſſime, qui veriſſimum rerum hujuſmodi judicium habes. Conatum ſi probaveris, non dubito, quin probaturi ſint omnes, qui recte ſapiunt. Nota enim omnibus recte ſapientibus doctrina, prudentia, ſapientia tua, cognita illi in primis arque perſpecta, qui Te Vicarium habere voluit diligentiæ ſuæ. Quam ſane præſtas integritate tanta, tantaque attentione animi, vigilantia, gravitate, & conſtantia, ut omnibus pateat ſapientia ejus, qui Tibi munus impoſuit, Teque in partem atque conſortium laboris aſſumſit. Tanti Præſulis vices gerens in adminiſtranda Diæceſi longe lateque porrecta, geres etiam in hoc libello

(2) S. Hieronymus Epiſt. 84. alias 65. §. 3.

humaniter excipiendo: & qua illle benignitate Apoſtolicam, & Pontificiam Hiſtoriam ſuſcepit, eadem Tu iſtas diſputatiunculas amplecteris. Excipe igitur benigne libellum Tuo nomini inſcriptum, & fove patrocinio, quo fretus publicam lucem alacriter aſpiciat atque ſuſtineat. Vale.

AD

AD LECTOREM.

QUæ ſuperioribus annis mihi elapſæ ſunt Diſſertationes duodecim, ex Eccleſiaſtica Hiſtoria depromtæ, eaſdem nunc retractatiores ac pæne refectas, aliiſque ejuſdem generis diſputationibus cumulatas emitto. Spectant enim ad Vitas Pontificum Romanorum, quas ex antiquis monumentis deſcripſi, illuſtrandas. Ut autem in Vitis exponendis; ſic in iſtis Diſputationibus concinnandis utor ſæpe verbis Scriptorum veterum ac novorum. Verba namque deſumta ex antiquis Patribus, ac viris probatiſſimis, qui ſunt paullulum tempore noſtro ſuperiores, & ſanctiorem faciunt ſermonem, & credibiliorem, lucemque afferunt iis, quæ Scriptores diverſis opinionibus pertinaciter tuendis involverunt. De hiſce autem Diſputationibus eo mihi ordine explicandum cenſui, quo eaſdem tetigi, dum Pontificum Vitas perſtringerem. Non profero ignota indictaque primus, imo nonnulla ab aliis fuſius diſpu-

Digitized by Google

tata in medium voco, *eo tamen modo ac ratione*, *ut* dicam nove, etſi non dicam nova. (1) *Quamquam illud profecto erit omnino novum, quod ab eruditiſſimis Viris interdum diſſentiens, eorum nonnullos ſua doctrina ſuiſque verbis plerumque refello, ex quo appareat, eoſdem ſibi non ſatis conſtare, & Criticæ regulas ad commodum & arbitrium ſequi. Quare ſi ab iis, qui nihil niſi plane novum & inauditum probare ſolent, laudem mihi ſperare non licet, nullam certe me apud illos vituperationem ſubiturum eſſe confido. Quippe* res ardua vetuſtis novitatem dare. Itaque etiam non aſſecutis voluiſſe, abunde pulcrum atque magnificum eſt. (2) *Ego quidem conatus ſum novi aliquid ex vetuſtis efficere. Quantum conſecutus fuerim, malo eos, qui patienter legent, judicare, curæ apud eoſdem ac laboris teſtimonium meruiſſe contentus. Accede igitur libens, nec tantulum libellum contemne, in quo, ut ſpero, nihil deſiderabis eorum, quæ magnis voluminibus continentur. Vale.*

(1) Lirinenſis in Commonitorio, extremo cap. 27.
(2) Plinius in Præfatione Hiſtoriæ Naturalis.

PRÆ-

PRÆCIPUI AUCTORES

Qui Symbolam contulerunt.

A

ABulpharagius *Georgius*. Hiſtoria Orientalis, ſive Dynaſtiarum interprete Pocockio. *Oxoniæ 1663. in 4.*
Alemannus *Nicolaus*, De Lateranenſibus Parietinis. *Exſt.* in Theſauro Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ *tom. 8. part. 4.*
Alexander *Natalis*. Hiſtoria Eccleſiaſtica. *Pariſiis 1714. in fol.*
Ambroſius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis 1686. in fol.*
Anaſtaſius Bibliothecarius. Vitæ Romanorum Pontificum cum notis variorum. *Romæ 1718. 1728. in fol.*
Anſelmus Cantuarienſis S. Opera ſtudio Gabrielis Gerberon. *Lutetiæ 1721. in fol.*
Aquinas *Thomas* S. Summa Theologica notis hiſtoricis & dogmaticis illuſtrata per Joannem Nicolai. *Lugduni 1686. in fol.*
-- Opera omnia. *Romæ 1570. in fol.*
Arnobius. Adverſus Gentes. *Lugd. Bat. 1651. in 4.*
Athanaſius S. Opera GL. ſtudio Monachorum. *Pariſiis 1698. in fol.*
Auguſtinus Aurelius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis 1679. in fol.*

B

BAluzius. *Stephanus*. Collectio nova Conciliorum. *Pariſiis 1707. in fol.*
Baronius *Cæſar*. Annales Eccleſiaſtici. *Coloniæ 1609. in fol.*
-- Martyrologium Romanum illuſtratum. *Romæ 1586. in fol.*
Baſnagius *Samuel*. Annales Politico-Eccleſiaſtici. *Roterodami 1706. in fol.*
Beda Venerabilis. Opera. *Coloniæ 1683. in fol.*
Bellarminus *Robertus*. Opera. *Venetiis 1721. in fol.*
Bernardus S. Opera. *Pariſiis 1719. in fol.*
Bibliotheca Maxima veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum. *Lugduni 1677. in fol.*
Bollandus *Joannes*. Acta Sanctorum. *Antuerpiæ 1643. in fol.* Et *Venetiis 1734. in fol.*

Bo-

Bona *Joan. Cardinalis*. Opera omnia. *Antuerpiæ 1692. in fol.*
Bzovius *Abrahamus*. Continuatio Annalium Baronii. *Coloniæ 1616. in fol.*

C

CAbaſſutius *Joannes*. Notitia Conciliorum. *Lugduni 1670: in 8.*
Calmet *Auguſtin*. Commentaire ſur les livres de l' Ancien & du Nouveau Teſtament. *A Paris 1724. fol.*
Caniſius *Henricus*. Theſaurus monumentorum Eccleſiaſticorum, & Hiſtoricorum, ſive Lectiones antiquæ auctæ a Jac. Baſnage. *Amſtel. 1725. in fol.*
Cedrenus *Georgius*. Compendium Hiſtoriarum GL. *Venetiis 1729. in fol.*
Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum GL. ſtudio Caroli du Freſne. *Venetiis 1729. in fol.*
Chryſoſtomus *Joannes* S. Opera GL. ſtudio Bernardi de Montfaucon. *Pariſiis 1718. in fol.*
Ciampinus *Joannes*. De perpetuo Azymorum uſu in Eccleſia Latina. *Romæ 168?. in 4.*
Clemens Alexandrinus. Opera GL. ſtudio Federici Sylburgii. *Coloniæ 1688. in fol.*
Cointe *Carolus le*. Annales Eccleſiaſtici Francorum. *Pariſiis 1666. in fol.*
Cotelerius *Joan. Baptiſta*. SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, opera illuſtrata. *Amſtelædami 1724. in fol.*
Cyprianus *Cæcilius* S. Opera recognita & illuſtrata a Baluzio & Monacho S. Mauri. *Venetiis 1728. in fol.*
-- Recognita & illuſtrata a Joanne Fello; accedunt Annales Cyprianici Pearſonii, & Diſſertationes Cyprianicæ Dodvvelli. *Amſtel. 1700. in fol.*

D

DAcherius *Lucas*. Spicilegium veterum Scriptorum. *Pariſiis 1723. in fol.*
Damaſcenus *Joannes* S. Opera GL. ſtudio Michaelis Lequien. *Pariſiis 1712. in fol.*
-- Et interprete *Jacobo Billio*. *Ibid. 1577. in fol.*
Dodvvellus *Henricus*. Diſſertationes Cyprianicæ præpoſitæ S. Cypriano Joannis Felli.
Ducangius *Carolus*. Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. Editio nova ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis 1733. in fol.*

Du-

Ducheſnius *Andreas*. Hiſtoriæ Francorum Scriptores coætanei. *Lutetiæ 1636. in fol.*
Dupin *Ludovicus Ellies*. Nouvelle Bibliotheque des auteurs Eccleſiaſtiques. *A Paris 1690. in 4.*

E

EGinhargus. De vita & geſtis Caroli Magni. *Trajecti ad Rhenum 1711. in 4.*
Epiphanius S. Opera GL. illuſtrata a Petavio. *Pariſiis 1622. in fol.*
Eſtius *Gulielmus*. Commentaria in Epiſtolas D. Pauli. *Coloniæ 1631. in fol.*
-- In quatuor libros Sententiarum. *Neapoli 1720. in fol.*
Euchologium, ſive Rituale Græcorum illuſtratum a Jacobo Goar. *Venetiis 1730. in fol.*
Euſebius. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis 1678. in fol.*
-- Et Joanne Chriſtophorſono interprete. *Coloniæ 1570. in fol.*
-- Demonſtratio Evangelica GL. cum interpretatione & notis R. M. *Coloniæ 1688. in fol.*
Eutropius *Flavius*. Hiſtoriæ Romanæ Breviarium. *Oxonii 1703. in 8.*
Eymericus *Nicolaus*. Directorium Inquiſitorum. *Romæ 1587. in fol.*

F

FAbricius *Joannes Albertus*. Bibliotheca Eccleſiaſtica. *Hamburgi 1718. in fol.*
-- Bibliotheca Latina. *Ibid. 1721. in 8.*
Florentinius *Franc. Maria*. In Martyrologium Hieronymianum. *Lucæ 1668. in fol.*
Fontaninus *Juſtus*. Vindiciæ antiquorum diplomatum. *Romæ 1705. in 4.*
-- De Antiquitatibus Hortæ. *Ibid. 1723. in 4.*
-- Summum Imperium Sedis Apoſtolicæ in Comaclum Italice editum. *Romæ 1709. & 1711. in fol.*
Freherus *Marquardus*. Rerum Germanicarum Scriptores. *Argentorati 1717. in fol.*
Friſingenſis *Otto*. Chronicon. *Baſileæ 1569. in fol.*

G

GAlanus *Clemens*. Conciliatio Eccleſiæ Armenæ cum Romana. *Romæ 1650. in fol.*

Ge-

Gelaſius Cyzicenus. Hiſtoria Concilii Nicæni. *Exſt.* in Conciliis Labbei *tom.* 2. *pag.* 103. & Harduini tom. 1. pag. 346.
Georgius Chriſtianus Joannis. Scriptores rerum Moguntiacarum. *Francofurti ad Mœnum* 1722. *in fol.*
Gotti *Ludovico* (ora Cardinale) La Vera Chieſa. *Bologna* 1719. *in* 4.
Gregorius Magnus S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Pariſiis* 1705. *in fol.*

H

Harduinus. *Joannes*. Conciliorum collectio regia maxima. *Pariſiis* 1715. *in fol.*
Hieronymus S. Opera. *Pariſiis* 1643. *in fol.*
Eadem ſtudio Monachorum S. Mauri. *Veronæ* 1734. *in fol.*
Hilarius S. Opera ſtudio Monachorum S. Mauri. *Veronæ* 1738. *in fol.*
Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores ſex. *Lugduni Batavorum* 1671. *in* 8.
Hotmannus Franciſcus. Quæſtiones illuſtres. 1598. *in* 8.
Huetius *Petrus Daniel*. Origeniana præpoſita Origenis commentariis in Sacras Scripturas editis. *Rothomagi* 1668. *in fol.*

I

JOannes Diaconus. Vita S. Gregorii Magni. *Exſt.* tom. 4. Operum S. Gregorii *pag.* 7.
Joſephus Flavius. Opera GL. ſtudio Hauercampi. *Amſtel.* 1726. *in fol.*
Irenæus S. Opera ſtudio Renati Maſſuet Monachi Benedictini. *Pariſiis* 1710. *in fol.*
Juſtinus S. Martyr. Opera GL. ſtudio Federici Sylburgii. *Coloniæ* 1686. *in fol.*

L

LAbbe *Philippus*. Sacroſancta Concilia ad regiam editionem exacta. *Pariſiis* 1672. *in fol.*
Nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum continens Hiſtorias, Chronica &c. *Pariſiis* 1657. *in fol.*
Lactantius Firmianus. Opera cum notis variorum ſtudio Servatii Gallæi. *Lugd. Bat.* 1660. *in* 8.
— De Mortibus perſecutorum cum notis Baluzii, & variorum cura Pauli Bauldri. *Trajecti ad Rhenum* 1693. *in* 8.
Lambertinis *Proſper Cardinalis de*, nunc ſummus Pontifex *Benedictus XIV.* De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione. *Bononiæ* 1734. *in fol.*

Lau-

Launojus *Joannes*. Opera. *Coloniæ* 1731. *in fol.*
Leo Oſtienſis. Chronica Monaſterii Caſinenſis continuata a Petro Diacono. *Exſt.* tom. 4. Scriptor. Rer. Italic. *pag.* 151.
Leo S. Magnus. Opera cum notis & diſſertationibus Paſchaſii Queſnel. *Lugduni* 1700. *in fol.*
Lirinenſis *Vincentius*. Commonitorium cum notis Baluzii. *Exſt.* cum Salviano ejuſdem Baluzii pag. 320. edit. Paris. 1684. in 8.
Lorinus *Joannes*. Comment. in Actus Apoſtolorum. *Coloniæ* 1621. *in fol.*
Lupus *Chriſtianus*. Opera. *Venetiis* 1724. *in fol.*

M

MAbillonius *Joannes*. De re diplomatica. *Pariſiis* 1681. *in fol.*
Muſeum Italicum *Ibid.* 1687. *in* 4.
Vetera Analecta. *Pariſiis* 1723. *in fol.*
-- Diſſertatio De azymo, & fermentato. *Exſt.* in Analectis *pag.* 522.
Macedo *Franciſcus*. Diſquiſitio Theologica De ritu azymi, & fermentati. *Veronæ* 1673. *in* 4.
Marca *Petrus* de. De Concordia Sacerdotii & Imperii ex editione Stephani Baluzii. *Francofurti* 1708. *in fol.*
-- Marca Hiſpanica. *Pariſiis* 1688. *in fol.*
Marie *Honore* de Sainte. Reflexions ſur les Regles, & ſur l' uſage de la Critique. *A Paris* 1713. *in* 4.
Martene *Edemundus*, De antiquis Eccleſiæ ritibus. *Rothomagi* 1700. *in* 4.
Morinus *Joannes*. De ſacris Eccleſiæ Ordinationibus. *Antuerpiæ* 1695. *in fol.*
Muratorius *Ludovicus Antonius*. Rerum Italicarum Scriptores. *Mediolani* 1733. *in fol.*
Antiquitates Italicæ medii Ævi. *Mediolani* 1738. *in fol.*
Anecdota notis & diſquiſitionibus aucta. *Mediolani* 1697. *tom.* 2. *in* 4.
Tom. III. & IV. *Patavii typis Seminarii* 1713. *in* 4.

N

NIcephorus Calliſtus. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. interprete Lango, recognita a Frontone Ducæo. *Lutetiæ* 1630. *in fol.*
Noris *Henricus* Cardinalis de. Opera omnia. *Veronæ* 1729. *in fol.*

Opta-

O

Optatus S. Milevitanus. De Schiſmate Donatiſtarum, ſtudio L. Ellies Dupin. *Lutetiæ* 1700. *in fol.*

Origenes Adamantius. Opera GL. ſtudio Caroli Delarue. *Pariſiis* 1733. *in fol.*

-- Commentaria GL. in Sacram Scripturam cum notis, & Origenianis Huetii. *Rothomagi* 1668. *in fol.*

Oroſius *Paulus*. Hiſtoriarum libri ſeptem, & Apologeticus, ſtudio Hauercampi. *Lugd. Bat. in* 4.

P

Pagi *Antonius*. Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales Baronii. *Antuerpiæ* 1705. *in fol.*

Pagi *Franciſcus*. Breviarium Hiſtorico-Chronologico-Criticum illuſtriora Pontificum Romanorum geſta complectens. *Antuerpiæ* 1717. *in* 4.

Papebrochius *Daniel*. Conatus Chronico-hiſtoricus ad Catalogum Romanorum Pontificum. *Antuerpiæ* 1742. *in fol.*

Paulinus S. *Pontius* Nolanus. Opera ſtudio Joannis Baptiſtæ le Brun. *Pariſiis* 1685. *in* 4.

Paulus Diaconus Aquilejenſis. De geſtis Langobardorum. *Exſt.* tom. 1. Scriptor. Rer. Italic. *pag.* 395.

Pearſon *Joannes*. Opera poſthuma de ſerie & ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum. *Londini* 1688. *in* 4.

Annales Cyprianici. *Exſt.* cum S. Cypriano Joannis Felli.

Vindiciæ Ignatianæ. *Exſt.* cum Patribus Apoſtolicis Cotellerii tom. 2. *pag.* 251.

Petrus Diaconus. Liber quartus Chronici Caſinenſis. *Exſt.* apud Muratorium tom. 4. Scriptor. Rer. Italicarum *pag.* 488.

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Bibliotheca GL. *Rothomagi* 1653. *in fol.*

Piſtorius *Joannes*. Rerum Germanicarum Scriptores. *Ratiſponæ* 1731. *in fol.*

Platina. *Baptiſta*. Hiſtoria De vitis Pontificum Romanorum cum annotationibus & ſupplemento Panvinii. *Lovanii* 1572. *in fol.*

Porphyrogenitus *Conſtantinus*. De adminiſtrando Imperio. *Exſt.* in Antiquitatibus Conſtantinopolitanis Anſelmi Bandurii tom. I. part. 2. pag. 45. edit. Venetæ.

Proſper Aquitanicus S. Opera omnia. *Pariſiis* 1611. *in fol.*

Ro-

R

ROcaberti *Joan. Thomas*. Bibliotheca Maxima Pontificia, *Romæ 1695. in fol.*

Rufinus Aquilejenſis Presbyter. Interpretatio Euſebii. *Baſileæ 1544. in fol.*

Ruinart *Theodoricus*. Acta primorum Martyrum ſelecta cum notis & præfatione contra Dodvvellum de paucitate Martyrum. *Pariſiis 1689. in 4.*

S

SChelſtrate *Emmanuel* a. Antiquitas Eccleſiæ illuſtrata. *Romæ 1692. in fol.*

De Diſciplina Arcani. *Ibid. 1685. in 4.*

Schvvarz *Ignatius*. Collegia Hiſtorica, ſeu Quæſtiones hiſtoricæ Criticæ. *Ingolſtadii 1734. in 12.*

Sfondratus *Cæleſtinus*. Gallia vindicata. *Typis Monaſterii S. Galli 1702. in 4.*

-- Sub nomine *Eugenii Lombardi*. Regale Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum. *Exſt.* in Bibliotheca Rocaberti tom. XI. pag. 307.

Sigonius *Carolus*. De Regno Italiæ. *Venetiis 1581. in fol.*

Sirmondus *Jacobus*. Opera varia. *Venetiis 1728. in fol.*

Socrates Scholaſticus, & Hermias Sozomenus. Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. cum interpretatione ac notis Valeſii. *Pariſiis. 1686. in fol.*

Sulpitius Severus. Opera. *Lipſiæ 1709. in 8.*

T

THeodoretus Cyri Epiſcopus. Opera GL. cura Jacobi Sirmondi. *Lutetiæ 1642. in fol.*

-- Hiſtoria Eccleſiaſtica GL. ex interpretatione Valeſii. *Pariſiis 1673. in fol.*

Theophanes. Chronographia. *Venetiis 1729. in fol.*

Thomaſſinus *Ludovicus*. Vetus & nova Eccleſiæ diſciplina circa Beneficia. *Lugduni 1705. in fol.*

Diſſertationes in Concilia Generalia & Particularia. *Lutetiæ 1667. in 4.*

Tillemont Le Nain *Sebaſtien* de. Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire Eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles. *Paris 1701. in 4.*

Hiſtoire des Empereurs. *Paris 1720. in 4.*

Turonenſis Gregorius S. Opera ſtudio Theodorici Ruinart. *Lutetiæ* 1699. *in fol.*

V

VAn eſpen *Zegerus Bernardus*. Opera Canonica: *Lovanii* 1732. *in fol.*

Volaterranus *Raphael*. Commentarii Urbani: *Baſileæ* 1544. *in fol.*

Walafridus *Strabo*. De rebus Eccleſiaſticis: *Exſt. tom.* 15. Bibl. Patrum *pag.* 181.

Z

ZOnaras *Joannes*: Annales GL. *Venetiis* 1729. *in fol.*

IN-

INDEX
DISPUTATIONUM.

I. DE Petro ſeu Cepha, cui Paulus Antiochiæ in faciem reſtitit. pag. 1
II. De Cathedra D. Petri Antiochena. 17
III. De Cathedra D. Petri Romana. 28
IV. De proximo ſucceſſore D. Petri, & Cleto diverſo ab Anacleto. 41
V. De S. Victore I. minitante anathema Aſianis more Judæorum Paſcha celebrantibus. 50
VI. De primo Imperatore Chriſtiano. 62
VII. De S. Stephano I. baptiſmum hæreticorum approbante. 73
VIII. De Concilio Plenario D. Auguſtini. 87
IX. De Martyrum multitudine in primævis Chriſtianorum perſecutionibus. 102
X. De Azymo Latinorum. 122
XI. De Azymo Græcorum. 139
XII. De baptiſmo Conſtantini Magni Imperatoris. 161
XIII. De Hiſtoria Paphnutii. 179
XIV. De Symbolo, Quicumque. 196
XV. De Monaſtico inſtituto S. Gregorii Magni. 215
XVI. De precibus S. Gregorii Magni pro Trajano. 223
XVII. De S. Gregorio II. contra Leonem Iſaurum. 233
XVIII. De Translatione Regni Francorum auctoritate S. Zachariæ Pontificis. 246
XIX. De falſa Synodo ſub Hadriano I. circa

jus

jus eligendi Romanum Pontificem, & inveſtituras concedendi Epiſcopis, 266.

XX. *De Conſtitutione Ludovici Pii ad S. Paſchalem I.* 277

DIS-

DISPUTATIO I.

De Petro, ſeu Cepha, cui Paulus Antiochiæ in faciem reſtitit.

JAcobus frater Domini initio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ erat Epiſcopus, & Judæis præerat omnibus, qui crediderant. Accidit autem, ut eſſent Antiochiæ quoque Judæi, qui cum Chriſto credidiſſent, eo quod procul abeſſent ab Hieroſolyma, viderentque multos, qui crediderant ex Gentibus, confidenter & abſque Judaicis obſervationibus vivere, ſenſim ac paulatim inducerentur, ut a Judaica conſuetudine abſtinerent, & puram minimeque adulteratam Fidei doctrinam retinerent. Cum ergo deſcendiſſet Petrus, & nullam eſſe condeſcenſionis neceſſitatem videret, gentiliter deinceps vivebat: Hoc autem appellat* gentiliter vivere *Paulus* (1) abſque Judaica vivere obſervatione, *nihil ex illis Legis ritibus cuſtodire, exempli gratia circumciſionem, ſabbatum vel quidpiam ejuſmodi. Cum igitur Petrus ita viveret, deſcenderunt quidam a Jacobo Judæi, hoc eſt ex Hieroſolyma, qui, quod* in

A

(1) In Epiſtola ad Galatas cap. 2., ubi hiſtoriam Petri ab ſe reprehenſi narrat.

in Metropoli ſemper verſati eſſent, neque quemquam vidiſſent ita viventem, adhuc anticipatam illam Judaicam opinionem retinebant, multas ex obſervationibus illis ſecum trahebant. Hos cum vidiſſet Petrus, qui a Jacobo, & Hieroſolyma deſcenderant, qui adhuc infirmi erant, timeretque, ne ſcandalum paſſi a Fide reſilirent, mutatus eſt rurſus, & omiſſa gentili vitæ ratione, ad priorem rediit indulgentiam, & ciborum obſervationes cuſtodivit. Illum ergo Judæi cum vidiſſent, qui Antiochiæ verſabantur, id agentem, neque mentem ejus perſpectam haberent, qua id agebat, abducti ſunt & ipſi, ac propter magiſtrum judaizare cogebantur. Atque hoc eſt, quod reprehendit Paulus. (2) *Ut autem clarius fiat, quod dicimus, ipſa Apoſtolica verba recitabo.* Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, *hoc eſt Hieroſolymis*, cum gentibus edebat, *hoc eſt cum iis, qui erant Antiochiæ*. Cum autem veniſſent quidam Hieroſolymis *periti Legis*, ſubtrahebat ſe Petrus timens eos, qui ex circumciſione erant. (3) *Quoſnam? eos, qui a Jacobo deſcenderant*. Et abducebantur cum eo ceteri Judæi. *Quinam Judæi? qui priuſquam Hieroſolymitani deſcendiſſent, Antiochiæ degebant, nec ullam obſervationem Judaicam cuſtodiebant.* Ita ut

Ad Gal. II. 11.

(2) Summus Pontifex Agapetus in Epiſt. ad Juſtinianum Auguſtum apud Baronium ad an. 535. §. 1. & apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1793. *Licet ſimili ſtudio caritatis pro multiplicatione Fidelium ille beatus Petrus cæleſtis Regni janitor traheretur, qui ut Judæorum plures acquireret, a doctrina & tramite regulari in non reſpuendo omni Judaiſmo deſcenderat: huic tamen ille junior vinctus in Domino Paulus ſe retulit obviaſſe dicens:* Sed cum vidiſſem, &c. ad Gal. II. 14.

(3) S. Cyrillus Alexandrinus extremo lib. 9. contra Julianum: *Ad hæc audax ille & confidens Petrum Apoſtolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam eſſe dicit, atque a Paulo reprehenſum, quod modo Græcorum, modo Judæorum ritu vivere vellet.*

ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. *Atque hæc quidem eſt, quæ apparet reprehenſio*. (4)

Nonnulli, quibus indignum viſum eſt, Petrum Apoſtolorum principem a Paulo reprehenſum fuiſſe, *non erat hic Petrus*, *inquiunt*, *ille primus Apoſtolorum, cui fuerunt oves a Chriſto concreditæ, ſed alius quiſpiam vilis & abjectus & unus e vulgo. Unde id conſtat? Cum ceteros Judæos abductos fuiſſe cum illo dixiſſet, adjecit*, *inquiunt*, ita ut Barnabas duceretur cum eis in illam ſimulationem. *Quod autem dixit*, ita ut Barnabas, *indicat multo fuiſſe mirabilius illud, quam Petrum abductum eſſe*.

A 2 Sic

(4) S. Joan. Chryſoſtomus hom. in illud *in faciem ei reſtiti*. num. 14. tom. 3. pag. 373.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 103. art. 4. ad 2. *Secundum Hieronymum* (Epiſt. 112. alias 89.) *Petrus ſimulatorie ſe a gentilibus ſubtrahebat, ut vitaret Judæorum ſcandalum, quorum erat Apoſtolus: unde in hoc nullo modo peccavit: ſed Paulus eum ſimiliter ſimulatorie reprehendit, ut vitaret ſcandalum gentilium, quorum erat Apoſtolus. Sed Auguſtinus* (Epiſt. 82. alias 19.) *hoc improbat, quia Paulus in Canonica Scriptura* (*ſcilicet Galat.* 2.) *in qua nefas eſt credere aliquid falſum eſſe, dicit, quod Petrus* reprehenſibilis erat: *unde verum eſt, quod Petrus peccavit, & Paulus vere eum, non ſimulatorie reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia obſervabat; quia hoc ſibi licebat tamquam ex Judæis converſo: ſed peccabat in hoc, quod circa Legalium obſervantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Judæos, ita quod ex hoc ſequeretur gentilium ſcandalum*.

Peccabat autem Petrus *venialiter* tantum, ut docet idem S. Thomas in Epiſt. ad Gal. cap. 2. Lect. 3. *Nam poſt gratiam Spiritus Sancti nullo modo peccaverunt mortaliter Apoſtoli, & hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat.... Peccaverunt tamen venialiter, & hoc fuit eis ex fragilitate humana.... Quod vero dicitur in Glo.* Reſtiti ei tamquam par. *Dicendum eſt, quod Apoſtolus fuit par Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis*.

Baronius ad an. 51. §. 41. & 42. aſſerere *non dubitat, prudens, & ſagax, ac denique neceſſarium videri poſſe Petri conſilium cuilibet illud accurate intuenti: adeo ut nec levioris peccati culpa illi ea de re juſte poſſit adſcribi*.

Digitized by Google

Sic enim locutus eſt, ut majorem illum cenſere videatur: non modo Petrus, inquiens, ſed & Barnabas: atqui Barnabas Petro illo major non erat. Verumtamen non ita ſe res habet, plane ita ſe non habet. Neque enim eo quod Barnabas major eſset, ideo miratur magis: ſed quam ob cauſsam? quod nimirum ille quidem in circumciſionem miſsus eſset, at Barnabas cum Paulo gentibus prædicaret, & ubique cum Paulo copularetur. Quemadmodum alibi
1. Cor. IX. 6. *dicit*, Aut ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem non operandi? *& rurſus*, Aſcendi Hie-
Gal. II. 1. roſolymam cum Barnaba: *& ubique vides illum cum Paulo docere. Non ergo quod Petro major, eſſet, idcirco eum quoque abductum eſse miratur: ſed quod is, qui ſecum ſemper prædicabat, cuique nihil erat commune cum Judæis, verum inter gentes docebat, ipſe quoque eſset abductus. Ceterum Petrum illum eſse, de quo hæc omnia dicit, cum ex iis, quæ præceſserunt, tum ex iis, quæ ſequuntur, manifeſtum eſt. Quod enim ſe* in faciem reſtitiſſe illi *dicit, ac pro magno illud habet, nihil aliud indicat, niſi ſe dignitatem minime reveritum eſse perſonæ: porro de altero quopiam ſi dixiſset, ſe* in faciem illi reſtitiſſe, *nequaquam hoc pro magno habuiſset. Præterea ſi quiſpiam alius Petrus fuiſset, non tantum valuiſſet ejus mutatio, ut ceteros etiam Judæos attraheret. Neque enim adhortatus eſt, neque conſuluit, ſed tantum* ſubtrahebat & ſegregabat ſe: *atque illa ſubtractio & ſegregatio ceteros omnes diſcipulos attrahere potuit propter perſonæ dignitatem. Itaque Petrum fuiſse, ſatis ex his conſtat.* (5) Id quod etiam ex
Galat. II. 11. verbis ipſis D. Pauli liquet. *Dicturus etenim Paulus:* Cum veniſſet Petrus Antiochiam, ei in faciem reſtiti: *ut de quo Petro loqueretur, oſtenderet, in ipſo ſuæ narrationis initio præmiſit dicens:* Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro cir-

(5) S. Joannes Chryſoſtomus loco citato.

circumciſionis . Qui enim operatus eſt Petro in 7. 8.
Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. *Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem & Apoſtolum nominat, & præfuiſse Evangelio circumciſionis narrat.* (6) Huc uſque eos rejecimus, qui non Petrum, ſed quempiam alium eo nomine, qui a Paulo ſit reprehenſus, accipiunt. Nunc eos refellamus, qui volunt fuiſſe *alium de Septuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum. Et dicunt, nequaquam Petrum a convictu gentium ſe po-*

(6) S. Gregorius Magnus in Ezechiel. lib. 2. hom. 6. num. 10. tom. 1. pag. 1368., cujus verba deſcribit & probat Claudius Taurinenſis Epiſcopus in doctiſſima enarratione in Epiſt. D. Pauli ad Galatas tom. 4. Bibl. Patr. pag. 148. Ceterum idem S. Gregorius ibidem hæc etiam habet, quamvis totus alioquin ſit in Petri laudibus: *Cum Petrus Apoſtolus ſervari adhuc in Circumciſione Legis conſuetudinem vellet*, ei in faciem reſtitit *Paulus, eumque hac in re* fuiſſe reprehenſibilem *dicit. Et hoc ejus ſtudium diſcipulis loquens non ſolum culpam, ſed quod eſt majus, hypocriſin, ideſt ſimulationem nominat dicens:* Cum veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. *Et paullo poſt:* Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi. *Idem vero Apoſtolorum primus cum multa diſcipulos admoneret, atque a quibuſdam detrahi de Pauli ſcriptis agnoſceret, dicit* (Epiſt. 2. cap. III. 15.) Sicut cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut ceteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem. *Ecce Paulus in epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum* reprehenſibilem, *& ecce Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in his, quæ ſcripſerat, admirandum. Certe enim niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas, non laudaſſet. Si autem legit, quia illis ipſe* reprehenſibilis *diceretur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam, quod reprehenſus eſt, atque & hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat, ſenſit. Seque etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſectator minoris ſui, ut etiam in hoc præiret: quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate. Penſate ergo: in mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudavit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilem invenit.*

tuiſse ſubtrahere, qui & centurionem Cornelium baptizarat. Et cum aſcendiſset Hieroſolymam diſceptantibus adverſus ſe, qui erant ex Circumciſione, &
Act. XI. 3. *dicentibus*: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? *poſt narrationem viſionis, tali reſponſionem ſine concluſerit :* Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credimus in Dominum Jeſum Chriſtum; ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum? Quibus auditis tacuerunt & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit: *maxime cum Lucas ſcriptor hiſtoriæ nullam hujus diſſenſionis faciat mentionem, nec dicat umquam Petrum Antiochiæ fuiſſe una cum Paulo, & locum dari Porphyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum principem confutaſſe credatur. Quibus primum reſpondendum, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo* Cephas, *modo* Petrus *ſcribitur.* (7) *Non quod aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas; ſed quod quam nos Latine, & Græce* petram *vocemus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter ſe viciniam* Cephan *nuncupant. Deinde totum argumentum epiſtolæ, quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur, huic intelligentiæ repugnare. Nec mirum eſſe, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit: & non ſtatim eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſſam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde translatum,*

(7) Joannes cap. I. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Idem Cephæ nomine ſepties vocatur a D. Paulo, quater Epiſt. 1. ad Cor. cap. I. 12. III. 22. IX. 5. XV. 5. ter Epiſt. ad Gal. cap. II. 9. 11. 14.

tum, *quod Lucas penitus omiſit*. *Ad extremum ſi propter Porphyrii blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas*, *ne Petrus putetur erraſſe*, *infinita de Scripturis erunt radenda divinis*, *quæ ille*, *quia non intelligit*, *calumniatur*. (8)

His, quæ hactenus dicta ſunt verbis ipſis Patrum graviſſimorum Chryſoſtomi, Gregorii, Hieronymi, conſentit S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum, (9) & qui eumdem Cyprianum inſecutus eſt, ſummus Doctor Auguſtinus epiſt. 82. cap. 3., ubi adverſus Hieronymum oſtendit, Petrum non ſimulate, ſed ex animo reprehenſum a D. Paulo. D. Thomas, (10) Baronius ad an. Ch. 51. §. 35. Bellarminus De Rom. Pont. lib. 1. cap. 28. & lib. 4. cap. 8. Vaſquezius in Primam ſecundæ S. Thomæ tom. 2. diſputat. 182. cap. 7., utque alios omittam, Auguſtinus Calmet diſſertat. 1. in Epiſt. S. Pauli ad Galatas.

Qui Cepham a D. Paulo reprehenſum volunt diverſum fuiſſe a D. Petro Apoſtolo, atque unum ex ſeptuaginta diſcipulis, ſententiæ ſuæ auctores

A 4 pro-

(8) S. Hieronymus in Epiſtolam ad Galatas cap. 2. tom. 7. pag. 408. & 409. qui tandem in Auguſtini ſententiam ivit, teſte eodem Auguſtino epiſt. 180. ad Oceanum §. 5. & Hieronymi retractatio eſt in libro 1. adverſ. Pelag. cap. 8. pag. 562. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam annotat. 39. ad S. Petrum.

(9) Ejus verba ſunt: *Nec Petrus*, *quem primum Dominus elegit*, *& ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam*, *cum ſecum Paulus de Circumciſione poſtmodum diſceptaret*; *vindicavit ſibi aliquid inſolenter*, *aut arroganter aſſumſit*, *ut diceret ſe primatum tenere & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere*. *Nec deſpexit Paulum*, *quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet*, *ſed conſilium veritatis admiſit*, *& rationi legitimæ*, *quam Paulus vindicabat*, *facile conſenſit*, *documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens*, *ut non pertinaciter noſtra amemus*, *ſed quæ aliquando a fratribus & collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur*, *ſi ſint vera & legitima*, *ipſa potius noſtra ducamus*.

(10) Prima Secundæ quæſt. 103. art. 4. Vide annotat. 4.

Digitized by Google

proferunt S. Clementem Alexandrinum libro Hypotypoſeon quinto, (11) Dorotheum Tyrium, (12) Chronicon Alexandrinum ſeu Paſchale, (13) Œcumenium, qui ſententiam illam dicit *ſimilem vero* eſſe: (14) Hieronymum loco memorato ſcribentem, eſſe *qui Cepham*, *cui* in faciem *Paulus* reſtitiſſe *ſe ſcribit*, *non putent Apoſtolum Petrum*, *ſed alium de ſeptuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum*; & S. Anſelmum, qui in Epiſt. ad Gal. ait, *eſse nonnullos*, *qui non Petrum Apoſtolorum principem*, *ſed quemdam alium ejuſdem nominis*, *qui a Paulo reprehenſus eſt*, *accipiunt*.

At

(11) *In quo etiam Cepham illum*, *cui Antiochiam ingreſſo Paulus ſe reſtitiſſe dicit*, *quoniam reprehenſione dignus erat*, *unum ait fuiſſe ex ſeptuaginta diſcipulis Petro Apoſtolo cognominem*, ut eſt apud Euſebium lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12.

(12) In Commentario De Septuaginta Domini diſcipulis, qui exſtat ad calcem Chronici Paſchalis pag. 344. edit. Venetæ, & apud Joan. Albertum Fabricium De Vita & morte Moſis pag. 485. *Cephas*, *quem Antiochiæ coarguit Paulus Apoſtolus*, *qui & Coniæ fuit Epiſcopus*.

(13) Pag. 171. ubi inter Septuaginta diſcipulos numeratur tertius *Cephas Petro cognominis*, *cum quo congreſſus eſt Paulus de Judaiſmo*.

(14) Theophylactus in Epiſt. ad Gal. cap. 2. num. 14. pag. 455. *Euſebius dicit*, *non Magnum Petrum a Paulo reprehenſum*, *ſed alium quemdam Cepham*, *unum ex Septuaginta*. *Atque hoc ſe confirmare putat*, *conſentaneum non eſſe dicens*, *eum*, *qui in principio defendiſſet ſeſe*, *quando cum Cornelio manducans offendiſſet quoſdam*, *rurſus opus habere hujuſmodi increpatione*. *At*, *o ſapientiſſime*, *neque nos dicimus Petrum ceu ignorantem quid facto opus eſſet*, *a Paulo increpatum eſſe*, *ſed voluntario ſuſtinuiſſe objurgationem*, *ut alii emendarentur*.

Œcumenius in eamdem Epiſt. ad Gal cap. 3. pag. 731. tom. 1. *Euſebius Pamphili in Eccleſiaſtica hiſtoria oſtendit*, *hunc Petrum non eſſe Cepham*, *ſed ejuſdem cum ipſo nominis unum ex Septuaginta*. *Et apparentiam habet hic ſermo*.

Nimirum *refert hoc Euſebius* lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. *ex Clementis Alexandrini* lib. 5. Hypotyp. *ac rurſus ex Euſebio refert OEcumenius in Commentario:* Eſtius in Epiſt. ad Galat. cap. 2.

At Liber Hypotypoſeon periit, & nuſquam, quantum ego quidem ſciam, apud S. Clementem Alexandrinum Cephas, quem Paulus coarguit, unus ex Septuaginta diſcipulis fuiſſe traditur. Qua de re ſilet etiam Photius in Bibliotheca cod. 109. pag. 286., ubi ejus Libri, qui id temporis, ſæculo videlicet nono, adhuc extabat, epitomen exhibet, oſtenditque ejus auctorem, quicumque ſit, ſeu *ipſe* (Clemens Alexandrinus) *ſeu quis alius ejus perſonam indutus*, non pauca *impie omnino & fabuloſe diſſerere*. Unde cognoſcitur, quanta ſit auctoritas Hypotypoſeon, quarum ſcriptor dubius eſt, impius, fabuloſus. (15)

Fabuloſus item a viris doctis habetur Dorotheus Tyrius, & ideo ſolum ab ipſis profertur, ut falſas quaſdam opiniones quarto etiam ſæculo notas fuiſſe & cognitas probent. Bellarminus De Script. Eccleſ. pag. 60. agens de Dorotheo Tyrienſi. *Iſte nu-*

(15) Rufinus in Apologia pro Origene tom. 9. operum S. Hieronymi pag. 130. edit. Pariſ. 1643.: *Clemens quoque alius Alexandrinus presbyter & magiſter Eccleſiæ illius, in omnibus pene libris ſuis Trinitatis gloriam atque æternitatem unam eamdemque deſignat: & interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus filium Dei creaturam dicit. Numquid credibile eſt de tanto viro tam in omnibus Catholico, tam erudito, ut vel ſibi contraria ſenſerit, vel ea, quæ de Deo, non dicam credere, ſed vel audire quidem impium eſt, ſcripta reliquerit?*

Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 14. pag. 175. Clemens *in libris hypotypoſeon omnium utriuſque Teſtamenti ſcripturarum compendioſam inſtituit enarrationem, ne illis quidem prætermiſſis ſcripturis, de quibus inter multos ambigitur.*

David Blondellus de LXX. Chriſti Diſcipulis cap. 2. apud Joan. Albertum Fabricium de Vita & Morte Moſis pag. 490. & 491. *Sed Clementis pace cum Hieronymo dixerim*, Virum πολυίςορα (*alias felix*) *feſellit memoria, cum unicum* Cepham, *Petrum nimirum noverit Scriptura, eumdem a ſe reprehenſum conceptis verbis notaverit Paulus, a quo non* ὅτε δὲ ἦλθε Κηφᾶς εἰς Ἀντιόχειαν, *prout ſibi legere viſus eſt Clemens, ſed* ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος *&c. Gal. II. 11. ſcriptum eſt.*

numerat inter 72. diſcipulos Chriſti omnes, qui ab Apoſtolo Paulo nominantur, etiamſi Ethnici fuerint, vel feminæ, & illos omnes non ſolum diſcipulos Domini, ſed etiam Epiſcopos facit. Non meminiſsem Libri tam fabuloſi, niſi vidiſsem, a multis citari, & non minimi fieri. Itaque, ut ait Eſtius in Epiſt. ad Gal. cap. II. 9. *magis credendum Euſebio antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcientiſſimo, qui loco ſuperius allegato* (nempe lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12.) *palam teſtatur, nullum Septuaginta diſcipulorum catalogum uſpiam exſtare*. (16)

Subleſtæ quoque fidei hac in re eſt Auctor Chronici Alexandrini ſeu Paſchalis, qui a multis creditur fuiſſe Gregorius Piſides, qui ſæculo ſeptimo vixit, anno Chriſti circiter 630. Huic enim utpote recentiori præferendus ſine controverſia Euſebius, qui tribus ante ſæculis tradit lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 12. *Septuaginta diſcipulorum ſeriem nullibi perſcriptam reperiri*.

OEcumenius quoque in numero recentium ſcriptorum eſt, & vocans opinionem illam πιθανὸν λόγον, *veriſimilem rumorem*, ſatis indicat, ſe illi valde non aſſentiri.

Jam vero Hieronymus, & Anſelmus verbis recitatis aperte oſtendunt, paucos illos, qui Cepham ajebant diverſum eſſe a D. Petro, minimam atque adeo nullam habuiſſe auctoritatem vetuſtatis: allataſque ab eis rationes fuiſſe admodum infirmas, cum ab eorum ſententia diſceſſerint in contrariam. Quo plane modo refellendi ſunt, ſi qui forte objiciant teſtimonium Chryſoſtomi & Gregorii, quod ſimile prorſus eſt teſtimonio Hieronymi & Anſelmi. Adde, quod nemo ignorat, magnum fuiſſe inter Hieronymum &

(16) Vide Eſtium in cap. ult. Epiſt. ad Rom. ver. 5. & Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam, in qua de duobus & ſeptuaginta diſcipulis annotat. 5.

& Auguſtinum de Cepha a Paulo reprehenſo certamen, Auguſtino ajente, Hieronymo negante, Cepham *reprehenſibilem* fuiſſe. Auguſtinus quidem certe in diſcipulum potius, quam in Vicarium Chriſti culpam hujuſmodi contuliſſet: nec Hieronymus adeo laboraſſet, ut Cepham culpa liberaret, ſi docere potuiſſet, illum non eſſe eumdem, ac Petrum Apoſtolum. Adde inſuper Commentaria in Epiſt. S. Pauli, quæ Anſelmi Cantuarienſis nomine feruntur, eidem abjudicari, & a Bellarmino quidem tribui Hervæo Natali Britanno, qui vivebat anno 1325. a Labbeo autem & Gerberonio adſcribi *Hervæo Monacho Burdigalenſi*. (17)

Alia adverſariorum argumenta ſunt, Cepham a D. Paulo reprehenſum Antiochiæ: Petrum autem ibi numquam fuiſſe ſimul cum Paulo, quod, perpenſis utriuſque itineribus, tempus non ſit, quo ſimul uterque in eadem Urbe fuerit. Cepham fuiſſe Judæum, Petrum Galilæum, illum fuiſſe *reprehenſibilem*, quod de Apoſtolo Petro dici non debet: eumdem a Paulo objurgatum coram omnibus contra Chriſti Domini præceptum de correctione Matth. XIII. 15.: eumdem poſtpoſitum Jacobo, aliiſque; (18) eumdemque ideo Cepham ter vocatum a D. Paulo, cum bis ante nominaſſet Petrum, ut ſignificaret, Cepham eſſe diverſum a Petro: (19) Eccleſiam denique ipſam iis adverſari, qui putant Cepham eſſe Petrum, cum in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. proba-

(17) Bellarminus De Scriptor. Eccleſ. ad an. 1081. pag. 343. Labbeus item De Script. Eccleſ. pag. 344. Gerberonius Prologuio in omnia S. Anſelmi opera.

(18) Ad Galat. cap. II. 9. *Jacobus, & Cephas, & Joannes*. Et 1. ad Cor. cap. I. 12. *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti*.

(19) Ad Galat. cap. II. 7. 8. ſemel atque iterum uſurpat nomen *Petri*, & 9. 11. 14. ter nomen *Cephæ*.

Digitized by Google

baverit Vulgatam ſacrorum Librorum editionem; quæ in memorato D. Pauli loco Cepham habet, non Petrum, ut eſt in autographis exemplaribus Græcis.

Verum quod attinet ad primum argumentum, quod totum conjecturale eſt, *omnes definiunt*, *&* *nemo probat*, ut ait Gaſpar Sanctius, quicum ſentiens Joannes Lorinus hortatur interpretes, ne hoc loco laborent temporibus definiendis. S. Petrum fuiſſe Antiochiæ, conſtat ex Traditione, & antiqua Eccleſiæ hiſtoria. Quoties autem & quo tempore fuerit, ignotum eſt. Etiam S. Paulum multoties ibidem fuiſſe, liquet ex Actis Apoſtolorum, ejuſque epiſtolis: quo autem anno Æræ Chriſtianæ in eadem Urbe fuerit, prorſus latet, ſcriptoribus diſſentientibus inter ſe. Eſto igitur, nemo definire queat annum, quo Petrus & Paulus ſimul Antiochiæ fuerunt, non inde tamen efficitur, eos numquam Antiochiæ ſimul fuiſſe. Siquidem non ſunt duo hæc adeo inter ſe conjuncta, ut alterum alteri conſequens ſit. (20)

Venio ad ſecundum, & fateor, me neſcire ex qua Tribu fuerit S. Petrus. Scio autem, Chriſtum Dominum, Mariam Virginem, & Joſephum, licet genus ducerent ex Tribu Juda, voca-

(20) Cæſar Calinus Exercitatione Hiſtorica in Acta Apoſtolorum Italico ſermone ſcripta lib. 2. cap. 5. pag. 118.

S. Auguſtinus epiſt. 82. alias 19. cap. 3. §. 11. *Magis arbitror ante Hieroſolymitanum Concilium* Petrum a Paulo reprehenſum fuiſſe.

Baronius tamen ad an. 51. §. 31. atque Eſtius in Epiſt. ad Galat. cap. II. 11. id contigiſſe exiſtimant, conventu Apoſtolorum Hieroſolymis abſoluto. *Id enim*, ſubdit Eſtius, *poſtulare videtur ordo narrationis Paulinæ. Patet etiam ex* Actor. 15. *Paulum abſoluto Concilio ſtatim Antiochiam eſſe reverſum, nec admodum diu ibi moratum. Quare veriſimile eſt, per id tempus illuc adveniſſe Petrum, & cetera, quæ hic narrantur, acta fuiſſe. Niſi quis putet, iſta eo tempore contigiſſe, quando iterum Paulus aliquamdiu hæſit Antiochiæ.*

catos nihilominus fuiſſe Galilæos, quod domicilium haberent in Galilæa. Petrus igitur ortu ac domicilio Galilæus fuerit, genere Judæus. Advertendum illud etiam, poſt Babylonis captivitatem omnes Jacobi poſteros, cujuſcumque eſſent Tribus, dictos eſſe Judæos, quemadmodum eos hodieque vocamus. (21) Et quidem Paulus poſtquam dixit, Cepham Judæum: *Tu Judæus cum ſis*, verſu ſequenti ipſe quoque ſe Judæum appellat: *Nos natura Judæi*, quamvis certum ſit, D. Paulum fuiſſe ex Tribu Beniamin.

Cephas porro *reprehenſibilis* erat, non quod docebat Chriſtianis mandata Legis cuſtodienda, & obſervanda eſſe *Legitima*, ſed quod ſibi in victu non conſtaret *timens eos, qui ex circumciſione erant*, id eſt *Judæos non quidem timore humano ſive mundano, ſed timore caritatis, ne ſcilicet ſcandalizarentur, ſicut dicitur in Gloſſa. Et ideo factus eſt Judæis tamquam Judæus, ſimulans ſe cum infirmis idem ſentire, ſed tamen inordinate timebat, quia veritas numquam dimittenda eſt propter timorem ſcandali*. (22) Tertullianus adverſus Marcionem lib. 5. cap. 3. *Paulus reprehendit Petrum non recto pede in-*

(21) Jacobi ſeu *Iſraelis poſteri poſt Babylonis captivitatem Judæi vocati ſunt, quod tunc Tribus Juda omnibus Tribubus & vi & numero major eſſet, & quod exteri præter eam ceteras vix noſſent*. Auguſtinus Calmet in Dictionario, verbo *Iſraelitæ*.

(22) S. Thomas in Epiſt. ad Gal. c. 2. Lect. 3. pag. 120. tom. 16. Idem 2. 2. quæſt. 43. art. 6. ad 2. *Petrus peccavit & reprehenſibilis fuit ſecundum ſententiam Auguſtini* (epiſt. 28. alias 8.) *& ipſius Pauli, ſubtrahens ſe a Gentilibus, ut vitaret ſcandalum Judæorum, quia hoc incaute aliqualiter faciebat: ita quod ex hoc Gentiles ad fidem converſi ſcandalizabantur: non tamen factum Petri erat tam grave peccatum, quod merito poſſent alii ſcandalizari. Unde patiebantur ſcandalum paſſivum: non autem erat in Petro ſcandalum activum*. Vide Baronium ad an. 51. §. 40. & Vaſquez in Primam Secundæ D. Thomæ tom. 2. diſput. 182. cap. 7.

incedentem ad Evangelii veritatem. Plane reprehendit, non ob aliud tamen, quam ob inconſtantiam victus, quem pro perſonarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumciſione, *non ob aliquam divinitatis perverſitatem, de qua & aliis in faciem reſtitiſſet, qui de minore cauſſa converſationis ambiguæ Petro ipſi non pepercit*. (23)

Quod autem coram omnibus (Cepham Paulus objurgaret, ſive ille fuerit, ſive non fuerit Petrus Apoſtolus) *neceſſitas coegit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur. Non enim utile erat errorem, qui palam noceret, in ſecreto emendare. Huc accedit, quod firmitas & caritas Petri, cui ter a Domino dictum eſt*, Amas me? Paſce oves meas; *objurgationem talem poſterioris paſtoris pro ſalute gregis libentiſſime ſuſtinebat*. Ita Auguſtinus in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas §. 15. *Unde liquet*, ſubdit Eſtius in eumdem locum, *hic a Paulo nihil fuiſſe peccatum adverſus ordinem fraternæ correctionis in eo, quod publice Petrum objurgavit abſque prævia privata admonitione. Nam publica ſalus ita fieri poſtulabat. Solum autem Petrum alloquitur, quod is ſuo exemplo ceteris auctor fuiſſet ſimulationis, quodque eo correcto, cujus apud omnes erat ſumma auctoritas, aliorum correctio facile ſecutura eſset.*

Quintum refello hoc modo. In Evangelio, ubi omnium Apoſtolorum catalogus exhibetur, ſemper Petrus ponitur primus: at ubi non omnes ſimul

(23) Idem Tertullianus De præſcr. Hæret. cap. 23. pag. 210. *Si reprehenſus eſt Petrus, quod, cum convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, utique converſationis fuit vitium, non prædicationis.*

S. Hier. in Ep. ad Gal. c. 2. p. 407. t. 7. *Quod autem ait*, reprehenſibilis erat, *propterea invidiæ temperavit, ut intelligamus non tam Paulo eum fuiſſe reprehenſibilem, quam his fratribus, cum quibus antea edens, ſe ab eis poſtea ſeparabat*. Vide Petrum de Marca lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 15. §. 7.

ſimul numerantur, nullus ſervatur ordo dignitatis. Utique S. Paulus major erat Barnaba, nihilominus eum Lucas poſt Barnabam nominat, imo poſt Simonem, qui *vocabatur Niger*, poſt Lucium Cyrenenſem, alioſque. (24) Ad hæc Angelus apud S. Marcum cap. XVI. 7. loquens ad mulieres Petrum poſtponit aliis diſcipulis. Quod igitur Cephas poſt Jacobum, alioſque recenſeatur, non inde effici cogique poteſt, Cepham non eſſe eumdem, ac Petrum.

Ad ſextum dicendum eſt, S. Petrum triplici nomine appellatum, *Simonem*, *Petrum*, *Cepham*; ideoque potuiſſe quocumque ex his nomine a D. Paulo deſignari. (25)

Poſtremum ſic refutatur. Eccleſia in Tridentina Synodo approbans Vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quæ Cepham a D. Paulo reprehenſum habet, non refragatur antiquis Auctoribus aſſerentibus, Cepham a Paulo reprehenſum eumdem eſſe, ac Petrum; ſed indicat potius, vocem utramque, *Petrum* nempe & *Cepham*, perinde exprimere veram D. Pauli ſententiam, cum utraque vox idem ſignificet. Clara enim ſunt verba illa Chriſti Domini ad Petrum: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas*, *quod interpretatur*, *Petrus*. (26) Præterea non eſt credibile, Eccleſiam, cum verſionem ſacrorum librorum Vulgatam ſequendam Fidelibus propoſuit, voluiſſe Græcorum Codicum auctoritatem omnino immi-

mi-

(24) Actor. cap. XI. 30. *Per manus Barnabæ & Sauli*. *XII.* 25. *Barnabas & Simon*, *qui vocabatur* Niger, *& Lucius Cyrenenſis*, *& Manaben*... *& Saulus*. Idem Lucas Act. cap. I. 14. Mariam matrem Jeſu, quæ mulieribus ceteris dignitate longe multumque præſtabat, poſt alias mulieres recenſet. Paulus quoque ad Gal. cap. I. 1. *Jeſum Chriſtum* ante *Deum Patrem* memorat.

(25) Vide ſupra poſitam annotat. 7.

(26) In Evangelio Joannis cap. I. 42.

minuere . Quippe, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. De Doctrina Chriſtiana extremo cap. 15. *Libros Novi Teſtamenti , ſi quid in Latinis varietatibus titubat , Græcis cedere oportere , non dubium eſt .* Igitur neque illud credi poteſt, Eccleſiam iis eſſe contrariam , qui *Petrum* , ut eſt in Græco Textu , pro *Cepha* legerunt , alioquin contra eos Patres faceret , quos tamquam Doctores veneratur & colit .

DIS-

DISPUTATIO II.

De Cathedra D. Petri Antiochena.

ANtiochia *totius Orientis metropolis*, (1) *prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtratur*. (2)

B *Æquum*

(1) S. Hieronymus in Libro contra Joan. Hieroſolymitanum §. 37. tom. 2. pag. 447. alias epiſt. 61. cap. 15. *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilii canonibus uteris, & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia*.

Petrus de Marca lib. 1. De concordia Sacerdotii & Imperii cap. 3. §. 5. *Juris iſtius* (metropolitici) *quaſi poſſeſſione in pleraſque provincias conſpicuæ erant tres illæ Imperii Romani Civitates, Roma Orbis Domina, Alexandria Ægyptiaci regni princeps, & Antiochia regina Orientis, quarum Civitatum Epiſcopi eximiis privilegiis gaudebant; quæ conſuetudine & moribus firmata primum, poſtea Nicænæ Synodi decreto ſancita ſunt*. Canone 6. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 46.

(2) Innocentius I. epiſt. 18. §. 1. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1269. & Petrum Couſtant tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 851.

Cur Petrus Antiochiæ potius, quam alibi ſedem poſuerit, docet Gaſpar Sanctius Tractatu 1. de Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania cap. 11. pag. 20. *Cathedra Petri Catholica erat, ideſt univerſalis, quæ neminem excludit: & ideo videri poteſt ibi* (Antiochiæ) *a Petro Cathedra primum erecta, licet alibi eſſet Eccleſia ex Judæis congregata. Nam Hieroſolymitana necdum judicari poterat univerſalis, quia nondum Gentes admiſerat.... Quod ſi quis eam ob cauſſam Antiochiæ locatam eſſe Cathedram credat, quia ibi pacifice Petrus docere potuit, ſane ideo ortam Eccleſiæ pacem eſſe arbitror, quia ex Gentilibus jam ibi multi crediderant, quorum auctoritate Fideles tueri poterant contra tot hoſtes Evangelii publice, & Chriſti cauſſam, & Chriſtianum nomen, quod ibi primum Fideles acceperant*.

Benedictus Bacchinius Diſſertat. de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus part. 1. cap. 3. §. 10. pag. 227. *Antiochiæ pri-*

mum

Digitized by Google

Æquum enim erat, ut ea, quæ nomine Chriſtianorum ante univerſum orbem terrarum ornata fuit, primum Apoſtolorum paſtorem acciperet. Sed cum eum doctorem accepiſſet, non in perpetuum retinuit, ſed Regiæ Civitati Romæ illum conceſſit (3) poſt annos fere ſeptem. Etenim ſi Euſebium audimus, qui Antiochenæ Eccleſiæ proximus vetera ejus monumenta cognovit, ita loquitur in Chronico: ad an. Dom. 44. *Petrus Apoſtolus, cum primum Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur*: (4) & lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 36. *Ignatius ſecundus poſt Petrum Antiochenſem Eccleſiam ſortitus eſt*. Eodem modo Hieronymus de Viris illuſtribus cap. 1. Petrum refert *Romam perrexiſſe poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ*, & cap. 16. *Ignatium tertium poſt Petrum Apoſtolum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe* confirmat. (5) Accedit Auctoritas ſummorum Pontificum Gelaſii, & Gre-

mum Gentiles Judæis acceſſere, quam Alexandriæ: ideo Antiochiæ prius nova Eccleſia, quam Alexandriæ fundata eſt.

(3) S. Joan. Chryſoſtomus hom. 6. in inſcriptionem Actor. II. §. 6. tom. 3. pag. 70. alias ſerm. 12. tom. 5. pag. 163.

(4) Innocentius I. epiſt. 23. apud Petrum Couſtant tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 849. *Eccleſia Antiochena, quam prius, quam ad Urbem perveniret Romam Beatus Apoſtolus Petrus ſua præſentia illuſtravit*.

Maximus Epiſcopus Antiochenus in Concilio Chalcedonenſi act. 7. Sedem ſuam appellat τὸν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου: *Thronum magnæ Civitatis Antiochenſium, qui fuit S. Petri*: apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 613. & Harduinum tom. 2. pag. 492.

Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum ad an. 39. tom. 4. Hiſt. Byzant. pag. 184. edit. Venetæ: *Petrus Apoſtolus primus Eccleſiæ Antiochenæ fundamenta jecit*. Conſentit Ado Viennenſis in Chron. ætate 6. Bibl. Patr. tom. 16. pag. 788.

(5) Origenes in Lucam hom. 6. pag. 214. *Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecundum*.

Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 26.: *Ignatius ſecundus poſt Petrum Antiochenſem Eccleſiam ſortitus eſt*. Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam in D. Petro, Interrogatione 18.

Gregorii Magni. Gelaſii ſunt hæc in Concilio anno 494. Romæ celebrato: *Tertia vero Sedes apud Antiochiam ejuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic, priuſquam Romam veniſset, habitavit, & illic primum nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt.* (6) Gregorius vero: *Cum multi ſint Apoſtoli*, inquit, *pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem, in qua etiam quieſcere & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit Sedem, in qua Evangeliſtam diſcipulum miſit.* (7) *Ipſe firmavit Sedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus ſedit.* (8) Jure au-

(6) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1262.

(7) Gelaſius in memorato Concilio Romano tom. 4. Conc. Labbei pag. 1262. *Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus & diſcipulo & Evangeliſta conſecrata eſt. Ipſeque a Petro Apoſtolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & glorioſum conſumavit martyrium.*

(8) Lib. 7. epiſt. 40. alias 37. pag. 888.

Liber Pontificalis in Vita D. Petri: *Primus ſedit Cathedram Epiſcopatus in Antiochia annos ſeptem.*

S. Leo Magnus epiſt. 92. ad Maximum Antiochenum cap. 2. *Et ideo, frater cariſſime, oportet dilectionem tuam toto corde proſpicere, cujus Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere, & ejus meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus per totum quidem mundum, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena, & Romana Urbe fundavit.*

Baronius ad an. 39. §. 21.: *Euſebius* in Chronico *ponit Eccleſiam Antiochenam fundatam a Petro anno ultimo Tiberii Imperatoris, Olympiade ducenteſima tertia, anno quarto: rurſus vero Olympiade ducenteſima quinta, anno ſecundo, quo ab eo adſcribitur Claudii Imperatoris ſecundus annus, ab eodem ponitur Petri Romam profectio. Numerando igitur ab anno quarto dictæ ducenteſimæ tertiæ Olympiadis uſque ad annum ſecundum ducenteſimæ quintæ, ſeptem colligi annos, quis non videt? unum videlicet ducenteſimæ tertiæ, quatuor ducenteſimæ quartæ,*

autem ac merito dicitur inde *diſceſſurus* non tantum Romam, ſed etiam ad inviſendas ſubinde alias Eccleſias, præſertim Hieroſolymitanam. (9) *Nam cui non tantum unius Civitatis, ſed totius Chriſtiani Orbis onus incumbebat, quique omnibus proſpicere, omnes, ſi poſſet, inviſere, inſtituere, monere, hortari, ac denique univerſum gregem ſibi creditum paſcere tenebatur, quonam pacto illis præſertim temporibus, cum Fides Chriſtiana a Gentibus, atque Judæis ubique vexaretur, unius Civitatis licet ampliſſimæ valuit anguſtiis contineri, & non potius (quod ab eo factum ex Luca* Actor. IX. *videmus) circumjens regiones, univerſas adiret Eccleſias ? Sic igitur accipiendum eſt, Petrum annis ſeptem præfuiſſe Epiſcopum Eccleſiæ Antiochenæ, quod donec alia ab eo Sedes, nempe Romana (quam maximam omnium eſſe voluit) eſſet erecta, ipſe Petrus ſit dictus Epiſcopus Antiochenus, inde vero Epiſcopus Urbis fuerit appellatus*. (10) Sed quid plura ? cum Eccleſia ipſa Catholica memoriam Cathedræ Petri Antiochenæ VIII. Kal. Martii quotannis celebrans ſatis ſuperque id, quod urgemus, evincat. (11)

Quæ

tæ, ac duos ducenteſimæ quintæ Olympiadis. Sicque ſeptem ſaltem inchoati numerantur anni a tempore inſtitutæ Sedis Antiochenæ uſque ad Petri Romam verſus profectionem.

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico diſſertat. 2. De Sede S. Petri Antiochena deque initio poſitæ in Urbe Roma Cathedræ pag. 78. num. 1.: *Quam certum eſt, utramque Sedem conſtituiſſe ac tenuiſſe Petrum; tam difficile eſt, certo definire, quo anno utramque occupare cœperit, & quot annis tenuerit.*

(9) Quare S. Paulus anno tertio poſt converſionem ſuam Petrum Hieroſolymis invenit. Scribit enim ad Galatas cap. I. 18. *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.*

(10) Baronius ad an. 39. §. 17.

(11) Bollandus 22. Febr. tom. 3. pag. 283. num. 3. *Extat Sedis illius memoria in Martyrologio VIII. Kal. Martii. Mar-*

ty-

Quæ cum ita ſint, quis non miretur, Onuphrium Panvinium novam quamdam & inauditam de Antiochena Cathedra opinionem animo imbibiſſe, atque ſine ullo veterum teſtimonio, imo *contra totius Antiquitatis conſenſum* (12) affirmaſſe, Petrum *ante ad Urbem adventum, Antiochiæ ſeptem annis non ſediſſe*, (13) ideoque Antiochenam Eccleſiam poſt Romanam fuiſſe ab eo inſtitutam? Quam quidem opinionem rationi

tyrologium MS. S. Hieronymi, *ſive vetus Romanum*, Cathedra Petri in Antiochia. *Conſentiunt vetus Romanum a* Roſveido *editum*, Uſuardus, Ado *vulgatus*, *& pleraque* MSS. *etiam* Bedæ *nomen præferentia. Alioquin typis excuſum* Bedæ *Martyrologium ita habet:* Cathedra S. Petri, qua ſedit apud Antiochiam, ubi & primum cognominati ſunt diſcipuli Chriſtiani. *Eadem leguntur in hodierno Romano Martyrologio, & Rabani*. Wandelbertus *quoque in metrico Martyrologio ita habet*.

Octavoque Petri Cathedra & doctrina coruſcat.
Urbs læta Antiochi quo primum Præſule vernat.

Joannes Beletus cap. 83. Divinorum Officiorum: *Fuit conſuetudo veterum Ethnicorum, ut ſingulis annis menſe Februarii, certo quodam die epulas ad parentum ſuorum tumulos apponerent, quas Dæmones conſumebant, cum inde non minus falſe, quam ridicule animæ refici crederentur. Putabant enim, hujuſmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus abſumi. Hæc autem conſuetudo atque hujuſmodi falſæ opinionis error a Chriſtianis vix extirpari potuit. Quod quidem cum viri ſancti animadvertiſſent, ac penitus illam conſuetudinem extinguere voluiſſent*, inſtituerunt Feſtum de Cathedra S. Petri, *tam de illa, quæ fuit Romæ, quam quæ Antiochiæ, idque illo eodem die, quo abominanda illa ab Ethnicis fiebant, ut ſolemni hoc feſto pravæ illius conſuetudinis feſtum omnino extingueretur. Unde etiam ab illis epulis feſtum hoc appellatum eſt* B. Petri epularum. Vocatum etiam eſt *Cara Cognatio, quia tunc etſi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur*, ut ait Ptolomæus Silvius in Laterculo, qui eſt in Præfat. generali ad Januar. Bolland. cap. 4. §. 3. pag. XXXV.

(12) Joannes Lorinus in Actus Apoſtolorum cap. IX. 32. pag. 339.

(13) In annotat. ad Platinam de Vitis Pontificum Romanorum pag. 9.

BIBLIOTECA ... EMANUELE

quoque eſſe contrariam, quis non videt? Nam ante id tempus, quo Petrum Antiochiam profectum exiſtimat Panvinius, fuerunt ibi complures Fideles, ac recentis Eccleſiæ diſciplina ita viguit, novæque religionis cultus is fuit, ut *cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani*. (14) Neceſſe igitur eſt, in Eccleſia illa ab aliquo Epiſcopo pietatem & religionem confirmatam fuiſſe atque exercitam, ut populus Chriſtianæ diſciplinæ aſſueſceret. Quem igitur muneri huic præponis? Si hoc Petrum ſuſtinuiſſe negas, Petrum in Epiſcopatu Antiocheno alicui ex diſcipulis ſucceſſorem facis, quo nihil videtur eſſe abſurdius. Sed eſto, Romæ primum, deinde Antiochiæ Petrus Sedem poſuerit; rogo te, vacuamne interim Romanam Sedem reliquit, an non? Fac, reliquiſſe: non ſedit ergo Romæ annos quinque & viginti, imo ne viginti quidem, quod Hiſtoricis

&

(14) Actor. cap. XI. 26. Ex quibus refellitur Suidas in Lexico tom. 2. pag. 504. verbo Ναζωραῖος ſcribens, *tempore Claudii Romanorum Imperatoris, cum Petrus Apoſtolus Evodium Antiochiæ Epiſcopum creaſſet, illos, qui prius Nazaræi, & Galilæi vocabantur, mutato nomine appellatos fuiſſe Chriſtianos*.

S. Chryſoſtomus hom. 25. in Act. Apoſt. pag. 201. tom. 9. *Vere ideo Antiochiæ vocati ſunt Chriſtiani, quia Paulus ibi tanto tempore manſit*.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 17. §. 28. *Cum vero frequens ab ipſis* (Paulo, & Barnaba) *multitudo in Eccleſia* (Antiochiæ) *præceptis inſtituta & collecta fuiſſet*, factum eſt, ut diſcipuli Antiochiæ primum cognominarentur Chriſtiani, *Spiritu Sancto, credo, prænuntiatum a Domino nomen novum credentibus imponente*.

Daniel Papebrochius apud Bollandum die XI. Junii tom. 2. pag. 425. *Quid ergo, inquies, Tertullianus in Apolog. cap. 5. ait, quod* Tiberii tempore, *adeoque ante annum 37. quo is obiit*, nomen Chriſtianum in ſæculum introivit? *Reſpondet Maſſutius noſter lib. 3. cap. 7. De vita Pauli*, Chriſti notitiam *duntaxat ſignificari a Tertulliano, quod & probant Tiberii circa Chriſtum acta in Senatu, iſtic a Tertulliano indicata*.

& Patribus graviſſimis repugnat*:* (15) ſin reliquiſſe negas, ſpiritualis Polygamiæ & perncioſiſſimi exempli auctorem Petrum conſtituis. (16) *Faceſſat itaque de Sede Antiochena recenter aſſerta ſententia: ſed quod antiqua traditio docuit, quodque Patres teſtati ſunt, ac ſemper tenuit & hactenus tenet & obſervat Eccleſia, maneat firmum, ac ſuo robore inconcuſſum, nec ullo novitatis labefactetur acceſſu: ipſam ſcilicet Antiochenam Sedem primitus a Petro eſse erectam atque inſtitutam, in eaque ſediſſe ſeptem annis*, (17) donec omni ſecum translato jure ſummi Pontificatus *ſtudio majoris fructus Romam migraret*, (18) & in Urbe maxima totius orbis principem Eccleſiam conſtitueret.

Eſt contra nos Apollonii teſtimonium, qui apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. extremo cap. 18. *tamquam ex veterum traditione hæc refert*, *Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſse*, *ne intra duodecim annos Hieroſolymis excederent*. Non licuit igitur Petro Apoſtolorum Principi ante annum decimum ſecundum a morte Chriſti proficiſci Hiero-

(15) Euſebio in Chronico ad an. Dom. 44. Claudii 2. ſcribenti*: Petrus Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejuſdem Urbis Epiſcopus perſeverat*.

S. Hieronymo de Viris illuſtribus cap. 1. pag. 813. tom. 2.: Petrus *ſecundo Claudii Imperatoris anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique XXV. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit uſque ad ultimum annum Neronis, id eſt decimum quartum*.

S. Proſpero in Chronico integro pag. 703. Caſſiodoro item in Chronico tom. 2. pag. 386., ubi verba ipſa Euſebii deſcribunt. Bedæ Venerabili De ſex ætatibus ad an. mundi 4007. tom. 2. pag. 110. Auctori Libri Pontificalis in Vita D. Petri, & antiquis Pontificum Romanorum Catalogis, ut legere eſt apud Schelſtratum Antiquitatis illuſtratæ tom. 1. Diſſertat. 1. cap. 5. art. 4.

(16) Lege Baronium ad an. 39. §. 24.

(17) Baronius ad an. 39. §. 25. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in D. Petro, Interrogatione 16.

(18) S. Anſelmus lib. 3. epiſt. 7. pag. 366.

ſolymis Antiochiam, ibique anno Chriſti ſeptimo trigeſimoque Eccleſiam inſtituere. At magis, quam Apollonio credendum eſt Actis Apoſtolorum a D. Luca conſcriptis. Capite igitur 8. 9. & 10. legitur Petrus & Joannes ante expletos annos duodecim, Hieroſolymis relictis, veniſſe Samariam, ipſe vero Petrus Lyddam, Joppem, Cæſaream viſitaſſe, antequam in vincula conjiceretur; (19) poſtea nondum elapſo illorum duodecim annorum ſpatio, e carcere ab Angelo eductum non modo Hieroſolymis, ſed etiam ex Judæa diſceſſiſſe. Præterea Chriſtus Dominus ante ſuam in Cælum aſcenſionem apud Matthæum cap. XXVIII. 19. præcepit Apoſtolis, ut *euntes docerent omnes gentes*, & apud Lucam cap. XXIV. 49. ut *ſederent in Civitate*, *quoadusque induerentur virtute ex alto*, quod conceſſum ipſis eſt per adventum Spiritus Sancti. Accepto igitur Spiritu Sancto, via Chriſtianæ Fidei prædicandæ Apoſtolis patefacta eſt. Et apud Lucam in Actis cap. I. 8. juſſit eos ſibi *teſtes eſse in Hieruſalem*, *in omni Judæa & Samaria*, *& uſque ad ultimum terræ*, nulla præſcripta mora temporis. (20)

Jam,

(19) Lucas Actor. cap. IX. 32.: *Factum eſt, ut Petrus, dum pertranſiret univerſos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ &c.* Quæ verba ſic illuſtrat S. Chryſoſtomus in Acta Apoſtolorum hom. 21. §. 2. pag. 170. tom. 9. *Quaſi Dux circuibat, ordines conſiderans: quæ pars eſſet adunata, quæ ornata, quæ ſua præſentia egeret. Vide illum ubique circumcurſantem, & primum inventum, ubi eligendus erat Apoſtolus; hic primus fuit, cum dicendum erat Judæis, non eſſe ebrios Apoſtolos, cum claudus ſanandus fuit, quando concionandum erat: hic ante alios erat, quando agendum cum Præfectis, quando cum Anania, cum ex umbra ſanationes fierent. Ubi periculum eſt, hic adeſt, & ubi quædam diſpenſanda ſunt. Ubi vero tranquillæ res ſunt, in communi omnes; hic majorem non appetit honorem. Rurſum cum miracula edere oportebat, ille proſiliebat. Et hic iterum ipſe per ſe laborat, & iter agit.*

(20) Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 5. traditionem

nem

nem ab Apollonio, non a *Thraſea martyre*, ut ipſe putat, memoratam admittit, ac dicit, *non imperaſſe Dominum, ut omnes Apoſtoli ad annos duodecim Hieroſolymis morarentur : id enim conſtat eſſe falſum ex Actis Apoſtolorum* cap. 8. 9. 10. *ſed ut non omnes inde recederent, verum aliquis ſemper, aut etiam aliqui ex Apoſtolis Hieroſolymis manerent ad teſtimonium Hebræorum*.

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico Diſſertat. 2. De Sede S. Petri Antiochena pag. 79. num. 2. primum dicit, *Henſchenium pro* Hieroſolymis *totam Palæſtinam ſubſtituentem*, ita interpretari datum Apoſtolis a Chriſto præceptum, *ne ultra Syriam ac vicinas regiones abirent* : deinde ſubjicit, *eſſe vel Apollonii, vel ipſius Euſebii errorem hunc evidentem, annos* duodecim *pro* duobus *ſcribentium*.

Benedicto Bacchinio in Diſſertat. de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus part. I. cap. 3. §. 3. pag. 194. *Alias, quam ſoleat Apollonii traditio intelligenda videtur, & admittenda. Nec enim video*, inquit, *cur majorem fidem mereatur Euſebius (qui tamen Apollonii traditionem refert, non refellit) quam Apollonius priori Apoſtolorum ætati multo* Euſebio *proximior*. Χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλὴμ *quod* Hieroſolymis excedere, diſcedere, abire *interpretantur viri docti, mihi eſt* ab Hieruſalem ſegregari, ſeparari, ſejungi; *& integram ſententiam verto :* ajebat tamquam ex traditione Servatorem præcepiſſe ſuis Apoſtolis, ne intra duodecim annos a Hieroſolymis ſegregarentur, ſepararentur, ſejungerentur. Separari *autem*, ſegregari, ſejungi *idem eſſe intelligo, ac alteram Eccleſiam fundare, quæ a Hieroſolymitana minime penderet ; quatenus intra duodecim annos, & Apoſtolorum Collegium, cui Petrus præerat, tamquam novæ Legis Synedrium majus Hieroſolymis tantum ſederet, totique Judæorum credentium cætui jus diceret, ac unus Hieruſalem Epiſcopus ceteris præſideret, ſi quæ Eccleſiæ intra Terræ fines, minoraque Synedria, quæ poſtmodum Presbyteria vocata ſunt, conſtitui oporteret. Conſtituere autem principem alteram Eccleſiam, ubi Apoſtolorum quiſpiam ſederet, fieri non poterat, quin & alibi Apoſtolici Collegii Juriſdictio pleniſſime exerceretur, & quin ſola deſineret eſſe Hieroſolymitana Eccleſia, quæ ceteris præeſſet, quod* ſegregari, ſejungi, ſepararique *a Hieruſalem erat, ubi pro Judæorum more Juriſdictionis plenitudo & apex. Id itaque*, Apollonio *tradente, fieri Apoſtolis prohibitum ante duodecim ab Aſcenſione annos, ac illud ipſum Clementi Alexandrino Stromat. lib. 6. ſignificatur, ubi hæc habentur* : Si quis ergo velit ex Iſrael duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in

Mun-

Jam, inquis, ſi ante duodecim illos annos a Chriſto præfinitos Petrus & Joannes iviſſent Samariam, Apoſtoli & Diſcipuli prædicaſſent Evangelium, priuſquam Petrus lintei de Cælo deſcendentis, & genus omne animantium continentis viſione, quæ refertur Actor. cap. XI., admoneretur, Evangelium eſſe Gentibus prædicandum. Quid ſi doceo & planum facio, Samaritas non fuiſſe Gentiles, ſed ex genere Proſelytorum, (21) atque Circumciſionem & Legem Hebræorum obſervaſſe, quamvis aliquibus Ethnicorum cæremoniis eſſent addicti? Chriſtus enim Dominus eos diverſos facit ab Ethnicis, apud Matthæum cap. X. 5. verbis illis: *In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Ex quibus facile intelligis, eo ſpectaſſe Chriſti mandatum, ut Apoſtoli primum docerent Judæos, quibus *promiſſiones antiquitus factæ* fuerant, (22) deinde Gentes. Quo pariter ſenſu accipienda ſunt, quæ idem Chriſtus Dominus dixit de ſe, apud eumdem Matthæum cap. XV. 24. *Non ſum miſsus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael* (23) cum ipſe Samaritanam, & cum ea Samaritanos plurimos traxerit ad ſe.

Quod

Mundum, ne quis dicat, non audivimus. *Hoc ſenſu* Apollonii *traditione intellecta, & Chriſti morte duobus Geminis Coſſ. conſignata*, minime *obſtat, quod Petrus & Joannes a Hieroſolymis miſſi ſint in Samariam: quin ſententiam confirmat: inde enim miſſi, ubi Apoſtolici Synedrii Sedes, illuc, peractis, quæ communi ſtatuto decreta fuerant, rediere.*

(21) *Proſelyti apud Judæos appellabantur, qui in eorum regione commorabantur, ſive qui origine a Judæis alieni ad eorum religionem tranſierant*, Auguſtinus Calmet in Dictionario Hiſtorico, verbo *Proſelytus*.

(22) D. Thomas 3. part. quæſt. 42. art. 1.

(23) Hieronymus in hunc locum pag. 116. tom. 7. *Non quo & ad gentes non miſſus ſit: ſed quo primum miſſus ſit ad Iſrael; ut illis non recipientibus Evangelium, juſta fieret ad gentes tranſmigratio.*

Quod ſi adjicias, S. Lucam in Actis nullam mentionem feciſſe de adventu Petri Antiochiam, nedum de inſtitutione Eccleſiæ Antiochenæ, id nullum mihi negotium faceſſit. Petrum enim Antiochiæ fuiſſe, tradit D. Paulus in Epiſt. ad Galat. cap. II. 11. *Cum autem veniſset Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti*. Lucas tamen ne verbum quidem facit de contentione ea, quæ eidem Paulo fuit cum Petro. Ille enim intentus exponendis geſtis potioribus D. Pauli, geſta multa aliorum Apoſtolorum, atque inter cetera Antiochenæ Eccleſiæ inſtitutionem ſilentio præterivit. Rem totam ſic explicat Hieronymus comment. in Epiſt. ad Gal. cap. 2. *Nec mirum eſse*, inquiens, *ſi Lucas* hoc Petri *&* Pauli diſſidium *tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſse ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit: & non ſtatim eſse contrarium, ſi quod alius ob cauſsam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit. Deinde primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſse, accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omiſit.*

Poſtremo urgeas, Eccleſiam Antiochenam inſtitutam fuiſſe a Chriſtianis Cypriis, & Cyrenæis, ut legitur Actor. cap. XI. 19. 20. Hic vero te admonitum volo, me de Antiochena D. Petri Cathedra diſputantem non intelligere, ipſum omnium primum Chriſti fidem in eam Civitatem invexiſſe (lubens enim diſcipulos illos, qui poſt necem S. Stephani Hieroſolymis pulſi ſunt, Chriſtianam religionem eo intuliſſe concedo) ſed illud unum contendere, Petrum Apoſtolum fuiſſe primum, qui tamquam Antiſtes Eccleſiam Antiochenam gubernaverit, Chriſtianis Antiochenis præfuerit, Urbemque Patriarchali dignitate donaverit.

DIS-

DISPUTATIO III.

De Cathedra D. Petri Romana.

CUm *duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum,* (1) *imbuendum Evangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus, ſuſcepiſsent, beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.* (2) Ad Urbem igitur Romam, cum *jam Antiochenam Eccleſiam fundaſset*; (3) Deo ducente venit; ibique Chriſti Vicario eternam poſuit ſedem. Hanc ipſe uſque ad vitæ finem obtinuit, inde utramque epiſtolam ſuam ſcripſit, atque in altera extremo cap. 5. Romam deſignavit verbis illis: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta*: id quod omnes perſuaſum habuerunt uſque ad ſæculum Chriſti decimum ſextum. Ex eo demum tempore exſtitere Heterodoxi, qui veterum hæreticorum & Schiſmaticorum audaciam atque impudentiam ſupergreſſi docuerunt, D. Petrum neque Epiſcopum Romanum fuiſſe, neque Romam veniſſe. (4) Inauditam antea & novam opinionem fal-

(1) Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam, De Apoſtolis in univerſum, ad Interrogation. 23.

(2) S. Leo ſerm. 80. cap. 3. tom. 1. pag. 164.

(3) Idem S. Leo ibidem cap. 5.

(4) *Primus, quod ſciam, qui docuit, D. Petrum neque Epiſcopum fuiſſe Romæ, neque Romam ipſam umquam vidiſſe; fuit Gulielmus quidam Joannis Vviclephi præceptor, ut Thomas Vvaldenſis refert lib. 2. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 7.*: Ita Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 1. Gulielmum iſtum ſecuti ſunt Martinus Lutherus in Colloquiis ad menſam ha-

falſitatis convincit unanimis & conſtans Patrum tam Græcorum, quam Latinorum conſenſus, qui jam inde a principio Chriſtianæ Eccleſiæ floruerunt.

Ex Græcis *Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo*, (5) ſeu alii item veteres apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 15. *Marci mentionem fieri ajunt a Petro in priore epiſtola, quam Romæ ſcriptam eſse contendunt, idque Petrum ipſum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: Salutat vos Babylonis Eccleſia, a Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus.* (6) Dionyſius item Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola *ad Romanos, Soteri tunc tem-*

po-

habitis, capite *De Antichriſto*, Uldaricus Velenus Lutheranus, qui Librum in hanc rem edidit, Illyricus in lib. contra Primatum Papæ, Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. cap. 10. pag. 432. aliique, ut legere licet apud Jodocum Coccium tom. 1. Theſauri Catholici lib. 7. art. 5. pag. 814.

(5) S. Irenæus lib. 5. adverſus Hæreſes cap. 33.

(6) *Verba hæc a præcedentibus*, quæ ſunt apud eumdem Euſebium, *omnino ſejungit* Valeſius in hunc Euſebii locum pag. 29. exiſtimans non eſſe Papiæ, quemadmodum ſunt præcedentia. At licet Papias non faveret allatæ explicationi, faveret tamen profectioni D. Petri Romam, ac probaret Petrum Romæ Epiſcopi munus ſuſtinuiſſe. Quod ibidem probat etiam Euſebius, qui veterum ſeu Clementis Alexandrini, ſeu Papiæ teſtimonio aſſerit, Romam *Babylonis* nomine ſignificari. Quare Valeſius ipſe: *Romam Petrus figurate Babylonem vocavit, vel ob magnitudinem ac potentiam, vel propter impietatem, eo quod dæmonum cultui dedita tunc eſſet Roma, perinde ac olim Babylon. Poteſt etiam alia ratio hujus cognominis afferri, quod ſcilicet ut Babylonii Judæos in ſervitutem redegerant; ſic Romani tunc Judæos ditioni ſuæ ſubjeciſſent. Sunt qui in dicta Petri epiſtola, Babylonis nomine non Romam, ſed Babylonem ipſam, quæ caput fuit Aſſyriorum, deſignari contendant. Verum hi omnium veterum Patrum teſtimonio refelluntur... Nihil in tota hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtrius, nihil certius atque teſtatius, quam adventus Petri Apoſtoli in Urbem Romam.*

poris Epiſcopo Romanæ Urbis nuncupata (7) apud eumdem Euſebium extremo cap. 25. Petri & Pauli in Urbem adventum certum affirmat. Irenæus quoque *vir Apoſtolicorum temporum, & Papiæ auditoris Evangeliſtæ Joannis diſcipulus, à martyribus Lugdunenſibus ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus* (8) ſub Eleuthero, lib. 3. cap. 1. teſtatur, *Petrum & Paulum Romæ evangelizaſſe, & fundaſſe Eccleſiam*. (9) Præterea S. Athanaſius in Apologia de fuga ſua §. 18. hæc habet: *Petrus, qui ſe ſe metu Judæorum abſconderat, & Paulus Apoſtolus, qui in porta demiſſus ſic evaſerat, his auditis verbis:* Oportet vos Romæ martyrium ſubire, *profectum non diſtulere ſuum, imo potius gaudentes abierunt*. Origenes ſimiliter, in Geneſi tom. 2. pag. 24. & apud Euſebium lib. 3. cap. 1. Petrum Romæ fuiſſe ad mortem uſque, narrat. Quam narrationem comprobant etiam Patres Latini. Nam *Cajus vir Catholicus, qui Zephyrini Romanæ Urbis Epiſcopi temporibus floruit, in eo libro, quem ſcripſit adverſus Proculum patronum ſectæ Cataphrygarum, de loco, in quo prædictorum Apoſtolorum* (Petri & Pauli) *ſacra corpo-*

(7) Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 23. pag. 117.

(8) Hieronymus epiſt. 75. àlias 29. ad Theodoram Viduam, & de Viris illuſtribus cap. 35. tom. 1. pag. 450. & tom. 2. pag. 859.

(9) Idem S. Irenæus eodem lib. 3. cap. 3.: *Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, Traditio.*

pora depoſita ſunt, *ita loquitur*: *Ego vero*, *inquit*, *Apoſtolorum trophæa poſſum oſtendere*. *Nam ſive in Vaticanum*, *ſive ad Oſtienſem viam pergere libet*, *occurrent tibi trophæa eorum*, *qui Eccleſiam illam fundaverunt*. (10) Id ipſum aſſerit Tertullianus locis pluribus: (11) Aſſerit S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium, ubi Romanam Sedem *Petri Cathedram*, *atque Eccleſiam principalem* vocat. Conſentit S. Ambroſius, qui lib. 3. de Sacramentis cap. 1. dicit, Petrum *Sacerdotem fuiſſe Eccleſiæ Romanæ*. Optatus etiam Milevitanus, qui lib. 2. cap. 2. *Negare non potes*; inquit; *ſcire te*, *in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſse collatam*, *in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus*, *unde & Cephas appellatus eſt*, *in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur*: *ut jam ſchiſmaticus & peccator eſset*, *qui contra ſingularem cathedram*, *alteram collocaret*. Quid autem plures ego teſtes in medium adduco? Illi enim omnes, quos bene multos Baronius ad an. 44. §. 25. Bellarminus de Rom. Pont. lib. 2. cap. 2. 3. & 4. Schelſtrate in Antiquitate Eccleſiæ illuſtrata tom. 2. diſſertat. 3. cap. 1. & 2. Hankius de Romanarum rerum Scriptoribus lib. 2. part. 1. cap. 8. §. 29. Natalis Alexander diſſertat. 13. in Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Jodocus Coccius Theſauri Catholici tom. 1. lib. 7. art. 5. Pearſonius Oper. Poſth. diſſertat. 1. De ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum cap. 7. recenſent, id quod proba-

(10) Apud Euſebium lib. 2. cap. 25. pag. 54. S. Hieronymus epiſt. 46. alias 17. ad Marcellam §. 11. pag. 206. tom. 1.: *Eſt quidem ibi Sancta Eccleſia*, *ſunt trophæa Apoſtolorum*, *& Martyrum*.

(11) De Præſcript. Hæretic. cap. 32. pag. 213. & cap. 36. pag. 215. De Baptiſmo cap. 4. pag. 225. Et lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. pag. 415.: *Romani de proximo ſonent*, *quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt*. Et Scorp. cap. 15. pag. 500.

bare contendimus, firmiſſime aſſeverant. Itaque Calvinus ipſe Inſtitut. lib. 4. cap. 6. §. 15. *Propter Scriptorum conſenſum, non repugnat, quin Petrus Romæ mortuus fuerit, etſi Epiſcopum fuiſse, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeat.* (12) At ſi Scriptorum conſenſus effecit, ut non auderet Calvinus negare, Petrum fuiſſe Romæ, non video quid cauſſæ tamdem fuerit, cur ſibi etiam non perſuaderet, Epiſcopum ejuſdem Urbis fuiſſe. Nam qui Scriptores de Petri Romam adventu non dubitant, iidem de Epiſcopatu Petri Romano teſtantur. Id certe D. Auguſtino ſcribenti *contra Epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamenti*, cap. 4. ita perſuaſum fuit, ut fateretur, ſe eam etiam ob rem in Eccleſia Catholica conſtanter permanſiſſe, quod certam Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem uſque a D. Petro perſpectam & exploratam haberet. *Multa ſunt alia*, inquit, *quæ in ejus gremio me juſtiſſime teneant... Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* (13)

Nunc antequam adverſariorum argumenta refello, operæ pretium eſt adverſus eoſdem probare, D. Petrum epiſtola prima Romæ ſcripta nomine *Babylonis* Romam ſignificare voluiſſe. Ita ſane

(12) Apud Jodocum Coccium Theſauri Catholici tom. 1. lib. 7. art. 5. pag. 815.

Samuel Baſnagius in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis ad an. Dom. 64. §. 60. *Neque ulla umquam traditio fuit, quæ majore teſtium numero cingatur, ut de Petri adventu dubitari non poſſit, quin omnia hiſtoriæ fundamenta convellantur.*

(13) Idem S. Auguſtinus Contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 51. *Verumtamen ſi omnes per totum Orbem tales eſſent, quales vaniſſime criminaris, cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?*

ſane docet Papias Apoſtolorum diſcipulus, cujus verba ſupra recitavimus; ita S. Hieronymus De Viris illuſtribus cap. 8. (14) Beda, OEcumenius, (15) veteres novique fere omnes. Nec ullo modo de Babylone Ægypti, aut Chaldææ accipi poteſt ea Petri vox. Siquidem neque Scriptura, neque ullus veterum Hiſtoricorum tradit, Petrum in illis Urbibus fuiſſe, aut ibidem tunc temporis Eccleſiam extitiſſe, quæ vere dici Eccleſia poſſet. Ac de Babylone quidem, quæ eſt in Chaldæa, ſermonem non eſſe, colligitur ex Joſepho, qui lib. 18. Antiquit. Judaic. cap. 9. refert, Caii Auguſti ævo Hebræos omnes illic & in Aſſyria tota habitantes ad unum expulſos fuiſſe, & internecione deletos. Num igitur Ægypti Babylonem ſignificat? At obſcurus plane locus erat, nec Urbis nomine dignus. Huc accedit, quod cum multa Concilia firmata ſubſcriptionibus Epiſcoporum edita fuerint, nuſquam inter eos reperire licet Epiſcopum Babylonis Ægyptiacæ, niſi poſt annos amplius quadringentos, quo primum tempore in Actione prima Concilii Chalcedonenſis Cyrum ejus Urbis Epiſcopum fuiſſe, dicit ex Spanhemio Calmetus, vel poſt annos quingentos, quando ſub *Juſtino juniore primum nominatur Epiſcopus Babylonis in Ægypto Zoſimus Cilix apud Sophronium*, ut Baronius narrat. (16) Babylon

C igi-

(14) Tom. 2. pag. 829.: *Petrus in epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans:* Salutat vos Ecleſia, quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.

(15) Beda in primam Epiſt. Petri cap. 5. pag. 713. tom. 5. *Babylonem typice Romam dicit, videlicet propter confuſionem multiplicis Idololatriæ.*

Œcumenius in eandem epiſtolam cap. 8. pag. 526. tom. 2.: *Babylonem autem vocat Romam, eo quod inſignis ac præclara eſſet, quod & Babylon multo tempore habuit.*

(16) Calmetus in Diſſertat. *De itinere Romano S. Petri* præpoſita epiſtolis Canonicis. Baronius ad an. 45, §. 17.

igitur, unde ſcribit S. Petrus, neque in Chaldæa erat, neque in Ægypto, ſed in Italia, Roma nimirum, quam etiam Joannes in Apocalypſi cap. XVII. Babylonis vocabulo deſignat, interprete Tertulliano adverſus Judæos cap. 9. & Auguſtino lib. 18. de Civit. Dei cap. 22. Præterea qui evitandi periculi cauſſa latent, nomina obſcura, arcana & vulgo ignota uſurpare conſueverunt. Quod faciunt Reges plerumque, & exercituum Duces, qui ad occultandam ſententiam ſuam epiſtolas notis conſcribunt, quæ ſibi unis cum eo conveniunt, ad quem mittuntur. Quare cum S. Petrus ex Herodis Agrippæ manibus, quem amicum Claudii Imperatoris, & inimicum Chriſti Domini eſſe noverat, Angeli ope elapſus veniſſet Romam, ac timeret, ne forte epiſtola ſua tradita Gentibus, palam fieret, plurimos Romanorum Chriſto nomen dediſſe, atque inde contra ipſos perſecutionis cauſſa naſceretur, ut malum hujuſmodi provideret, locum texit, in quo cum multis Chriſtianis degebat, Romamque arcano & myſtico Babylonis vocabulo nuncupavit. Sic Paulus cum Timotheum certiorem faceret de liberatione ſua ab Neronis crudelitate, proprium ſceleſtiſſimi tyranni nomen reticuit, ſcribens ad eum, ſe *liberatum de ore Leonis*. (17) Quam ob rem Grotius, vir inter Proteſtantes magna commendatione famæ, annotat. in Epiſt. II. D. Petri: *De Babylone*, inquit, *diſſident veteres & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſse, nemo verus Chriſtianus dubitabit: novi Babylonem in Chaldæa. Ego veteribus aſsentior*. (18)

Jam

(17) Epiſt. 2. ad Timotheum cap. IV. 17.

(18) Tom. 8. Criticorum Sacrorum pag. 175.
Hieronymus lib. contra Joannem Hieroſolymitanum §. 3. alias epiſt. 61. cap. 1. pag. 409. tom. 2.

Sy-

Jam frivola & levia pertinacium Heterodoxorum argumenta convellamus. In divinis Litteris, inquiunt, non legitur Petrus fuiſſe Romæ. Belle enimvero, ſi ea omnia in dubium vocant, & negant, de quibus Scriptura ſacra non meminit, negent etiam, D. Petrum mortuum eſſe, quandoquidem Scriptura mortem ejus non commemorat.

Addunt, S. Paulum ſcribentem ad Romanos cap. XVI. multis ſalutem dicere, nullam D. Petro: quod officium Paulus non omiſiſſet erga conditorem atque Antiſtitem illius Eccleſiæ. Quid tum? Nonne Timotheus Epiſcopus erat Eccleſiæ

C 2 Ephe-

Synopſis Criticorum in 1. epiſt. Petri cap. 5. pag. 1540., & 1541. tom. 5.: *Hæc enim Babylon vocatur hic, ut & Apoc. 17. & 18. vel 1. propter confuſionem Idololatriæ, quæ tunc in ea vigebat, vel 2. propter ſimilitudinem magnificentiæ, frequentiæ, & amplitudinis imperii, peccatorum quoque, quæ tunt vigebant, vel 3. ut, ſi deprehenderetur epiſtola, non poſſet inde ſciri, quibus in locis viveret.... Congruentias plurimas inter Babylonem & Romam vide* Oroſii 2. 2. 3. 4.

Chriſtianus Lupus in Tertulliani librum de Præſcriptionibus contra hæreticos cap. 20. pag. 191. tom. 9. *Sententia* eorum, qui S. Petri verba *accipiunt de Babylone Aſſyriorum, in Opere de Sacerdotii ac Imperii concordia* lib. 6. cap. 1. §. 4. *placet etiam Domino Petro de Marca. Verum eſt ſuſpecta opinio. Ejus primus auctor videtur fuiſſe* Marſilius Patavinus, *qui pro* Ludovico IV. *Imperatore adverſus* Joannem XXII. *Pontificem, imo & adverſus Apoſtolicam Sedem turbidiſſime inſaniens ex iſtis laudatæ epiſtolæ verbis garrivit, S. Petrum numquam fuiſſe Romæ, ideoque Romanos Antiſtites non eſſe ejus in Epiſcopatu ſucceſſores. Nugaciſſimam fabulam elapſo ſæculo reſorbuit, & in ſeductas ſimpliciorum hominum animas evomuit* Joannes Calvinus. *Eſt fabula adeo frivola, ut hodierni* Calviniſtæ *de ipſa erubeſcant. Et jure merito. Etenim* S. Petrum *ſediſſe Romæ Epiſcopum, & iſtic ſub* Nerone *Principe fuiſſe crucifixum, omnes Patres Græci & Latini uno ore teſtantur & clamant. Eorum plures inſuper affirmant, laudatam epiſtolam eſſe Romæ ſcriptam, & per* Babylonem *intelligi almam Urbem. Vide Dominum* Nicolaum *Cardinalem* Cuſanum *in poſtremo capite ſecundi libri* de Catholica Concordantia pag. 772. & Baronium ad an. Ch. 45. §. 16. & 17.

Digitized by Google

Epheſinæ, & Jacobus Hieroſolymitanæ? attamen Paulus ad Epheſios ſcribens illum ſalvere non jubet, nec in ſua ad Hebræos epiſtola Jacobum adhuc ſuperſtitem ſalutat. Nonne fieri etiam potuit, ut Petrus Roma tunc abeſſet? Certe quidem D. Petrum Romæ non fuiſſe, cum Paulus ſcriberet ad Romanos, ſignificat Paulus ipſe epiſtolæ cap. I. 11. verbis illis: *Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos*. Nam ſi Romæ tum fuiſſet Petrus, Romanos idem confirmare potuiſſet. Non erat igitur Romæ Petrus, ideoque Paulus illuc ire ad eos confirmandos cupiebat, ne forte ſine Paſtore animos deſponderent, & perſecutioni ſuccumberent. Hinc Theodoretus in cap. 1. epiſt. ad Rom. ita ſcribit: *Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, neceſſario intulit, ad confirmandos vos*. S. Hieronymus quoque in eumdem Pauli locum, *Romanos*, inquit, *Petri prædicatione fidem tenentes confirmare ſe velle Paulus dicit, non quo minus accepiſſent a Petro: ſed ut duobus Apoſtolis teſtibus atque doctoribus eorum roboraretur fides*. (19)

At Commentarii in Epiſtolam ad Romanos non ſunt S. Hieronymi, ſed Pelagii, vel hominis certe Pelagiani. Id ego quoque permotus auctoritate Monachorum Congregationis S. Mauri (20) concedo libens; gaudeoque, adverſarios ſuis armis confoſſos, & nec opinantes mecum ſentire, non ſolum Catholicos, ſed etiam antiquos Hære-

re-

(19) S. Chryſoſtomus hom. 2. in Epiſt. ad Rom. pag. 437. tom. 9. *Petrus illic* (Romæ) *prædicavit*.

(20) Ejuſdem ſententiæ eſt Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. cap. 1. art. 31. num. VII. pag. 170. tom. 4. Pelagii Commentarii in Epiſtolas S. Pauli exſtant in Appendice Auguſtiniana quæ eſt in tom. 12. Operum S. Auguſtini edit. Antuerp. pag. 317. & in Tom. 8. Operum S. Hieronymi edit. Pariſien. an. 1643. pag. 161.

reticos perſuaſum habuiſſe, Romanam Eccleſiam fundatam a D. Petro; quamvis id Scriptura aperte non doceat.

Urgent adhuc, & nihil remittunt. Siquidem ex Actor. cap. XXVIII. 22. conſtat, Judæos, ubi Paulus Romam advenit, eum ſtatim rogaſſe, ut ſuam ipſis ſententiam de ſecta Chriſtianorum patefaceret: *Rogamus autem*, ajebant, *a te audire, quæ ſentis. Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur*. Bene habet. At nemo non videt, Judæos a D. Paulo petiiſſe, non ut ſibi Chriſti fidem traderet, quam jam acceperant a D. Petro, verum ut ſuam ipſe de ea opinionem aperiret: Cum enim ſcirent, Paulum eſſe Legis peritiſſimum, eum optabant de Chriſtiana religione, quæ odium & offenſionem Synagogæ incurrerat, diſputantem audire. Et quidem ſi Fidem Chriſti non tenuiſſent Romani, quomodo Paulus ad eos ſcripſiſſet: *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo?* (21)

Ne alia, utpote plena futilitatis, perſequar, tres inſuper habent cauſſas, cur Petrum numquam profectum eſſe Romam contendant. Primum quia Lucas in Actis Apoſtolorum non meminit de profectione ea: deinde quia Paulus ſcribens ad Galatas cap. II. 7. aſſerit, Petro demandatum *Evangelium Circumciſionis*, ſibi vero *creditum Evangelium præputii* ſeu Gentium, ideoque etiam Romanorum, qui erant Gentiles: demum quia non convenit de tempore, quo Petrus dicitur Romam veniſſe.

Ad primum quod attinet, idcirco S. Lucas profectionem D. Petri Romam non refert, quia ejus inſtitutum eſt geſta præſertim D. Pauli præceptoris ſui narrare, non vero aliorum Apoſto-

(21) Ad Romanos cap. I. 8.

lorum facta omnia ſingillatim deſcribere. (22) Sane poſt caput Actorum decimum ſextum Petri oblitus videtur. Quamquam nec ea omnia, quæ ſpectant ad D. Paulum, Lucas memoriæ prodidit. Etenim D. Hieronymus in cap. 2. ad Galat., ubi affert rationem, cur is non meminerit diſſidii, quod Antiochiæ interceſſit inter Petrum & Paulum de obſervandis *Legitimis*, ſcribit, *non mirum eſſe, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit*.

Tom. 7. pag. 404. Ad ſecundum reſpondet D. Hieronymus in cit. cap. 2. ad Galatas: *Occulta hic oritur quæſtio: Quid igitur? Petrus ſi inveniſſet ex gentibus, non eos adducebat ad Fidem? Aut Paulus ſi ex circumciſione aliquos reperiſſet, non eos ad Chriſti baptiſmum provocabat? Quæ ita ſolvitur, ut dicamus, principale ſingulis in Judæos & Gentes fuiſſe mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent quem ſequerentur, qui Legi gratiam præferebant, non deeſſet eis doctor, & prævius. In commune vero hoc eos habuiſſe propoſiti, ut Chriſto ex cunctis gentibus Eccleſiam congregarent. Legimus enim & a Sancto Petro gentilem baptizatum fuiſſe Cornelium, & a Paulo in Synagogis Judæorum Chriſtum ſæpiſſime prædicatum*. (23) Legimus etiam, Petrum a Deo electum, *ut per os ejus audirent Gentes verbum Evangelii*, & Paulum *converſum ad Gentes, quod Judæi, quibus oportebat primum loqui verbum Dei*, re-

(22) S. Joan. Chryſoſtomus in Acta Apoſtol. hom. 1. tom. 9. pag. 2.: *Maxima pars autem libri Pauli geſta ſunt, qui plus omnibus laboravit; cujus rei cauſſa eſt, quod is, qui hunc librum ſcripſit, Beatus Lucas, ejus eſſet diſcipulus: cujus virtutem tum ex aliis multis cernere eſt, tum maxime, quod doctori ſuo indeſinenter hæſerit*.

(23) Actor. cap. X. 47. cap. XIII. 14. & cap. XVII. 1. 2.

repellerent illud , & indignos ſe judicarent æternæ vitæ . (24)

Ad tertium quod ſpectat. Libenter do, hiſtoriæ falſitatem colligi ex Scriptorum diſſenſu, ſi in hiſtoriæ præcipuis capitibus diſſentiant: nego autem, ſi in circumſtantiis duntaxat quibuſdam non conveniant. Contingit enim aliquando, ut de facti veritate conſtet, de tempore autem, quo id factum eſt, haud compertum ſit. Quid certius Chriſti nativitate? quid morte? Quid tempore, quo natus, ac mortem paſſus eſt, incertius? (25) Similiter Chriſtum mortuum eſſe ſub finem Hebdomadum Danielis, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. At unde inchoandæ illæ ſint, ab Cyro ne, an ab Dario, an ab Artaſerxe Longimano, an ab Artaſerxe Memnone, magnum eſt inter Chronologos certamen. Itaque cum S. Petrum Romæ fuiſſe, & Romanam Eccleſiam conſtituiſſe omnis teſtetur antiquitas, variæ ac diſcrepantes de tempore, quo Romam advenit, ſententiæ profectam ab antiquis veritatem infirmare nullo modo poſſunt. (26)

(24) Actor. cap. XV. 7. & cap. XIII. 46.

(25) Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ cap. 1. & 13. De Chriſto Domino.

(26) Oroſius lib. 7. cap. 6. dicit, Petrum Romam veniſſe *exordio regni Claudii*. Euſebius in Chronico, S. Hieronymus De Viris illuſtribus cap. 1. *ſecundo Claudii*. Faſciculus Temporum *anno quarto Claudii*, alii ſeptimo, alii decimo tertio, alii initio regni Neronis, ut obſervat Honoratus a S. Maria tom. 1. Animadverſionum in Regulas & uſum Critices diſſertat. 3. art. 1. pag. 251.

Lactantius De mortibus perſecutorum cap. 2. ſcribit, Petrum Romam adveniſſe, *cum jam Nero imperaret*. Anaſtaſius quoque Bibliothecarius narrat, *Petrum ingreſſum in Urbem Romam ſub Nerone Cæſare*. Quem locum explicans Blanchinus in notis ad eumdem Anaſtaſium Bibliothecarium tom. 2. pag. 11. *Initio ſcilicet principatus Claudii Neronis Druſi filii*,

cujus ſtirpi tam familiare fuit cognomentum Neronum, *Sabina lingua* fortem *ſignificans teſtibus Svetonio & Gellio, ut Ode 4. lib. 4. Horatius bis vocet* Nerones *ejus agnatos*; *& filius Domitius aſcitus in gentem Claudiam* Nero *ſit appellatus, prout hic etiam nominatur lin. 8. vel ſi de Domitio Nerone intelligit, poſteriorem adventum Petri cum priore confundit.*

S. Leo ſerm. 80. cap. 4. pag. 164. tom. 1. ita alloquitur S. Petrum: *Nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut ſævitia Judæorum minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas?* ubi ad marginem adjicit Paſchaſius Queſnellus: *Petrus ſub Claudio Romam venit, ſub Nerone moritur.*

Eccleſia nullam ex his Epocham probat, aut improbat: hoc ſolum ponit pro certo, utpote traditum a Majoribus, D. Petrum Romæ fuiſſe, & Eccleſiam Romanam fundaſſe. Cujus rei memoriam quotannis celebrat XV. Kal. Febr. nomine *Cathedræ S. Petri Romæ. Eſt autem Romana Cathedra omnibus inſcripta Martyrologiis, Romano, Bedæ vulgato, Uſuardi, Adonis, Rabani, Notkeri, Bellini, & vetuſtiſſimo S. Hieronymi, aliiſque MSS. perantiquis*, ut eſt apud Bollandum die 18. Jan. tom. 2. pag. 182. §. 5., qui §. 6. ſubjicit, *eam ſolemnitatem, quæ Romæ (incertum quibus cauſſis) exoleverat, a Paulo IV. reſtitutam* fuiſſe.

P. Queſnellus in admonitione præpoſita ſermoni 96. S. Leonis credit, *uſque ad Pauli IV. decretum*, quod anno 1558. die 13. Jan. editum eſt, *unicam fuiſſe in Eccleſia ſolemnitatem VIII. Kal. Martias, qua utriuſque* (Cathedræ Romanæ, & Antiochenæ) *memoria, vel potius generaliter aſſumtio S. Petri ad Epiſcopatum honore debito celebratur. Ceterum*, ut ait Baronius ad an. 45. §. 11., *ipſa prima Pontificia Sedes Petri, Cathedra, inquam, lignea, dignum plane tantæ rei eximiumque monumentum, quam plurimis ſemper miraculis illuſtrata, a majoribus aſſervata, in ejuſdem Petri Baſilica Vaticana recondita hactenus cuſtoditur, & certis diebus populo viſenda exponitur.* Vide diſſertationem *De Romana Cathedra*, quæ inſerta eſt notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium tom. 4. pag. 150.

DIS-

DISPUTATIO IV.

De proximo ſucceſſore D. Petri, & Cleto diverſo ab Anacleto.

Linus, an Clemens proximus poſt Petrum Pontifex fuerit, diſcrepat inter veteres auctores. Tertullianus ideo Eccleſiam Romanam ab Apoſtolis originem trahere contendit, quod Clemens *Romanorum Epiſcopus a Petro ordinatus eſt*. (1) Eodem modo, ut ait Hieronymus, *plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putant fuiſſe Clementem*. (2) Id quod *dicunt aut innuunt* Scriptores alii tum Græci, tum Latini. (3) Hos ſecutus videtur Hieronymus ante annum 392. ſcribens alibi quidem *Clementem ſucceſſorem Apoſto-*

(1) De Præſcr. Hæretic. cap. 32. pag. 213.

Bencinus in Notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium tom. 2. pag. 46.: *Ordinatum quidem aſſerit Tertullianus a Petro Clementem, ſed non ſucceſſorem conſtitutum: quo modo Antiochiæ, ubi S. Ignatius etſi ordinatus dicatur a Chryſoſtomo, conſtans tamen eſt opinio, Evodium Petro Antiochiæ ſucceſſiſſe, non Ignatium.*

(2) His verbis S. Hieronymi in libro De Viris illuſtribus cap. 15. tom. 2. pag. 539. *notari S. Optatum, & S. Auguſtinum*, exiſtimat Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Tertullianum De præſcr. Hæret. cap. 32. tom. 9. edit. Venetæ pag. 264.

Bollandiani ad diem 26. Aprilis tom. 3. pag. 409. §. 2. *Quinam ſint hi* plerique Latinorum, *nemine uſpiam nominato, per aliquam conjecturam videmur poſſe aſſequi, ſi dicamus, fuiſſe antiquos Catalogos ſummorum Pontificum, quorum aliquem S. Hieronymus petiit a S. Damaſo, qui reſpondit, ſe ge*ſta Pontificum, quæ potuit reperire in Sedis ſuæ ſtudio, ad eum dirigere. S. Damaſi *deceſſor fuit* S. Liberius, cujus tempore contextum veterem Indiculum Romanorum Pontificum, *teſtis eſt Petavius lib. 5. Rationarii Temporum cap. 5., qui eum penes ſe habuit.*

(3) Apud Cotelerium in annotat. ad Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 7. cap. 46. pag. 387. num. 6.

ſtoli Petri, alibi vero *poſt Petrum Romanam rexiſſe Eccleſiam*. (4) Sed horum verborum ſenſum ſatis explicat idem Hieronymus in Libro De viris illuſtribus, ſeu Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem edidit anno 392., cap. 15., ubi de Clemente ſermonem inſtituit ex profeſſo. Ibi enim rejecta opinione Latinorum aperte tradit, Linum fuiſſe ſecundum Romæ Epiſcopum, tertium Anacletum, quartum Clementem. (5) Ab Hieronymo non diſſentit Epiphanius. Opinatur enim, Clementem, quem Petrus ſibi ſucceſſorem deſignaverat, (6) modeſtiæ cauſſa abiiſſe de jure ſuo, donec Linus & Cletus, qui Petri ipſius in Epiſcopali munere adjutores fuerant, alius poſt alium ad mortem uſque ſummi Pontificis perſonam ſuſtinerent. (7) Linus igitur proximus Petri

(4) Adverſus Jovinianum lib. 1. §. 12. tom. 2. pag. 257. In Iſaiam lib. 14. extremo cap. 52. tom. 4. pag. 612.

(5) Ejus verba hæc ſunt ex libro citato, tom. 2. pag. 839.: *Clemens, de quo Apoſtolus Paulus ad Philippenſes* cap. IV. 3. *ſcribens ait*: Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, *quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus: ſiquidem ſecundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem*.

(6) Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtorico ad Catalogum Pontificum Diſſertat. 4. §. 9. pag. 85. *Suſpicor autem cauſſam, ob quam* Petrus *præterito* Lino, *ſuo jam pridem Vicario in ſpem ſucceſſionis lecto, ipſe auctoritate propria ſucceſſorem deſignarit* Clementem, *non ſolum fuiſſe præcipua ejus merita: ſed etiam, quod Romani generis nobilitate ſublimis, plus gratiæ & auctoritatis collaturus videretur ad compeſcendum Gentilium contra Chriſtianos furorem nuper excitatum*: Clementem *e contra vel ideo magis ab eo gradu abſtinendum tunc ſibi crediditſſe, quod cum* Nero *nec intimis amicis, neque ſummis capitibus parceret, ipſe eo facilius eſſet in tyranni ac miniſtrorum ejus oculos odiumque incurſurus, quo majori eſſet inter Chriſtianos nomine conſpicuus*.

(7) En verba ipſa S. Epiphanii Hær. 27. §. 6. pag. 107.: *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter atque Epi-*

Epiſcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus. Poſt hunc Clemens: Neque vero miretur aliquis, quod ante ipſum in Pontificiam dignitatem alii Apoſtolis ſucceſſerint, cum Petri ac Pauli eſſet æqualis: iiſdem enim ille temporibus vixit. Verum illis adhuc ſuperſtitibus, impoſitis manibus Epiſcopus a Petro conſecratus, eaque detrectata provincia, ab omni adminiſtratione vacaverit: (ita enim in quadam epiſtola ſcripſit: Recedo, exeo, inſtet populus Dei, *nonnullis videlicet hoc modo conſulens: nam in quibuſdam commentariis ita ſcriptum reperimus) an potius ſecundum Apoſtolos ab Epiſcopo Cleto ſit conſtitutus, liquido non conſtat. Quamquam vel hac quidem ratione poterant viventibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet ac Paulo, Epiſcopi alii ſubrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias Urbes, regioneſque profectionem ſuſciperent, carere autem Epiſcopo Roma non poſſet. Siquidem Paulus in Hiſpaniam pervenit. Petrus vero Pontum ac Bithyniam ſæpenumero peragravit. Ac fieri ſane potuit, ut primum Clemente conſtituto, cum is defugeret: (ſi ita tamen contigit, quod ego opinando potius, quam aſſeverando dixerim) poſtea Lino, Cletoque mortuis, qui XII. annorum ſpatio ſingillatim Epiſcopatum obtinuerunt, poſt Apoſtolorum Petri, Paulique necem, quæ in annum Neronis XII. incurrit, tum demum Pontificatum capeſſere ſit coactus. Sed utcumque ſe ſe res habuerit, Romanorum Pontificum iſta ſucceſſio eſt. Petrus & Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Euariſtus, Alexander, Sixtus, Teleſphorus, Hyginus, Pius, Anicetus.*

Bellarminus De Rom. Pont. lib. 2. cap 5. pag. 304. & 305.: *Primus a Petro Pontifex non Clemens, ſed Linus fuit. Id ita eſſe colligimus primum ex Epiphanio Hær. 27., qui ex ſententia veterum tradit, a Clemente ſedem recuſatam, dum viverent Linus & Cletus. Deinde ex hac ipſa ambiguitate. Si enim abſque ulla contentione ſucceſſiſſet Petro Clemens, aut Linus, aut quicumque alius, nulla certe quæſtio de primo ſucceſſore Petri extitiſſet, quemadmodum de primo ſucceſſore Jacobi Hieroſolymis, & Marci Alexandriæ nulla umquam fuit quæſtio. Quia vero in Romana Eccleſia poſt Petri obitum ſancta contentio ex humilitate nata eſt, & unus fuit, & alter eſſe debuit primus ſucceſſor Petri, inde nonnulla obſcuritas in hanc ſucceſſionem invecta eſt. Atque ex his conciliari poſſunt Auctores, qui aut Clementem Lino, aut Linum Clementi anteponunt. Siquidem Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, dum aſſerunt Petro Linum proxime ſucceſſiſſe, verum aſſerunt, ſed non negant id factum eſſe, quia Clemens Epiſcopatum illum recuſaverat: porro Tertullianus, Hieronymus, Rufinus, & ceteri, qui Clementem a Petro ſucceſſorem relictum*

eſſe,

tri ſucceſſor fuit ex D. Hieronymo atque Epiphanio, quorum ſententia nititur auctoritate S. Irenæi, (8) Euſebii, (9) Theodoreti, (10)

eſſe, ſcribunt, rem veram narrant, ſed nec ipſi negant, Clementem eo tempore ſedem accipere noluiſſe.

Neque multum me movet, quod Pontificalis Damaſi, Sophronius, & Simon Metaphraſtes in Vita Lini dicunt, Linum ante Petrum obiiſſe. Nam Sophronius & Simon recentiores ſunt; Pontificalis vero liber, qui Damaſo tribuitur, dubiæ in hac re auctoritatis eſt. Auctores autem, qui Linum Petro ſucceſſiſſe ſcribunt, cum antiquiſſimi, tum etiam plurimi & probatiſſimi ſunt. Vide Baronium ad an. Ch. 69. §. 43., & annotat. 2. ad Vitam Lini, Pontif. II.

Petavius de Eccleſiaſtica Hierarchia lib. 1. cap. 10. pag. 701. tom. 3. Theologic. Dogmatum: Epiphanius *in Hæreſi* XXVII. *de hac ipſa Romana in Eccleſia Pontificum ſucceſſione accuratius diſſerens, ex Irenæi deſcriptione poſt Petrum, & Paulum ſediſſe Linum ait, poſt hunc, Cletum, deinde Clementem. Quem ſcribit Petri & Pauli tempore floruiſſe: neque tamen proxime ab illis ſedem obtinuiſſe, ſed quartum ordine, cujus rei cauſſas affert duas. Aut enim adhuc illis viventibus, impoſitione manuum accepta, uſum officii detrectavit, aut a Cleto demum ordinatus eſt.*

(8) Lib. 3. contra Hæreſes cap. 3. §. 3. pag. 176.: *Fundantes igitur & inſtituentes beati Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt... Succedit autem ei Anacletus: poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens... Huic autem Clementi ſuccedit Euariſtus, & Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſſime martyrium fecit: ac deinceps Hyginus; poſt Pius, poſt quem Anicetus. Cum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherus.* Vide Renatum Maſſuet in S. Irenæum lib. 1. cap. 27. pag. 105.

(9) Lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 2. pag. 57.: *Poſt Pauli, Petrique martyrium primus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum ſuſcepit Linus.* Et cap. 4. pag. 59.: *Linus primus poſt Petrum, ut ſupra jam diximus, Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum adeptus eſt:* Et cap. 13. pag. 70.: *Linus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, cum eam duodecim annis adminiſtraſſet, Anencleto deinde regendam tradidit.* Et cap. 15. pag. 70.: *Anencletus exactis in Epiſcopatu annis duodecim, ſucceſſorem reliquit Clementem.* Et cap. 21. pag. 73.: *Clemens Romanæ Eccleſiæ præſidebat, qui & ipſe ter-*

(10) S. Optati, (11) S. Auguſtini, (12) S. Proſperi. (13) Huc pertinet Romanæ Eccleſiæ Traditio, quam exhibet Martyrologium Romanum, ubi legitur primus poſt Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuiſſe Linus, ſecundus Cletus, tertius Clemens, quartus Anacletus. (14)

Num vero hic Anacletus idem ſit, atque Cletus, apud antiquiſſimos Scriptores pugna invenitur. Qui enim Cletum memorant, de Anacleto ſilent, & qui Anacletum recenſent, nullam de Cleto mentionem faciunt. Itaque res eſt obſcura, & difficiles explicatus habet. *Sed in his, quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, major fides eſt adhibenda* *ejus*

tertius a Paulo ac Petro inter Epiſcopos ejus Urbis promotionis ordine numeratur. Primus enim fuit Linus, ſecundus Anencletus.

(10) In epiſt. 2. ad Timotheum cap. IV. 21. tom. 3. pag. 506.: *Ferunt autem Linum magno Petro ſucceſſiſſe, & Romanorum Eccleſiæ poſt illum ſedem tenuiſſe.*

Zonaras in Annalibus tom. 1. pag. 430.: *Poſt Petrum primus Pontifex Linus fuit.*

(11) Lib. 2. De Schiſmate Donatiſtarum §. 3. pag. 28.: *Ergo Cathedram unicam, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus.*

(12) Epiſt. 53. alias 165. §. 2. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus... Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander.*

(13) In Chronico integro pag. 705.: *Poſt Petrum primus Romanam Eccleſiam tenuit Linus.* Pag. 706.: *Romanæ Eccleſiæ ſecundus conſtituitur Epiſcopus Cletus.* Pag. 707.: *Romæ tertius Eccleſiæ præfuit Clemens.* Pag. 708.: *Romanæ Eccleſiæ quartus Epiſcopus præeſt Euariſtus.*

(14) Die 23. Septembris pag. 431.: *Romæ S. Lini Papæ & martyris, qui proximus poſt B. Petrum Apoſtolum Romanam Eccleſiam gubernavit.* Et 26. Aprilis pag. 183.: *Romæ Natalis B. Cleti Papæ, qui ſecundus poſt Apoſtolum Petrum rexit Eccleſiam.* Et 23. Novembris pag. 528.: *Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius poſt B. Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuit.*

ejus alumnis , *quam ceteris*. (15) Non eumdem igitur eſſe Cletum, atque Anacletum ſatis ſuperque perſuadere crediderim antiqua Romanæ Eccleſiæ Martyrologia, Kalendaria, aliaque publica ejus monumenta , quæ Cletum diſtinguunt ab Anacleto , ut eſt apud Bollandum die 26. Aprilis tom. 3. pag. 410. & apud Schelſtratum in Antiquitate Eccleſiæ illuſtrata tom. 1. Diſſertat. 2. cap. 2. §. 8. Hæc monumenta, atque adeo acceptum a majoribus morem & inſtitutum ſequens Romana Eccleſia, nomine, patre, patria, rebus geſtis, mortis tempore alterum aſſerit eſſe diverſum ab altero, diverſoque anni die utriuſque memoriam hactenus celebrat, Cleti quidem VI. Kal. Maji, Anacleti autem ad III. Idus Julii. (16) Con-

(15) Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum die 26. Aprilis pag. 184.

(16) Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. extremo cap. 5. pag. 305.: *Ex eo, quod aliqui veterum Anacletum Clementi anteponunt, alii ſubjiciunt, colligit, duos fuiſſe, non unum*. Anacletum vero etiam Cletum appellari ſolitum, id ait eſſe argumento, *quod eumdem omnino Pontificem , quem Irenæus & Euſebius Anacletum vocant, Epiphanius, Hieronymus, Damaſus, & Miſſæ Canon Cletum nominat*. Subjicit , mirum non eſſe *propter nominis ſimilitudinem a veteribus quibuſdam ex duobus Anacletis unum eſſe factum, cum conſtet apud Græcos paſſim confundi Novatum cum Novatiano, cum tamen certiſſimum ſit, Novatum Carthaginienſem , Novatianum Romanum Presbyterum fuiſſe: & Euſebius, ac Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronicis ex Marcello & Marcellino unum fecerint, cum duos fuiſſe, certum & exploratum ſit*.

Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico apud Bollandum pag. 90. *Ceterum diſtinctionem* (Cleti ab Anacleto) *tam hi Catalogi, quam alibi a nobis producta antiquiſſima Martyrologia tam certam videntur facere, ut dubio locus ſupereſſe ægre poſſit. Dubitat tamen , imo abſolute negat diſtinguendos Natalis Alexander*, peritorum, *ut ait*, judicio *ſubnixus*. *In his Adrianus Valeſius eſt, Euſebii illuſtrator, eoque in ejus omnes ſententias juſto proclivior: qui etiam ad cap. 13. lib. 3. obſervat, Græcis omnibus* Ἀνέγκλητον, *Irenæo* Anencletum *dici*,

Contra primam hujus diſputationis partem afferri ſolet epiſtola Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ cap. 2. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 824. *Si autem Petrus princeps Apoſtolorum adjutores ſibi adſcivit Linum & Cletum, non tamen poteſtatem pontificii, aut ligandi aut ſolvendi eis normam tradidit, ſed ſucceſsori ſuo ſancto Clementi, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem, tradente ſibi beato Petro, tenere promeruit*, &c.

Primum dico, eam epiſtolam eſſe ſubdititiam, ut probat Baronius ad an. 572. §. 3. atque ex eo Natalis Alexander diſſertat. 14. in Hiſt. Eccl. Sæc. I. Deinde addo illud etiam, quod ſupra dictum eſt ex S. Epiphanio, & confirmat Gloſſa in Cap. *Si Petrus* 1. *Cauſa* 8. *quæſt.* 1. deſumtum ex memorata Joannis III. epiſtola ſuppoſititia, in hæc verba: *Patet quod Linus & Cletus non fuerunt Apoſtolici, & hoc eſt verum, quod poſt Petrum ſtatim non fuerunt Apoſtolici, ſed Clemens fuit poſt eum Apoſtolicus. Videns autem Clemens, quod hoc eſſet pernicioſum exemplo, quod aliquis ſibi eligeret ſucceſſorem, renuntiavit Papatui: & tunc electus fuit Linus: eo mortuo electus eſt Cletus: quo mortuo denuo fuit Clemens electus: & ſic Clemens ſecundum unam computationem fuit ſecundus, & ſecundum aliam fuit quartus: unde verſus*

Diſputat hic mundus, quartus fueritne ſecundus.

Quæ afferuntur contra ſecundam partem, paucis confutat Bollandianus Godefridus Henſchenius memorato die 26. Aprilis pag. 410. §. 7. Quod enim

ci, qui paſſim Latinis aliis Anacletus *eſt. Plura in eamdem ſententiam habet noſter Haloix, ubi de S. Irenæo: quem conſulat, cui id operæ pretium erit.* Huc ſpectat etiam diſputatio Anamenſis de Cleto & Anacleto apud eumdem Papebrochium pag. 91.

Cletus ex mutilato Anacleti vocabulo factus videtur Valeſio in cap. 13. lib. 3. Hiſt. Eccl. Euſebii Pamphili pag. 43.

enim in Epiſtola S. Ignatii ad Mariam Caſſiobolitem dicitur *Clemens ſucceſſiſſe Anacleto*, & in altera ad Trallianos legitur *Anacletus & Clemens miniſterium exhibuiſſe S. Petro*, id totum affirmat epiſtolis illis fuiſſe inſertum a poſteris, ideoque deſiderari in genuinis MSS. Græcis a Voſſio editis. Addere licet, epiſtolam ad Mariam Caſſiobolitem annumerari epiſtolis S. Ignatio ſuppoſitis, & epiſtolam ad Trallianos interpolatis. (17)

Quod vero ſpectat ad S. Irenæum, qui lib. 3. cap. 3. enumerans primos undecim Pontifices Romanos *Anacletum* omiſſo *Cleto* recenſet, & alios omnes, qui Irenæum ſecuti ſunt; item quod pertinet ad S. Epiphanium, qui *Cletum* nominat omiſſo *Anacleto*, dicit idem Henſchenius cum Baronio in Martyrologium Romanum ad VI. Kal. Maji, majorem fidem adhibendam eſſe alumnis Eccleſiæ Romanæ, quos ſupra produxit, quam externis, *cum hi veriti fuerint, ne ob ſimilitudinem nominum aberrarent*. (18)

Jam Lucii Dextri Chronicon, quod habet, *S. Anacletum vel Cletum ſucceſſiſſe Lino*, aſſerit, *plane ſuppoſititium eſſe, atque ex figmentis conſartum*, & potuiſſe auctorem ambigere, *quis prius ſederit ante Clementem, & quis huic ſucceſſerit*.

Denique Martyrologium a Roſvveido una cum Adone editum titulo Martyrologii *Veteris Romani*, in quo *Anacletus* tantum memoratur, docet pro *Vetere Romano* non admitti a viris eruditis, nec videri Bedæ & Uſuardi ætate innotuiſſe, cum hi *Cletum* Martyrologiis inſcripſerint. (19)

(17) Vide Cotelerii Patres Apoſtolicos tom. 2. p. 99. & 603.

(18) Vide Bolland. die 13. Jul. pag. 479.

(19) S. Cyprianus epiſt. 74. pag. 293. ait, *Hyginum Epiſcopum in Urbe nonum fuiſſe*: omiſſo videlicet Petro. Sic Irenæus lib. 1. cap. 27. pag. 105. dicit eumdem Hyginum ἔν-

ατ-

ἔνατον ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων: *nonum ab Apoſtolis*. Sic Epiphanius Hær. 41. §. 1. pag. 300., & Hær. 42. §. 1. pag. 302. ſcribit, eumdem Hyginum *a Petro Pauloque Apoſtolis nonum Eccleſiæ præfuiſſe*. Quo ordine numerum Pontificum Romanorum ineuntes iis favent, qui Cletum diverſum faciunt ab Anacleto. Sed vide quæ in citatum S. Irenæi locum annotavit Maſſuetus, & Cotelerius in Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 7. cap. 46. pag. 386.

DISPUTATIO V.

De S. Victore I. minitante anathema Aſianis, more Judæorum Paſcha celebrantibus.

ALtero Chriſti ſæculo, Victore I. Romanum Pontificatum adminiſtrante, *gravis controverſia exorta eſt, eo quod omnes per Aſiam Eccleſiæ, vetuſta quadam traditione nixæ, quartadecima Luna ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſse cenſebant, quo die præſcriptum erat Judæis, ut agnum immolarent : eaque omnino Luna, in quemcumque demum diem Septimanæ incidiſset, finem jejuniis imponendum eſse ſtatuebant : cum tamen reliquæ totius Orbis Eccleſiæ alio more uterentur, qui ex Apoſtolorum traditione profectus etiamnum ſervatur, ut ſcilicet non alio, quam Reſurrectionis Dominicæ die jejunia ſolvi liceat. Synodi ob id cœtuſque Epiſcoporum convenere : atque omnes uno conſenſu* ἐκκλησιαστικὸν δόγμα *Eccleſiaſticam regulam univerſis Fidelibus per Epiſtolas tradidere, ne videlicet ullo alio, quam Dominico die myſterium Reſurrectionis Domini umquam celebretur : utque eo dumtaxat die Paſchalium jejuniorum terminum obſervemus.* (1) Pontifices, *qui ante Soterem Eccleſiam gubernarunt, Anicetum dico, & Pium, & Hyginum cum Teleſphoro & Sixto, neque ipſi umquam* Aſianorum inſtitutum *obſervarunt : neque his, qui cum ipſis erant, ut id obſervarent, permiſerunt. Ipſi tamen cum hoc minime obſervarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad ſe veniſſent ex Eccleſiis, in quibus id obſervabatur : atque Eccleſiarum Presbyteris, qui id obſervabant, Euchariſtiam tranſmiſerunt.*

Et

(1) Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 23. pag. 154. Vide annotat. 2. ad S. Anicetum Pontificem XII.

Et cum beatiſſimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia; ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt: de hoc capite non magnopere inter ſe contendentes. (2) *Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere umquam poterat, ut obſervare deſineret, quippe qui cum Joanne Domini noſtri diſcipulo, & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuo obſervaſſet. Neque item Polycarpus Aniceto perſuadere conatus eſt, ut obſervaret, cum Anicetus eorum, qui ante ſe fuerant Presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret. Quæ cum ita ſe haberent, communicarunt ſibi invicem. Et Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſſa conceſſit: tandemque cum pace a ſe invicem diſceſſerunt: tam iis, qui obſervabant, quam illis, qui minime obſervabant, pacem communionemque totius Eccleſiæ retinentibus.* (3)

Parva porro controverſia, quæ de legitimo celebrandi Paſchæ die inter Anicetum Epiſcopum Romanum, & Polycarpum Antiſtitem Smirnæorum exſtitit, magna poſtmodum contentione inter Victorem I. ſummum Pontificem, & Epiſcopos Aſiæ, quibus præerat Polycrates Epiſcopus Epheſinus, diſceptata eſt. Cum enim Victor anno Chriſti circiter 198. habito Romæ Concilio decreviſſet, *Paſcha non quartadecima Luna primi*

 men-

(2) *Ex quibus apparet, Romanos Pontifices ad iſta uſque tempora Aſianorum conſuetudinem non improbaſſe, & primum omnium fuiſſe Victorem Papam, qui ſe Aſianis oppoſuerit, & Paſchatis diem juxta morem Eccleſiæ Romanæ obſervandum præſcripſerit, ac communionem ipſam denegandam Aſianis minatus ſit:* Schelſtratus in Antiquitate illuſtrata circa Concilia diſſertat. 1. cap. 3. §. 30. apud Rocabertum tom. XI. Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ pag. 43.

(3) S. Irenæus in epiſtola ad Victorem, *quam ſcripſit nomine fratrum, quibus præerat in Gallia*, apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. extremo cap. 24. pag. 156. & 157.

menſis, ſeu Martii, *ſed potius die Dominico poſt XIV. Lunam & vernale Æquinoctium occurrente, prout ab Apoſtolis traditum eſt, celebrandum eſſe:* (4) & Victoris decretum recepiſſent alia alibi congregata Concilia, Cæſarienſe in Palæſtina, (5) Lugdunenſe in Gallia, Ponticum, Oſroenum, Corinthiacum: (6) nihilominus Polycrates reprobatam ab ceteris Eccleſiis conſuetudinem Paſchæ celebrandi Luna XIV. in quemcumque hebdomadæ diem incideret, congregato ex Epiſcopis Aſiæ conventu mordicus retinuit, & miſſa ad Victorem Pontificem epiſtola Synodica *traditionem ad ſua uſque tempora propagatam expoſuit*. (7) Poſt hæc *Victor Urbis Romanorum Epiſcopus illico Aſiæ totius cum vicinis Eccleſiis provincias abſcindere, tamquam heterodoxas, a communi unitate conatur, & coarguit per epiſtolas non participes omnino omnes illic exiſtentes ſignificans fratres*. *Sed*

non

(4) Apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 596.
Beda Retract. in Act. Apoſt. cap. 20. *Conſtat, Apoſtolum Petrum Romæ die Dominico reſurrectionis Chriſti Paſcha celebraſſe; conſtat, hoc Evangeliſtam Marcum ab eo miſſum in Ægypto docuiſſe*.

(5) Acta hujus Concilii reperias apud Bedam Oper. tom. 2. in Lib. De Paſchæ celebratione, ſive de Æquinoctio vernali pag. 232. ex Beda apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 596., & ex *antiquis libris* apud Baluzium in Nova Collectione Conciliorum pag. 13.
Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 25. *Epiſcopi Paleſtinæ de traditione diei Paſchalis, quæ jam inde ab Apoſtolis ad ipſos continua ſucceſſione manaverat, multa in ſuis litteris diſſeruerunt*.

(6) De quibus Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 23. atque ex Euſebio Labbeus tom. 1. Conc. pag. 596. & 598. & Libellus Synodicus cap. 11. & quatuor ſequentibus apud Fabricium tom. XI. Bibl. Græcæ pag. 189. & apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 1494.

(7) Concilium iſtud a Victore reprobatum eſt, ut narrat Euſebius lib. 5. cap. 24. Fragmentum Synodicæ epiſtolæ Polycratis exſtat tum apud Euſebium, tum apud S. Hieronymum De Viris illuſtribus cap. 45. pag. 871. tom. 2.

non omnibus Epiſcopis hæc placebant. (8) Quæ Euſebii verba, quia haud clara omnino & aperta ſunt, ideo ambigitur, utrum Victor Aſianos re ipſa anathemate innodarit, an vero id conatus ſolum atque interminatus fuerit. Magis placet eorum ſententia, qui exiſtimant Pontificem non proceſſiſſe ultra minas. Etenim Euſebius dicit: Ἀποτέμνειν τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται: *abſcindere a communi unitate conatur*. Præterea Irenæi & aliorum Epiſcoporum, quibus id diſplicebat, epiſtolæ ad Victorem ſatis oſtendunt, anathema adverſus Aſianos adhuc in ſuſpenſo fuiſſe, & ſine effectu. Euſebius ſiquidem ita ſcribit de litteris Irenæi ad Victorem: *Victorem decenter admonet, ne inte-*

 gras

(8) Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24., cujus locum ad verbum de Græcis curavi exprimere fidus interpres. Græca ſunt: Ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν τῆς ῥωμαίων προεστὼς Βίκτωρ, ἀθρόως τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα ταῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας ἀποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξούσας, τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται. Καὶ στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφούς. Ἀλλ᾽ οὐ πᾶσί γε τοῖς Ἐπισκόποις ταῦτ᾽ ἠρέσκετο.

Joannes Chriſtophorſonus interpretatur hoc modo: *His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat, totius Aſiæ Eccleſias cum aliis finitimis tanquam alterius fidei & opinionis ſimul omnes (ut complectar brevi) a communi unitate Eccleſiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invehitur: atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorſus a communione ſecludendos edicit.*

Itaque Chriſtophorſonus Græci textus vim magis aſſecutus videtur, quam Valeſius, qui verba illa: Καὶ στηλιτεύει γε; &c. ita vertit: *Datiſque litteris univerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ alienos eſſe pronunciat*. Etenim verbum στηλιτεύειν non ſignificat *proſcribere*, ſed *notare*, *invehi*. Hinc S. Gregorii Nazianzeni Orationes adverſus Julianum Imperatorem inſcribuntur στηλιτευτικοὶ, *invectivæ*. Neque vox ἀκοινωνήτους ſignificat *alienos*, ſed potius *ſecludendos*; ſeu quod ipſos Victor ab Eccleſiæ unitate ſecludere cogitaret, ſeu quod ipſi ſe ab ea ſecluderent, ejuſque ſocietatem reſpuerent, ſchiſma excitantes. Nomen enim ἀκοινώνητος in partem utramque accipi poteſt.

gras Dei Eccleſias morem ſibi a majoribus traditum cuſtodientes a communione abſcindat. (9) *Nondum ergo abſciderat, ſed ictus adhuc librabatur. Nec ultra progreſſum Victorem exprimit Euſebius, quin Irenæo mox gratulatur, ut ſui nominis augurium non fallenti, ut pacificatori,* εἰρηνοποιῷ, *ut pacis Eccleſiarum legato.* (10) Nempe ejus hortatu Victor initum de anathematizandis Aſianis conſilium abjecit. Sane Euſebii orationi hanc ſubjectam eſſe ſententiam, docet Nicephorus Calliſtus, qui eum fere compilavit, & S. Hieronymus. Ille quidem dicit Victorem *ſumſiſſe conſilium* removendi Aſianos ab Eccleſiæ communione: hic autem *damnandos credidiſſe*: neuter re vera damnaſſe. (11) Quid

(9) Euſebius lib. 5. cap. 24. pag. 156.

Photius in Bibliotheca cod. 120. pag. 302.: *Victor ea tempeſtate Romæ Pontificium tenuit: quem crebris litteris hortatus eſt Irenæus, ne ob Paſchatis diſſenſionem ab Eccleſia aliquos abdicaret.*

Sfondratus in Gallia Vindicata diſſertat. 4. §. 1. num. 4. pag. 716. *Nota, quamvis plurimi Hiſtorici Eccleſiaſtici, videl. Euſebius, Irenæus, Nicephorus, Hieronymus, Photius aliique hujus rei meminerint, nullus eorum tamen ſcribit, Epiſcopos Victori hanc poteſtatem negaſſe, ſed tantum hortatos eſſe, ut pacis cauſſa nimia ſeveritate temperaret. Et temperavit quidem Victor, ſed ejus ſententia contra omnium Aſianorum & Synodi Epheſinæ* (a Polycrate & Epiſcopis Aſiæ Proconſularis celebratæ, ſed reprobatæ a Victore, ut legere eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 24.) *Decreta omnino vicit, ac Nicæno Concilio confirmata eſt.* Vide annotat. 6. ad vitam S. Silveſtri I. Pontif. XXXIV.

(10) Ludovicus Thomaſſinus Diſſertationum in Concilia tom. 1. diſſertat. 1. §. 18. pag. 13.

(11) Nicephorus lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 38. pag. 339. tom. 1.: *Victor vero litteris ejuſcemodi acceptis, extemplo Aſiæ, eique finitimas Eccleſias, veluti alienum atque diverſum dogma propugnantes rejicere, & ab unitate Catholica arcere in animo habebat. Quam ob cauſſam & ſubito litteras conſcripſit, quibus illos publice notabat, omneſque ſimul a communione prohibebat. Atque ille quidem ejuſcemedi ſuſceperat conſilium.*

Ve-

Quid quod Firmilianus in epiſtola ad S. Cyprianum Romanos carpit his verbis? *Eos autem, qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare, quæ ſint ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat eſſe apud illos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt.* (12) At ab Eccleſiæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſſet, ſi Victor Aſianos Epiſcopos, qui Hebræorum more Feſtum Paſchæ agebant Luna XIV. Martii, anathemate damnaſſet. Non igitur damnavit, ſed terrorem anathematis ac minas duntaxat illis oppoſuit.

Qui aliter ſentiunt, teſtimoniis utuntur S. Epiphanii, Socratis, Nicolai I. Pontificis, & Libelli Synodici. S. Epiphanius Hær. 70. §. 9. pag. 821. *Polycratis*, (13) *& Victoris ætate cum Orien-*

 ta-

Verum id aliis, qui cum eo erant, Epiſcopis minus placuit. Itaque illum ſunt adhortati, ut benignius per conſilia pacata de eis, qui idem fidei prædicarent dogma, ſtatueret.

S. Hieronymus de Viris illuſtribus cap. 35. pag. 862. tom. 2., ubi de S. Irenæo: *Feruntur ejus & aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum de quæſtione Paſchæ Epiſtolæ: in quibus commonet eum non facile debere unitatem collegii ſcindere. Siquidem Victor multos Aſiæ & Orientis Epiſcopos, qui decima quarta Luna cum Judæis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat. In qua ſententia hi, qui diſcrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.*

Idem extremo cap. 45. hæc ex Polycratis epiſtola ad Victorem verba refert: *Non formidabo eos, qui nobis minantur;* ſeu ut eſt apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24. pag. 156.: *nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.*

(12) Epiſt. 75. inter epiſtolas S. Cypriani pag. 303.

(13) *In Græco textu legitur* Πολυκάρπυ, *errore manifeſto,*

cum

tales ab Occidentalibus divulſi pacificas a ſe invicem litteras nullas acciperent. Sed quis non videt, ſignificare Epiphanium, Orientales ab Occidentalibus non fuiſſe ſeparatos communione, ſed diſcrepaſſe inter ſe opinione tantum & conſuetudine contraria, ob diverſam celebrandi Paſchæ rationem? unde factum, ut priſtina inter eos caritas frigeſceret, & uſus litterarum pacificarum paulatim defineret. (14) Nimirum turbata aliquatenus inter Orientales & Occidentales pax eſt, ſublata vero penitus Victoris ætate non eſt. Quocirca Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 19. narrat, totam controverſiam compoſitam fuiſſe ex communi Orientalium & Occidentalium conſenſu. (15)

Ad

cum duodeviginti & amplius annis ante Victoris Pontificatum Polycarpus martyrium obiiſſet, ut colligitur ex Euſebio lib. 4. cap. 15.: Natalis Alexander diſſertat. 5. in Hiſt. Eccl. ſæc. II. art. 5. in margine pag. 375. tom. 3.

(14) Quid eſſent litteræ pacificæ, exponitur annotat. 1. ad S. Sixtum I. Pontif. VIII.

(15) Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 19. pag. 595.: Σοφώτατα δέ πως οἶμαι καταλῦσαι τὴν συμβᾶσαν πάλαι περὶ ταύτης φιλονεικίαν τοὺς ἀμφὶ Βίκτωρα τὸν τότε τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον, καὶ Πολύκαρπον τὸν σμυρναῖον· ἐπὶ γὰρ οἱ πρὸς δύσιν ἱερῆς, οὐκ ᾤοντο δεῖν Παύλου καὶ Πέτρου τὴν παράδοσιν ἀτιμάζειν· οἱ δὲ ἐκ τῆς ἀσίας Ἰωάννῃ τῷ εὐαγγελιστῇ ἀκολουθεῖν ἰσχυρίζοντο· Τοῦτο κοινῇ δόξαν, ἕκαστοι ὡς εἰώθεσαν ἑορτάζοντες τῆς πρὸς σφᾶς κοινωνίας οὐκ ἐχωρίσθησαν. Εὔηθες γὰρ καὶ μάλα δικαίως. ὑπέλαβον, ἐθῶν ἕνεκεν ἀλλήλων χωρίζεσθαι, περὶ τὰ καίρια τῆς θρησκείας συμφωνοῦντες. *Sapientiſſime autem puto diſſolviſſe contingentem olim de hoc* (Paſchæ feſto) *controverſiam Victorem Romæ Epiſcopum, & Polycarpum Smyrnæum. Etenim qui ad Occidentem Sacerdotes non putabant oportere Petri & Pauli traditionem antiquare: qui autem ex Aſia Joannem Evangeliſtam ſequi confirmabant. Hoc communiter placuit, ut ſinguli, ſicut conſueverant, feſtum celebrantes a mutua communione non ſepararentur. Stultum enim, nec immerito exiſtimabant, conſuetudinum cauſſa ab ſe invicem ſeparari, in præcipuis religionis capitibus conſentientes.*

Diſ-

Ad Socratem quod attinet, is lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 22. de hac controverſia ſermonem inſtituens, ſcribit in hunc modum: *Quod vero jam inde a priſcis temporibus ex uſu potius, quam ex lege obſervatio iſta profluxerit, res ipſæ declarant. Etenim in Aſia minore plurimi antiquitus quartum decimum diem obſervarunt, neglecto Sabbati die. Quod dum facerent, numquam tamen ab illis, qui alio modo Paſcha celebrabant, ſeſe abjunxerunt: donec Victor Romanæ Urbis Epiſcopus immodico iracundiæ ſuccenſus æſtu Quartadecimanis, qui in Aſia erant, excommunicationis libellum miſit.* Miror profecto, adverſarios non intelligere, poſtrema verba hæc non eſſe Hiſtorici ſimpliciter narrantis vera, ſed obloquentis atque evomentis virus acerbi-

Diſſimulandum non eſt, inquit Petrus de Marca lib. 3. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 9. §. 4., cui ſuffragatur Pagius ad an. 196. §. 2., *errorem irrepſiſſe in textum Sozomeni in* Polycarpi *nomine; cum lectio integra remanſerit in nomine* Victoris. *Legendum eſt* Polycratem, *qui error eſt proclivis*. Vox enim Πολύκρατον littera ρ poſt α poſita, atque τ in π ob ſimilitudinem facile mutata, potuit nullo fere negotio in Πολύκαρπον converti. Id quod videtur probabilius, quam quod ſine ulla probatione affirmat Baſnagius ad an. Dom. 190. extremo §. 11. *certo certius eſſe, memoriæ lapſu nomen* Victoris *loco* Aniceti *a Sozomeno fuiſſe poſitum*. Nec vox *Smyrnæum* aliquid *adjumenti afferre poteſt opinioni contrariæ*, ut obſervat Baluzius ad locum citatum Petri de Marca. *Certum enim eſt ex Euſebio lib. 5. cap. 24. & Hieronymo in lib. De Viris illuſtribus, iſtic agi de Polycrate Epiſcopo Aſiæ, quem Epheſinum propterea vocant Hieronymus, & Nicephorus Calliſtus lib. 4. cap. 37. Euſebium deſcribentes. Polycratem autem vixiſſe ſub Pontificatu Victoris ambigi non poteſt. Quare neceſſe eſt e libris Sozomeni tollere in hoc loco nomen* Polycarpi Smyrnæi, *quod per oſcitantiam, ut ſæpe contingit, Sozomeni, aut illius, qui Sozomeni hiſtoriam exſcripſit, irrepſit pro nomine* Polycratis. *Ei enim, qui commutaſſet hæc nomina, facile ac proclive fuit addere mentionem Epiſcopatus Smyrnenſis poſt nomen* Polycarpi *viri celeberrimi. Maneat ergo fixum conſtanſque, certam eſſe emendationem illuſtriſſimi Archiepiſcopi.*

bitatis ſuæ. Socrates quippe homo Novatianus, ac Novatianorum fautor, quorum plerique Paſcha celebrabant Luna XIV. vel ſequente Dominico die, (16) id ſcripſit, ut Victori invidiam conflaret. Porro Socratem fuiſſe Novatianum, colligitur cum ex cap. 19. lib. 6. ubi narrat, S. Joannem Chryſoſtomum *merito ſuiſse depoſitum, eo quod multas Novatianorum, & Quartadecimanorum Eccleſias invaſiſset*; tum multo etiam clarius ex cap. 21. in quo Chryſoſtomi vocem illam: *Licet millies pœnitentiam egeris, accede: redarguens, ſe procul dubio eadem cum Siſinnio tum Novatianorum Epiſcopo, qui eo argumento adverſus eumdem Joannem Chryſoſtomum librum conſcripſit, ſenſiſse abſque ul a ambiguitate declarat*. (17) Jure igitur ac merito Photius in Bibliotheca cod. 28. pag. 18. *Stilus illi non admodum ſplendidus, ſed nec in dogmatibus valde accuratus eſt*. Quis igitur Socratem ducem

(16) Socrates lib. 5. cap. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 18. pag. 594.: *Quartadecimani quidem quartadecima die ſimul cum Judæis feſtivitatem celebrant, unde etiam hanc appellationem ſortiti ſunt. Novatiani vero reſurrectionis diem celebrant. Judæos tamen ipſi quoque ſequuntur, & in idem recidunt cum Quartadecimanis*. Vide Baronium ad an. 57. §. 198. ad an. 370. §. 124. ad an. 389. §. 52. ad an. 391. §. 19. & Queſnellum diſſertat. in S. Leonem 6., quæ eſt De jejunio Sabbati in Eccleſia Romana §. 9. & ſeqq.

(17) Baronius ad an. 56. §. 27.

Idem Præfat. in Annales Eccleſiaſticos ad Lectorem. *Claudicat æque veritas in Socrate ſectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eadem tincto fuligine*.

Nicephorus Calliſtus lib. Hiſt. Eccl. cap. 1. pag. 35.: *Cognomine quidem, ſed animo minus* καθαρός, *id eſt* purus, *Socrates*. Et lib. 6. cap. 37. pag. 436. *Socrates qui & ipſe ex Novatianis res Eccleſiaſticas ſcripſit*. Et lib. 9. cap. 13. pag. 700. tom. 1.: *An vero ille* (Euſebius) *certo in pietatis ſinceritate ſit, ſicut iſte*, (Socrates) *qui quidem Novatianus eſt, dicit, id accurate certoque occulta omnia perſpicienti Deo relinquendum*.

çem ſequatur in iis, quæ pertinent ad Novatianos?

Neque vero nobis officiunt verba illa Nicolai I. *Deinde cum Aſiani omnes inter ceteros, Evangeliſta Joanne auctore, quarta decima Luna cum Judæis putarent Paſcha celebrandum; hos præſul meritis & nomine Victor a communione collegii ſeparavit.* (18) Primum enim videtur Nicolaus idcirco ſcripſiſſe ab Victore ſeparatos Aſianos *a communione collegii*, quia per aliquod tempus litteras pacificas ad illos non miſit, non quia illos anathematizaverit. Deinde auctoritas Nicolai, qui Socratis, opinor, narratione deceptus eſt, hac quidem in re tanti fieri debet, quanti dignitatis haud tantæ ſcriptoris teſtimonium. Neque enim quæcumque ſcribunt aut dicunt Romani Pontifices, continuo oracula ſunt Apoſtolicæ Sedis.

Libellus Synodicus cap. 8. apud Harduinum tom. 5. Conc. p. 1494. & apud Labbeum to. 1. Conc. pag. 600. hæc habet de Synodo Epheſina Polycratis: *Victor autem Romanorum Eccleſiæ ſanctiſſimus Papa excommunicationem mittit Polycrati, qui huic præfuerat Synodo.* Sed, præterquamquod *potuit Socrates auctori Libelli Synodici imponere*, (19) incertus ac recens eſt ejus Libelli ſcriptor. Namque, ut obſervat memoratus Harduinus pag. 1492., *in MS. Regio 2951. fol. 219. ejus auctor dicitur* Κύριλλος ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων, & *Germano Conſtantinopolitano tribuitur apud le Moyne tom. I. pag.* 68. Allatius item lib. I. De Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione cap. 13. §. 21. dubium eſſe Synodici auctorem ſignificat, & cap.

27.

(18) Epiſt. 9. ad Michaelem Græcorum Imperatorem apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 541.

(19) Ludovicus Thomaſſinus Diſſert. 1. in Synodos de die Paſchæ §. 18. tom. 1. Diſſertationum in Concilia pag. 13.

27. §. 1. aſſerit, *confictum temporibus Photii*. Conſentit Tillemontius, qui agens de S. Irenæo art. 4. pag. 83. tom. 3. dicit Libellum illum collectum fuiſſe ſæculo ad ſummum nono. Non debet igitur incerti & recentis Scriptoris Libellus auctoritate ſcriptores probatos vincere.

Denique Blaſtus (nam etiam hoc opponunt adverſarii) non ea ſolum de cauſſa anathemate confixus eſt, quod propugnaret Paſcha celebrandum eſſe Luna XIV., ſed præſertim quod eos, qui illud celebrarent Dominico die proxime ſequente Lunam XIV. averſaretur tamquam alienos ab Fide Catholica, ac *latenter Judaiſmum vellet introducere*, (20) *& quam plurimos ab Eccleſiæ gremio abſtraxiſset*, (21) atque poſtea *in errorem Valentini abreptus fuiſset*. (22) At vero Aſiatici nihil hujuſmodi moliti ſunt. Conſuetudinis quidem, quam habebant pro Traditione Apoſtolica, fuerunt retinentiſſimi, numquam tamen eo pervicaciæ devenere, ut aſſererent non licere Paſcha celebrari, niſi Luna XIV. more Judæorum: Fidem inſuper Catholicam ſervarunt integram, atque ex illis plures claruerunt fama ſanctitatis. (23)

(20) Auctor additamenti ad Librum Tertulliani De Præſc. Hæretic. cap. 53. pag. 223.: *Eſt præterea his omnibus etiam Blaſtus accedens, qui latenter Judaiſmum vult introducere. Paſcha enim dicit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundum legem Moyſi XIV. menſis*.

(21) Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 15. pag. 145.

(22) Idem Euſebius cap. 20. pag. 152.

Theodoretus lib. 1. Hæretic. Fabul. cap. 23. pag. 209. tom. 4.: *Sed & Florinus & Blaſtus presbyterorum in albo Romæ conſcripti in Valentini peſtem declinarunt*. Vide memoratum auctorem additamenti ad Tertullianum de præſcr. Hæretic. cap. 49. 51. & annotat. 2. ad S. Hyginum Pontif. X. & vitam Victoris I. Pontif. XV.

(23) Controverſia de die legitimo celebrandi Paſcha ad Eccleſiæ diſciplinam, non ad Fidem pertinebat: ideo licuit ſal-

ſalva fide diſceptari. Utraque pars ſententiam ſuam defendebat traditione Apoſtolica: at nemo ignorat, eſſe Traditiones Apoſtolicas tum ad Fidem, tum ad diſciplinam pertinentes; illas eſſe eaſdem ſemper, & ubique, has diverſas eſſe pro temporum ac locorum diverſitate. Quare Apoſtolica Traditio de celebratione Paſchæ alia in Oriente, alia in Occidente eſſe potuit, licuitque Orientalibus ſervare morem ſuum, donec Eccleſiæ Romanæ auctoritate abrogaretur. Vide annotat. 2. ad S. Anicetum Pontif. XII.

Tertullianus De Virginibus velandis cap. 1. pag. 173.: *Regula quidem Fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis... Hac lege Fidei manente, cetera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque ad finem gratia Dei.*

DIS-

DISPUTATIO VI.

De primo Imperatore Chriſtiano.

PHilippus ne, an Conſtantinus Magnus primus omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuerit, haud ſatis convenit. Qui hanc laudem tribuunt Conſtantino, clarioribus teſtimoniis uti videntur. Nam Lactantius, qui claruit anno Chriſti 303. quinquaginta circiter annis poſt mortem Philippi, ita compellat Conſtantinum initio libri primi De falſa religione: *Quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine Imperator Maxime: Qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majeſtatem Dei ſingularis ac veri & cognoviſti & honoraſti*. Narrat idem & Ambroſius in Oratione De obitu Theodoſii, ubi hæc de eodem Conſtantino verba loquitur: *Quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*. (1) Conſentit cum Ambroſio Paulinus ejuſdem ſæculi ſcriptor Natali XI.

Nam Conſtantinus proprii cum conderet Urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret. (2)

Eodem modo Sulpicius Severus, qui anno quadringenteſimo duos Hiſtoriæ Sacræ libros publicavit, lib. 2. cap. 33. *Tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Chriſtianorum Principum Chriſtianus fuit*. Cum Latinis facit etiam Græcus Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccl. extremo cap. 39. *Ante Conſtantini Maximi principatum, quot-*

(1) Operum tom. 2. pag. 1209.
(2) Apud Muratorium tom. 1. Anecdotorum pag. 26.

quotquot Romani Imperatores fuerunt, adverſus pietatis cultores furere non deſtiterunt. (3)

Eorum, qui referunt, primum Romanorum Imperatorum Chriſto nomen dediſſe Philippum, agmen ducit Euſebius lib. 6. cap. 34. *Hunc* (Philippum) *habet fama Chriſtianum exiſtentem in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in Eccleſia* (Antiochena) *participem ſimul cum reliquo populo fieri voluiſſe:* (4) *Sed Epiſcopum* (S. Babylam), *qui tunc Eccleſiæ* (Antiochenæ) *præerat, non prius illi aditum permiſiſſe, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque, qui humanitus lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſe ſe adjunxiſſet*. Euſebius, ut nemo non videt, ſolam famam laudat, tam ficti tenacem, quam veri nunciam: neque ſa-

(3) Auctor ſupparis ævi Monachus in Vita S. Pachomii cap. 1. apud Bollandum die 14. Maji pag. 396. tom. 3. *Cum finem accepiſſet perſecutio, regnavit Conſtantinus Magnus Imperatorum Romanorum primus Chriſtianus.*

Epiphanius Diaconus Act. 6. Concilii Nicæni II. anno Chriſti 787. celebrati apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 406. *A temporibus iſtis* (nempe prædicatione Apoſtolorum) *uſque ad Conſtantinum Imperatorem, qui primus ex Chriſtianis regnavit, tranſierunt anni quaſi trecenti, cum prius tyrannidem pagani exercerent.*

Conſtantinus Porphyrogenitus, qui anno Ch. 911. in Oriente Imperium occepit, in lib. De adminiſtrando Imperio cap. 10. pag. 53. edit. Venetæ: *Quando Deus Conſtantinum illum Magnum Imperatorem effecit, qui primus Chriſtianorum imperium tenuit.* Ex his, inquit Pagius ad an. 244. §. 5., *ſatis quilibet percipere poteſt, jamdiu Euſebii errorem animadverſum fuiſſe, & Conſtantinum Magnum primum Imperatorem Chriſtianum agnitum.*

(4) Rufinus in ſua interpretatione Euſebii lib. 6. cap. 25. pag. 149. ait, Philippum veniſſe ad Eccleſiam *in die Paſchatis, id eſt ipſis vigiliis, ut intereſſet & communicaret myſteriis*, quod dici non poteſt niſi de eo, qui baptizatus fuerit. Sed Græcus Euſebii contextus Rufini interpretationem evertit. Eſt enim hujuſmodi, Philippum τῶν ἐπὶ ἐκκλησίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι: *precationum in Eccleſia tum multitudine participem eſſe voluiſſe.*

ſatis apparet, utrum ambigat de Philippi in Chriſtum fide, an de ejus pœnitentia, ponens pro certo, eum Chriſtianorum ſacris initiatum. De illa potius, quam de hac Euſebius dubitaſſe videtur, ſecutus Dionyſium Alexandrinum, quem, lib. 7. cap. 10. refert, hæc dixiſſe de Valeriano Imperatore: *Neque ullus ſuperiorum Principum, ne illi quidem ipſi, qui palam* (5) *Chriſtiani fuiſſe dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia Chriſtianos complexus eſt, quantam ille* (Valerianus) *præſeferebat initio Principatus ſui*. Nimirum *Dionyſius de Imperatoribus illis hoc tantum dicit, quod dicti & exiſtimati fuerint Chriſtiani, non autem quod re ipſa Chriſtiani extiterint*. (6) Præterea ſi Euſebius Philippi fidem in Chriſtum exploratam habuiſſet, non ſcripſiſſet in Vita Conſtantini lib. 4. cap. 62., eum *ſolum ex omnibus, qui umquam fuerunt, Imperatoribus in Chriſti martyriis* (7) *renatum & conſummatum eſſe*. Etenim ſi Philip-

(5) Dionyſius Alexandrinus loquitur de Philippo Imperatore: igitur ſi Philippus fuit Chriſtianus, fuit aperte & coram omnibus, non clam & occulte, ut contendit Huetius lib. 1. Originianorum cap. 3. §. 12., & Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. Sæc. III. cap. ult. §. 10. tom. 3. pag. 617.

(6) Valeſius in annotat. ad hunc locum pag. 130., ubi etiam docet, ab Dionyſio indicari Philippum Imperatorem. *Sed cum Dionyſius in plurali numero loquatur, Philippo adjungi poſſe Alexandrum Severum, qui imaginem Chriſti habuit in larario ſuo, teſte Lampridio, & toto principatus ſui tempore Chriſtianos fovit, & conſervavit, ut ab Euſebio relatum eſt ſupra*. Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ, De Chriſto Domino cap. 21.

(7) Id eſt Eccleſiis. Euſebius lib. 4. De Vita Conſtantini extremo cap. 40. *Martyrii* nomine appellat Templum, *quod ſingulari ſtudio ac magnificentia Hieroſolymis conſtruxerat* Salvatori Conſtantinus. Vvalafridus Strabo De rebus Eccleſiaſticis cap. 6. tom. 15. Bibl. Patr. pag. 184. *Martyria vocantur Eccleſiæ, quæ in honore aliquorum Martyrum fiebant: quorum ſepulchris & Eccleſiis honor congruus exhibendus in Cano-*

lippus *exiſtens Chriſtianus* confeſſionem peccatorum inſtituit, & in pœnitentium ordine ſtetit, non ſolus, neque ideo primus fuit Conſtantinus, qui ſacro renatus eſt fonte baptiſmatis. (8)

E Chry-

nibus decernitur. Vide Auguſtini Touttee annotat. ad S. Cyrilli Catecheſ. XIV. pag. 207. & Baronium ad an. Ch. 57. §. 127.

(8) Abulpharajus in Hiſtoria Dynaſtiarum pag. 80. *Philippus Cæſar. Annos ſeptem imperavit. Bene Chriſtianis fecit, & ad credentium conſortium admittei deſideravit: dixit autem ipſi Epiſcopus*, Non licet tibi Eccleſiam ingredi, donec a vetitis abſtinueris, & una uxore ex iis, quæ tibi propinquitate conjunctæ non ſunt, contentus fueris. *Solebat autem tempore precum accedens extra Eccleſiam ſtare cum illis, qui religioni initiabantur, nec adhuc de ea loquerentur*. Hic videtur credidiſſe, Philippum fuiſſe Catechumenum duntaxat, ac nondum baptizatum. Et vero Catechumeni vocabantur etiam nomine Chriſtianorum, ut eſt in extremo can. 7. Concilii Conſtantinopolitani I. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 952.: & confeſſionem peccatorum inſtituebant, ut docet Tertullianus De baptiſmo cap. 20. & Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 1. ad baptizandos §. 5., & pœnitentiæ addicebantur, ut legitur in can. 13. Concilii Nicæni I. apud eumdem Lab. tom. 2. pag. 48.

Verba Concilii Conſtantinopolitani ſunt: *Primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio die exorcizamus ſive adjuramus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando. Et ſic eos catechizamus ſive initiamus, & curamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus*. Eodem modo eſt in Can. 95. Concilii Quiniſexti apud Labbeum tom. 5. pag. 1181.

Verba Tertulliani: *Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptiſmum Joannis*.

S. Cyrilli Hieroſolymitani: *Tempus præſens eſt tempus confeſſionis. Confitere quæ perpetraſti ſive verbo, ſive opere, ſive nocte, ſive die*.

Concilii Nicæni: *Placuit hoc ſancto & magno Concilio de Catechumenis, qui lapſi ſunt, ut tribus annis inter Audientes verbum ſint tantummodo, poſt hæc vero orent cum Catechumenis*.

Au-

. Chryſoſtomus quoque lib. in S. Babylam contra Julianum & Gentiles §. 5. & 6. indicat, Philippum fuiſſe Imperatorem illum, quem Babylas aditu Ecleſiæ prohibuit. Quod enim ibidem narrat, Imperatorem, cujus nomen ſilet, Regis cujuſdam parvum filium obſidem violato jure divino humanoque occidiſſe, eamque ob cauſſam Templo excluſum a S. Babyla; id videtur convenire in Philippum, qui, ut Imperium occuparet, Gordianum viginti circiter annos natum interfecit. Verum id, quod ſcribit S. Chryſoſtomus, neque de Philippo, quantum ſcio, neque de Imperatore alio traditur, & ejus *libri argumentum eſt hiſtoria Martyrii S. Babylæ Epiſcopi Antiocheni declamatorio more narrata, tropis redundans, in qua plerumque veritatem deſideres*. (9)

Primum quidem *omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianum fuiſſe* Philippum aperte dicit memoratus Euſebius in Chronico juxta interpretationem D. Hieronymi. (10) Sed Hieronymus *verſionem ſuam additamentis maxime in Romana hiſtoria hinc inde interpolavit*. (11) Itaque ſic ſcripſit exi-

Audientes autem dicti ſunt Pœnitentes publici ſecundæ claſſis, quod audita oratione, quæ ante ſacram Liturgiam fieri ſolebat, ſimul cum Catechumenis ejicerentur.

(9) Bernardus de Montfaucon Admonitione ad duos S. Chryſoſtomi ſermones in S. Babylam Epiſcopum Antiochenum & martyrem, tom. 2. Operum S. Chryſoſtomi pag. 530., ubi addit, *Quod de Pœnitentia, deque Chriſtianiſmo Philippi ab Euſebio narratur, non quaſi certum, ſed ceu a quibuſdam auditum narrari*.

Huetius, qui Philippum facit Chriſtianum, dicit Euſebium *ex incerta auditione* loqui duntaxat de Philippi pœnitentia.

(10) Ad an. Domini 247. tom. 8. Operum S. Hieronymi pag. 747.

(11) Gulielmus Cave in Hiſtoria Litteraria in Euſebio pag. 113.

Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca lib. 5. part.

exiſtimans ex Origenis epiſtola ad Philippum, quæ tunc exſtabat, eum in numero Fidelium fuiſſe. Namque in lib. De Viris illuſtribus, in Origene cap. 54.: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Chriſtianus fuit, & ad matrem ejus litteras fecit, quæ uſque hodie exſtant.* Has tamen epiſtolas nec vidit, nec legit Hieronymus: alioquin non ad Philippi matrem, ſed ad uxorem ejus ab Origene ſcriptam Epiſtolam alteram animadvertiſſet. Quandoquidem Euſebius lib. 7. cap. 36. *Exſtat*, inquit, *ejus epiſtola ad Imperatorem ipſum Philippum, & altera ad conjugem illius Severam.* (12) Primam ex his legiſſe videtur Vincentius

part. 2. cap. 4. pag. 34. & in Bibliographia Antiquaria cap. 7. pag. 167.: *Latine vertit, & Vincentio cuidam ac Gallieno inſcripſit* Hieronymus, *ita ut hinc inde ex Latinis præcipue Scriptoribus quædam adderet.*

S. Hieronymus Præfatione in Chron. Euſebii pag. 7. & 8. tom. 8. *Sciendum eſt, me & interpretis, & ſcriptoris ex parte officio uſum, quia & Græca fideliſſime expreſſi, & nonnulla, quæ mihi intermiſſa videbantur, adjeci, in Romana maxime hiſtoria, quam Euſebius hujus conditor libri, non tam ignoraſſe, utpote eruditiſſimus, quam ut Græce ſcribens, parum ſuis neceſſariam perſtrinxiſſe, mihi videtur.*

Idem Euſebius in eodem Chronico ad an. Dom. 248., pag. 746. & 747.: *Regnantibus Philippis milleſimus annus Romanæ Urbis expletus eſt; ob quam ſolemnitatem innumerabiles beſtiæ in Circo magno interfectæ, ludique in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, celebrati.* Vel hæc ſcripſit Euſebius, vel addidit Hieronymus. Si primum, Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica loco citato noluit ſignificare, Philippum fuiſſe Chriſtianum, ſi ſecundum, Hieronymus ſecum pugnat. Ea enim, quæ alteruter verbis recitatis deſcripſit, nihil habent moris Chriſtianorum, ſed meram redolent ſuperſtitionem Ethnicorum.

Modum ludorum exponit Zoſimus Hiſtor. lib. 2. cap. 5. pag. 126. edit. Cellarii.

(12) Pagius ad an. 244. §. 7.: *Euſebius non aſſerit, ſe eas epiſtolas legiſſe, & ſi vere Philippus, ejuſque conjux litteras illas acceperint, non inde magis ſequitur, eos Chriſtianos fuiſſe, quam Antoninum Imperatorem Evangelio crediddiſſe, quod ad*

tum

tius Lirinenſis: ait enim *Chriſtiani magiſterii auctoritate conſcriptam*. (13) Atque hæc fortaſſe epiſtola eidem Lirinenſi, & Hieronymo occaſionem dedit inferendi Philippum Chriſtianis, quamvis index ſit favoris duntaxat & ſtudii, quo Philippus Chriſti doctrinam proſequebatur. Quo ex favore factum etiam eſt, ut idem S. Hieronymus paullo poſt ſcriberet: *Perſecutio adverſum Chriſtianos ſub Decio conſurrexit, eo quod in religionem Philippi deſæviret, quem & interfecit*.

Quid multa? ab uno, crediderim, Euſebio acceperunt quicumque Græci ac Latini edunt, Philippum Catholicam religionem ſuſcepiſſe. Suſcepiſſe autem ante ludos ſæculares anno Urbis Conditæ 1000. Chriſti 247. ex Latinis Oroſius lib. 7. cap. 28. his verbis docuit: Philippus *Chriſtianus ad hoc tantum conſtitutus fuiſſe mihi viſus eſt, ut milleſimus Romæ annus Chriſto potius, quam idolis dicaretur*. *Ita*, ut idem Oroſius ſuperiore cap. 20. *ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis* (Urbis Romæ) *annus a Chriſtiano Imperatore celebratus eſt*. *Nec dubium eſt, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Chriſtum & Eccleſiam reportarit, quando vel aſcenſum fuiſſe in Capitolium, immolataſque ex more hoſtias, nullus auctor oſtendit*. Hoc vero perperam & injuria memoriæ proditum ab Oroſio. Nam ſpectacu-

la

cum S. Juſtinus Martyr ſcripſerit. Et paucis interjectis: *Nec etiam major fides Hieronymi de converſione Philippi Imperatoris loquentis, quam cum in lib.* De Script. Eccleſ. *de Seneca ſcribit:* Quem non ponerem in catalogo Sanctorum, niſi me illæ epiſtolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. Vide noſtram Hiſtoriam Apoſtolicam in D. Paulo, ad Interrogationem poſtremam.

(13) Commonitorii cap. 17. pag. 343. *Sed & ejuſdem* (Origenis) *epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad Philippum, qui primus Romanorum Principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani magiſterii auctoritate conſcripſit*.

la Chriſtianis vetita (14) ad Chriſtum & ad Eccleſiam reportare Philippus non debuit; immolatas autem ex more hoſtias teſtatur Aurelius Victor in libro De Cæſaribus cap. 28., ubi dicit, Philippum *ludis omnium generum*, ideoque etiam ſacris, quibus falſa numina colebantur; *annum Urbis milleſimum celebraſſe*; *& Pontificum lege hoſtias mactatas*. Idem Victor eodem loco queritur, ætate ſua *annum milleſimum centeſimum nullis, uti ſolebat, ſolemnibus frequentatum*; aperte oſtendens, more priſco & ſolemni celebratum ætate Philippi, & nihil de antiquis cæremoniis imminutum. (15) Julius etiam Capitolinus in Gordiano tertio cap. 33. aſſerit; omnia ſpectacula data fuiſſe in

E 3 lu-

(14) *Horum occaſione ſcriptum putant a Tertulliano librum* De ſpectaculis, *& illum* De Idololatria, *quibus plane declarat, rectam Chriſtianæ religionis inſtitutionem abhorruiſſe admodum ab iſtiuſmodi ſpectaculis a Gentilibus edi ſolitis: divinamque ultionem illos expertos eſſe addit; qui præter inſtitutum iiſdem non vererentur eſſe præſentes*: Baronius ad an. 206. §. 4.

(15) Ecce integrum locum Aurelii Victoris ex citato libro de Cæſaribus cap. 28. *Marcus Julius Philippus Arabs Thraconites, ſumto in conſortium Philippo filio rebus ad orientem compoſitis; conditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere: extructoque trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat, annum Urbis milleſimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit; noſtra quoque ætate poſt mille, centeſimus; Conſule Philippo, exceſſit, nullis, uti ſolet, ſollemnibus frequentatus: adeo in dies cura minima Romanæ Urbis. Quod equidem denuntiatum illo tempore prodigiis portentiſque. Ex quis unum memorare brevi libet. Nam cum Pontificum lege hoſtiæ mactarentur; ſuis utero maris feminarum genitalia apparuere.* Ex quibus apparet, ut ait Pagius ad an. 247. §. 7., *in ludis ſæcularibus Philippi ſuem impuriſſimum animal mactatum fuiſſe exemplo Severi Imperatoris, qui in ſuis ſæcularibus ludis porcam immolarat, ut ex ejus Numiſmatis conſtat.*

Idem Victor in Epitome cap. 28. *Patrem* (Philippum) *ludis ſæcularibus petulantius cachinnantem* (Philippus filius) *quamquam adhuc tener vultu notavit averſato.*

ludis editis a Philippo. *Fuerunt*, inquit, *ſub Gordiano Romæ elephanti* XXX. *&* II. *quorum ipſe* XII. *miſerat, Alexander decem, alces* X. *tigres* X, *leones manſueti* LX.... *& cetera hujuſmodi animalia, innumera & diverſa: quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Perſicum. Sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit ſæcularibus ludis, & muneribus atque circenſibus, cum milleſimum ab Urbe condita annum in conſulatu ſuo, & filii ſui celebravit*. Quid eſt more majorum celebrare ludos, ſi hoc non eſt? Id quod vidit etiam Baronius, qui non vult, Philippum ante ludos ſæculares, ſed ludorum tempore Ethnicam ſuperſtitionem abdicaſſe, quamvis id velit ſecutus Acta S. Pontii, quæ nullam habent auctoritatem. (16) Errat igi-

(16) *Baronium ad Euſebii opinionem tuendam præcipue pertraxiſſe videntur Acta* S. Pontii *Martyris, a Baluzio poſtea ex tribus Codicibus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ* lib. 2. Miſcell. pag. 124. & ſeqq. *publicata, & a Bollando ad diem XIV. menſis Maji, quo colitur: in illis enim dicitur, S. Pontium utrumque Philippum ad fidem Chriſtianam convertiſſe*: Cumque gratia individua in eis eſſet, tertio Imperii eorum anno, expleto milleſimo anno a conditione Romæ, cum Diis ſuis ſacrificandum pergere vellent, dicunt B. Pontio: Eamus, & repropitiemus nobis Deos Magnos, qui nos in iſtius milleſimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. *Paullo poſt Valerius Contubernalis S. Pontii, cui vita illa attribuitur, refert, Pontium, poſtquam utrumque Imperatorem Chriſtianum feciſſet, advolaſſe ad Fabianum Urbis Romæ Epiſcopum, ea, quæ a ſe geſta eſſent, narraſſe, additque*: In initio templum, quod Magnum vocabant, ex juſſione Imperatorum arripientes S. Fabianus, & Beatiſſimus Pontius, confringentes omnia ejus ſculptilia, ſimul cum templo funditus ſubverterunt. Ita factum eſt, ut omnis populus ad notitiam Domini noſtri Jeſu Chriſti cum alacritate & gaudio concurreret, ut baptiſmatis unda perfuſi Domino benedicerent. *Bollandus in Comment. prævio ad Acta illa num.* 2. *ait*: Cenſemus, ea quoad ſubſtantiam hiſtoriæ indubitanter recipi poſ-

gitur Oroſius negans, *aſcenſum fuiſſe ab Philippo Capitolium, immolataſque ex more hoſtias*. Ejus tamen error ſtat adverſus eos, qui Philippum occulte, & clam Ethnicos, Chriſtianum fuiſſe putant. Etenim aperte & palam omnibus Fidem Chriſti profeſſus eſt, ſi neque hoſtias immolavit, neque in Capitolium aſcendit. Quibus ex rebus conjici licet, Conſtantinum potius, quam Philippum, primum ex Romanis Imperatoribus Chriſto nomen dediſſe. (17)

poſſe, eſto num. 9. & alibi grandior aliqua auxeſis inveniatur, ubi de Templorum deſtructione, & populi Romani converſione ſub Philippis Chriſtianis Imperatoribus ſit mentio. *Verum ex verbis illis longe poſt S.* Pontii *martyrium ea Acta ſcripta fuiſſe, & Scriptori coætaneo affiĉta palàm evincitur: quod cum intelligeret Baronius, dicit, ſe ſe putare, ea verba ab aliquo potius fuiſſe addita, & in illis ejuſdem Pontii Actis apud Mombritium ea deſiderari. At ea eſſe Auctoris Actorum, non vero alicujus Interpolatoris, demonſtrant editiones Baluzii, & Bollandi ad fidem MSS. concinnatæ. Ex illis itaque Actis nihil hanc in rem erui poteſt*. Pagius ad an. 244. §. 6.

(17) Julius Capitolinus in Gordiano III. extremo cap. 31.: *Denique Philippus cum eum* (Gordianum) *interfeciſſet, neque imagines ejus tollere, neque ſtatuas deponere, neque nomen abradere, ſed Divum ſemper appellans etiam apud ipſos milites, cum quibus factionem fecerat, ſerio animo & peregrina calliditate veneratus eſt*. Hæccine nota eſt Chriſtiani?

Eutropius in Breviario Hiſtoriæ Romanæ lib. 9. cap. 3.: *Ambo deinde ab exercitu interfecti ſunt: ſenior Philippus Veronæ, Romæ junior: inter Divos tamen relati ſunt*. Tam igitur veriſimile eſt, Philippum Chriſtianis annumerandum, quam probabile, Chriſtianum Divum numero additum.

Aurelius Victor De Cæſaribus cap. 29.: *Uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſime conſultavit*.

Lampridius in Alexandro Severo cap. 24.: *Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod poſtea Philippus fecit*. Sunt iſta quidem Chriſtiano Principe digna, haud tamen probant, Philippum fuiſſe Chriſtianum.

DISPUTATIO VII.

De S. Stephano I. baptiſmum hæreticorum approbante.

VEnerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginienſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atque inſtituta majorum, rebaptizandum eſſe cenſuit. Quæ præſumtio tantum mali invexit, ut non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. (1) Sa-

(1) Vincentius Lirinenſis Commonitorii cap. 6. pag. 322. Cyprianus epiſt. 71. pag. 274.: *Quod quidem* (decretum de rebaptizandis hæreticis) *& Agrippinus bonæ memoriæ vir cum ceteris Coepiſcopis ſuis, qui illo in tempore in provincia Africa & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit; & librato conſilii communis examine firmavit.*

Auguſtinus De baptiſ. contra Donatiſtas lib.2. cap. 7. §. 12.: *Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi. Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi.*

Voſſius diſputat. 19. de Baptiſmo Theſi 3. pag. 323. *Concilium Agrippini, cum baptizandos decrevit eos, qui ab hæreticis eſſent baptizati, ſine dubio hæreticos illos intellexit, adverſus quos tunc temporis pugnaret Eccleſia; atque in primis in Africa. Erant iſti Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quintillianiſtæ, & ſimiles, qui monſtroſas plane opiniones de Deo, & Chriſto ſpargebant, nec, ut loquuntur, vel explicite, vel implicite baptizare poterant in nomen Trinitatis, cum eam non crediderint: ut ex iis, quæ Tertullianus, Epiphanius, Auguſtinus, alii de iis tradunt, manifeſtiſſime cognoſcitur.*

Sed fallitur Voſſius, primum quia S. Cyprianus ſenſum, opinionemque deceſſoris ſui ſecutus omnium indiſcriminatim hæreticorum baptiſma rejiciebat: deinde quia Agrippini & Cy-

Sane Agrippini deceſſoris ſui veſtigia ſecutus D. Cyprianus *omnes*, *qui ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam converterentur*, *Eccleſiæ unico & legitimo baptiſmo baptizandos* exiſtimavit, (2) idque ratum fecit tribus Synodis Carthagine celebratis, (3) qua-

Cypriani ſententiam tamquam falſam univerſa damnavit Eccleſia; quod injuria feciſſet, ſi vera eſſet Voſſii conjectura: jure enim iteratur baptiſmus, haud inſtituta a Chriſto forma collatus: poſtremo quia licet hæretici a Voſſio enumerati monſtroſas opiniones traderent, incertum tamen eſt num omnes formam baptiſmi adulterarent. *Synodus* quippe *Nicæna omnes hæreticos ſuſcipit*, *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*, ut ſcribit S. Hieronymus extremo dialogo adverſus Luciferianos §. 26.

(2) Extrema epiſt. 74. ad Pompejum pag. 298.

Auguſtinus lib. 3. De bapt. contra Donatiſtas cap. 12. §. 17.: *Ideo autem* non ſe novam aut repentinam rem *ſtatuiſſe B. Cyprianus oſtendit*, *quia ſub Agrippino fieri jam cœperat*. Anni ſunt, *inquit* (epiſt. 73. pag. 279.) multi & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt. Itaque Controverſiam ab Agrippino excitatam primus Cyprianus cum Pontifice Stephano agitavit, & hoc eſt, quod dicit Euſebius lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 3. pag. 205.. Hanc vero longam ætatem, & annos multos in paucos contrahit Auguſtinus lib. 4. De bapt. cap. 6.: *Conſuetudinem* (non rebaptizandi hæreticos) *tam robuſtam Cyprianus invenit*, *ut cum ejus mutandæ auctoritatem*, *quam ſequeretur*, *vir tanta ſcientia præditus quæreret*, *non niſi in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini Concilium reperiret*. *Quod cum ſibi adverſus totius orbis morem non ſufficere cerneret*, *has rationes arripuit*, *quas modo nos antiquitate ipſius conſuetudinis*, *& plenarii poſtea Concilii auctoritate firmati*, *diligentius conſiderantes*, *veriſimiles potius*, *quam veras eſſe invenimus*.

Honoratus Tournely de ſacramentis in genere quæſt. 7. art. 2. pag. 186. & Petrus Couſtant tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 219. opinantur, Cyprianum ab Euſebio loco mox citato fieri auctorem primum *non ſententiæ de baptizandis hæreticis*, *ſed controverſiæ ea de re inter Afros ac Romanos Pontifices natæ*.

(3) De his Synodis Labbeus tom. 1. Conc. pag. 761. 763. & 786. Harduinus tom. 1. Conc. pag. 154. 157. & 159.. Primæ Anno 254. celebratæ meminit S. Cyprianus epiſt. 71. ad

Quin-

quarum alteram ad Stephanum *direxit*, ut ſi fieri poſſet, hunc in ſententiam ſuam pertraheret: *ſed conatus ejus fruſtra fuit*. (4) Nam *Stephanus ſimilem Cornelio* (deceſſori ſuo) *de non rebaptizando ſententiam tulit*, (5) *& non ſolum non rebaptizandos hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos eſſe cenſuit, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt*. (6) *Ecce duo erant eminentiſſimarum Eccle-*

Quintum. Altera habita eſt anno ſequenti 255. eique interfuerunt Epiſcopi *numero ſeptuaginta unus*, teſte eodem S. Cypriano epiſt. 73. ad Jubajanum pag. 277. Tertia item anno 255. celebrata eſt. Vide Baronium ad an. 258. §. 17. 27. & 42.

(4) S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos §. 23. tom. 2. pag. 196.

(5) Rufinus lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 3. qui ſuperiori cap. 2. ita ſcribit: *In Urbe vero Roma* Cornelio *Epiſcopatum gerente, & apud Carthaginem* Cypriano, *ambobus fide, virtute, pietate præſtantibus, quæſtio exorta eſt in Africæ magis partibus*, ſi oporteret hæreticos rebaptizari. *Cumque id a* Cypriano, *& ceteris pene omnibus per Africam Sacerdotibus oportere fieri decerneretur*, Cornelius, *& ceteri omnes per Italiam Sacerdotes hujuſmodi decretum, manente Sacerdotali concordia, refutarunt ſtatuentes antiquitus a Patribus ſuper hoc traditam regulam debere ſervari, quæ continebat, poſt abjectionem pravi, & confeſſionem recti dogmatis ſola eos manus impoſitione purgandos*.

(6) Epiſt. 74. ad Pompejum pag. 296. ubi de Stephani decreto ita loquitur: *Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum Sacerdotes Dei, veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat?*

S. Auguſtinus lib. 5. De bapt. contra Donatiſtas cap. 25. §. 36. *Stephanus etiam abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere conarentur*.

Et quidem Stephanum anathematis metum duntaxat objeciſſe Cypriano & Africanis, Firmiliano & Aſianis, affirmant ex recentibus Bellarminus lib. 1. de Conc. extremo cap. 10. Valeſius annotat. ad Euſebium lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 5. Schelſtratus Part. 2. Antiquitatis illuſtratæ circa Concilia diſſertat. 1. cap. 5. art. 2. Natalis Alexander Diſſertat. 12. in Hiſt. Eccl. ſæc. III. art. 1. E contrario & Cyprianum cum Afri-

cleſiarum, *Romanæ ſcilicet*, *& Carthaginienſis Epiſcopi Stephanus & Cyprianus*, *ambo in unitate Catholica conſtituti: quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat*, *& hoc facientibus graviter ſuccenſebat*: *Cyprianus autem in hæreſi*, *vel ſchiſmate baptizatos*, *tamquam non habentes baptiſmum Chriſti*, *baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat*. *Multi cum illo*, (7) *quidam cum iſto etiam ſentiebant*, *utrique cum eis in unitate conſiſtentes*. (8) *Sed tamen præ ceteris* Cypriano non con-

Africanis, & Firmilianum cum Orientalibus ab Stephano amotos communione Fidelium, exiſtimant Rigaltius in notis ad epiſt. Firmiliani 75. inter Cyprianicas, Chriſtianus Lupus in Schol. ad can. 22. *Dictatus* Gregorii VII. pag. 362. tom. 5. Baſnagius ad an. Dom. 256. §. 9. Baronius autem ad an. 258. §. 15. 16. 44. 46. 50., aliique dicunt, Stephanum manſiſſe quidem in communione Cypriani, Firmiliani vero non item. Vide annotat. 5. ad Stephanum I. Pontif. XXIV.

(7) Idem Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 3. §. 3. dicit, fuiſſe *tot millia Epiſcoporum*, *quibus hic* Cypriani & Firmiliani *error in toto orbe diſplicuit*. Et lib. 2. contra Gaudentium cap. 8. aſſerit, Stephani fuiſſe *innumerabiles toto orbe collegas*, *qui ejuſdem ſententiæ participes erant*.

(8) S. Auguſtinus De unico baptiſmo contra Petilianum cap. 14. §. 23.

Idem Auguſtinus lib. 6. de bapt. contra Donatiſtas cap. 1. *Nec ob aliud illis temporibus*, *quando iſta quæſtio contra veterem conſuetudinem diſputantibus ſalva caritate*, *atque unitate altercantibus diſcutiebatur*, *viſum eſt quibuſdam etiam egregiis viris antiſtitibus Chriſti*, *inter quos præcipue B. Cyprianus eminebat*, *non eſſe poſſe apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptiſmum Chriſti*, *niſi quia non diſtinguebatur Sacramentum ab effectu*, *vel uſu Sacramenti*. *Et quia ejus effectus atque uſus in liberatione a peccatis & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur*, *ipſum quoque Sacramentum non illic eſſe putabatur*. Quocirca idem S. Doctor lib. 4. de bapt. cap. 17. §. 24. Cypriano objicienti: *Salus extra Eccleſiam non eſt*, reſpondet. *Quis negat? Et ideo quæcumque ipſius Eccleſiæ habentur*, *extra Eccleſiam non valent ad ſalutem*. *Sed aliud eſt non habere*, *aliud non utiliter habere*. *Qui non habet*, *eſt baptizandus ut habeat*: *qui autem non utiliter habet*, *ut utiliter habeat*, *corrigendus*.

conſenſit, atque adeo *reſtitit Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, dignum, ut opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum Fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in epiſtola; quæ tunc ad Africam miſſa eſt; his verbis ſanxit:* NIHIL NOVANDUM NISI QUOD TRADITUM EST: (9) atque ita contrarium omnino decrevit ſententiæ D. Cypriani *apud hæreticos vel ſchiſmaticos datum Chriſti baptiſmum nolentis agnoſcere*; (10) *Intelligebat enim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur: noſque religionem non qua vellemus ducere; ſed potius qua illa duceret; ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis; non ſua poſteris tradere; ſed a majoribus accepta ſervare.* (11)

Sunt nihilominus qui ſanctum hunc & prudentem virum redarguant, quaſi *hæreticorum baptiſmum admiſerit quemcumque*, ſicut *Cyprianus hæreticorum baptiſmum rejiciebat quemcumque*: (12) Verum quam

(9) Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 6. pag. 323.

(10) S. Auguſtinus Lib. De unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 13. §. 22.

Idem lib. 1. De Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 18. num. 28.: *Antequam plenarii Concilii ſententia quid in hac re ſequendum eſſet; totius Eccleſiæ conſenſio confirmaſſet; viſum eſt ei* (Cypriano) *cum ferme octoginta coepiſcopis ſuis Africanarum Eccleſiarum, omnem hominem, qui extra Eccleſiæ Catholicæ communionem baptizatus fuiſſet, oportere ad Eccleſiam venientem denuo baptizari.*

(11) Memoratus Lirinenſis loco citato.

(12) Launojus lib. 8. epiſt. 15. §. 4. tom. 5. part. 2. pag. 743.

Baſnagius ad an. Dom. 256. §. 4. Dupinus in Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum tom. 1. pag. 151. 152. & 176.

S. Cyprianus extrema epiſt. 74. ad Pompejum pag. 298.

Ob-

quam id perperam faciant, colligitur ex Staphani ipſius ſanctione: *Si quis ergo*, ajebat, *a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam,* (13) Traditum autem erat, ac *talis per omnia conſuetudo tenebatur, ut baptiſmus Chriſti*, hoc eſt forma a Chriſto inſtituta collatus, *non niſi Chri-*

ſti

Obſervatur a nobis & tenetur, frater cariſſime, explorata & perſpecta veritate, ut omnes qui ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ unico & legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his, qui baptizati in Eccleſia prius fuerant.

Honoratus Tournely De Sacramentis in genere quæſt. 7. art. 2. 227. & 228. *Si Stephanus & Cyprianus in duos extremos oppoſitos errores lapſi ſunt, neceſſe eſt fateri, univerſam tunc temporis Eccleſiam erraſſe in Fide. Quotquot enim erant Epiſcopi, quotquot Fideles vel Cypriano adhærebant, vel Stephano: ergo his pariter errantibus, quamquam errore diverſo, ceteri omnes etiam errarunt. Ubi ergo tunc temporis vera Fides? Ubi vera Traditio circa baptiſmum Hæreticorum? Numquid tunc portæ inferi adverſus Eccleſiam prævaluiſſent contra expreſſam Chriſti fidem & promiſſionem?*

(13) Apud S. Cyprianum epiſt. 74. pag. 293.

Euſebius lib. 7. Hiſtor. Eccl. cap. 2.: *Ad hunc Stephanum Dionyſius primam earum, quæ de baptiſmo conſcriptæ ſunt, epiſtolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controverſia exorta eſſet, utrum eos, qui ex qualibet hæreſi convertuntur, baptiſmo purgari oporteret. Quippe antiqua conſuetudo invaluerat, ut in ejuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur.* Et cap. 3.: *Stephanus nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus.* Hanc traditionem & conſuetudinem non iterandi baptiſmi ab hæreticis collati ſervatam fuiſſe etiam ab Afris ante decretum Agrippini, teſtatur Firmilianus ipſe epiſt. 75. inter Cyprianicas pag. 308.: *Quod quidem adverſus Stephanum vos dicere Afri poteſtis, cognita veritate errorem vos conſuetudinis reliquiſſe.* Vide ſuperius poſitam annotationem 1.

S. Gregorius lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum: *Ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut quilibet apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione Fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur.* Eadem habet Gratianus De Conſecrat. diſt. 4. c. *Ab antiqua.* 44.

ſti baptiſmus haberetur , etiamſi apud hæreticos vel ſchiſmaticos datus fuiſſe probaretur . (14) *Nam Spiritus Sanctus diſciplinæ fugiet fictum , nec tamen eum fugiet baptiſmus . Itaque ſicut poteſt baptiſma eſſe , & unde ſe aufert Spiritus Sanctus : ita poteſt eſſe baptiſma , ubi non eſt Eccleſia . Manus autem impoſitio , ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti ; tamquam extra omnem culpam eſſe judicaretur : propter caritatis autem copulationem , quod eſt maximum donum Spiritus Sancti , ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint , manus hæreticis correctis imponitur .* (15) Adjicit Stephanus : *cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent , ſed communicent tantum :* (16) quibus verbis ſignificat , *hæreticos proprium ſibi non arrogare baptiſma , quo venientes ad ſe baptizent , ſed commune & in ſua , & in aliis ſectis revereri ,* (17) ideoque horum exemplum Cypriano ad imitandum proponit ; quod procul dubio non feciſſet , niſi habuiſſet pro certo , etiam hæreticos præſcriptam a Chriſto formam baptiſmatis ſervare conſueviſſe . (18) Quid quod Cyprianus & Firmilia-

nus ,

(14) S. Auguſtinus lib. 3. De baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. §. 3.

(15) Idem S. Auguſtinus lib. 5. De bapt. contra Donatiſtas extremo cap. 23. §. 33.

S. Leo epiſt. 129. ad Nicetam Epiſcopum cap. 7. : *Qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt , cum antea baptizati non fuiſſent , ſola invocatione Spiritus Sancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt .*

(16) Apud S. Cyprianum epiſt. 74. pag. 293.

(17) Monachus Congregationis S. Mauri in Præfatione ad Opera S. Cypriani §. 4. pag. XV.

Eam vero eſſe ſententiam Stephani indicant verba ejus apud Firmilianum epiſt. 75. inter Cyprianicas pag. 303. *Stephanus in epiſtola ſua dixit :* hæreticos quoque ipſos in baptiſmo convenire, & quod alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum .

(18) Firmilianus in eadem epiſtola 75. inter Cyprianicas

pag.

nus, qui in primis Stephano adverſabantur, aperte tradunt, eum ad ratihabitionem baptiſmi noluiſſe inquiri a quo, ſed cujus nomine, auctoritate, & quibus verbis adminiſtratus eſſet? En verba Cypriani: *Effectum baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jeſu Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur.* (19) Firmilianus vero: *Illud quoque*

pag. 306. *Vult Stephanus bis, qui apud hæreticos baptizantur, adeſſe præſentiam & ſanctimoniam Chriſti.*

(19) Epiſt. 74. ad Pompejum pag. 294.

S. Ambroſius De Spiritu Sancto lib. 1. cap. 3. §. 44. pag. 609. tom. 2. *In Chriſti nomine plenum eſſe legimus baptiſmatis Sacramentum; quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit: Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus eſt Filius, & ipſum, qui unctus eſt, Filium, & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, deſignaſti.*

S. Auguſtinus lib. 2. contra Maximinum cap. 17. §. 1. *Procul dubio nec in ejus* (Spiritus Sancti) *nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus:* Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti, *quia non ait, & Spiritus Sancti; nec in Patris nomine, quia nec ipſe ibi eſt nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu Sancto, in nomine Jeſu Chriſti juſſi ſunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: cur non ſic audis de Filio Dei,* Omnia per ipſum facta ſunt, *ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?*

Idem S. Auguſtinus lib. 5. De baptiſmo cont. Donatiſtas cap. 5. §. 6. *Homines occulta neſcio qua inſpiratione Dei deteſtantur, ſi quis iterum baptiſmum accipiat, quem ubicumque jam acceperat.*

Petrus Couſtant tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 230. §. 2. n. 5. *Nec movere quemquam debet in allatis Cypriani verbis vox* quomodocumque*: cum ab illo ad majorem explicationem vocabuli* ubicumque *adjectam eſſe, ac pro quovis miniſtro, qui in nomine Jeſu Chriſti baptizet, non pro qualibet forma acceptam fuiſſe, eo certius judicetur, quod apud Firmilianum, qui ipſa Stephani verba referre accuratius videtur, iſtud* & quomodocumque minime *compareat.* Ecce ejus verba in memorata epiſt. 75. inter Cyprianicas pag. 308. *Multum proficit nomen Chriſti ad fidem & baptiſmi ſanctificationem, ut quicum-*

que abſurdum, *quod non putant quærendum eſſe*, *quis ſit ille*, *qui baptizaverit*, *& quod qui baptizatus ſit*, *gratiam conſequi potuerit*, *invocata trinitate nominum Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. (20) Ratum igitur habuit Stephanus baptiſmum collatum a quocumque ea verborum formula, qua ſola baptiſmum perfici Catholica Eccleſia docet: alioquin Cyprianus & Firmilianus aliter ſentientis crimen nullo modo tacuiſſent. Itaque S. Auguſtinus in libris De baptiſmo contra Donatiſtas paſſim aſſerit, Stephani decreto, *baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſentis*, ſartam tectamque ſervatam eſſe *conſuetudinem ex Apoſtolica traditione venientem*, (21) quæ *etiam plenario totius Orbis Concilio confirmata eſt*, (22) eoque *retenta antiquitas*, *exploſa novitas*. (23)

Sed dum rem in vado eſſe credimus, adverſarii nobis objiciunt, quod Stephanus *a quacumque hæ-*

cumque, *& ubicumque in nomine Chriſti baptizatus fuerit*, *conſequatur ſtatim gratiam Chriſti*.

Idem pag. 235. §. 3. n. 10. *Cypriani*, *Firmiliani*, *ac ſociorum cum Stephano*, *& ceteris Epiſcopis Traditionis defenſoribus una de miniſtro*, *non de forma baptiſmi controverſia erat*, *aliis putantibus* quærendum eſſe quis ſit ille, qui baptizaverit, *aliis id quærendum non eſſe ſentientibus*. Vide Hiſtoriam noſtram Apoſtolicam, de Apoſtolis in univerſum, Interrogatione 36.

(20) In citata epiſtola 75. apud S. Cyprianum pag. 304.

(21) S. Auguſtinus lib. 2. De baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. §. 12. Vide infra annotationem 25.

(22) S. Auguſtinus lib. 4. De bapt. contra Donat. cap. 6. §. 8. Et lib. 6. cap. 7. §. 10. Eamdem conſuetudinem dicit *etiam Conciliis univerſalibus roboratam*. Vide annotat. 11. ad Stephanum I. Pontif. XXIV.

(23) Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 6. pag. 323.

S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. §. 14. *Conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum*, *& hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*. Ergo quæſtio de Baptiſmo collato ab hæreticis ad diſciplinam duntaxat pertinebat, non vero ad Fidem.

hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit, id eſt omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe & legitima judicavit. (24) Sed, Stephani ſententia illa: *A quacumque hæreſi*, intelligenda eſt de ſolis hæreticis, qui integra forma baptiſmi, ac nullo modo vitiata uterentur. Etenim verba, quæ e veſtigio ſubjungit: *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, ſatis oſtendunt, Stephanum ratum juſſiſſe illud duntaxat baptiſma, quod Traditio probaret. Traditione autem probari tantum baptiſma adminiſtratum forma a Chriſto Domino imperata, quis ignorat? Recte Auguſtinus lib. 5. De bapt. contra Donatiſtas cap. 23. *Utique Stephanus non propterea* communicavit hæreticis, *quia baptiſma Chriſti, quod in eorum perverſitate integrum manſiſſe cognovit, improbare non auſus eſt. Nam ſi non habent baptiſmum, qui de Deo prava ſentiunt, hoc poſſe & intus accidere, jam ſatis, ut arbitror, diſputatum eſt. Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*. (25)

F Nec

(24) S. Cyprianus epiſt. 74. ad Pompejum pag. 293., quem ignoraſſe ſententiam Stephani adverſarii ſui, nemo ſibi facile perſuadeat.

(25) Idem S. Auguſtinus lib. 2. De bapt. cap. 7. §. 12. *Nondum erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, in ipſis quoque ſchiſmaticis & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem: ſicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita creduntur*.

Natalis Alexander Diſſertat. 14. in Hiſtor. Eccleſ. ſæc. III. pag. 696. 697. *Eumdem ferme loquendi modum S. Hierony-*

Nec Benedicti XII. reſponſio ad objecta Fraticellorum adverſus conſtitutiones Joannis XXII. quam ſuo *Directorio Inquiſitorum* part. 2. quæſt. 17. pag. 295. Nicolaus Eymericus inſeruit, pondus ullum habet ad infirmandam aſſertionem noſtram. Nam exiſtimavit quidem Benedictus, adhuc Cardinalis, Stephanum, & Cyprianum lapſos eſſe in errores omnino contrarios, & *Concilium Nicænum utramque opinionem correxiſſe*, *determinando quod ba-*

pti-

nymus uſurpat in fine Dialogi adverſus Luciferianos, ubi baptiſma hæreticorum receptum ſemper fuiſſe in Eccleſia Romana aſſerit, nec illos excipit, qui baptiſmi formam violabant, nec tamen illorum baptiſma S. Hieronymi temporibus ab Eccleſia fuiſſe ſuſceptum, quis ſapientum aſſerit. Cur igitur Stephano is affingitur error, qui alio modo non eſt locutus, quam S. Hieronymus locutus fuerit quarto ſæculo cadente? Si Hæretici baptiſma non habent, *inquit laudatus Pater*, & ideo rebaptizandi ab Eccleſia ſunt, quia in Ecleſia non fuerunt, ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus: in ea quippe Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab hæreticis baptiſmum recepit. *Et infra:* Quod ſi negandum quiſpiam putaverit, hæreticos a Majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos, legat B. Cypriani epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ Urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem. Legat & ipſius Hilarii libellos, quos adverſus nos de hæreticis rebaptizandis edidit, & ibi reperiet, ipſum Hilarium confiteri, a Julio, Marco, Silveſtro, & ceteris veteribus Epiſcopis ſimiliter in pœnitentiam omnes hæreticos ſuſceptos. *Denique laudat Nicænum Concilium*, quod omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis, *id eſt omnium hæreticorum præterquam Paulianiſtarum baptiſma ratum habuit*. Vide annotat. 5. ſequentis Diſputationis.

Monachi e Congregatione S. Mauri in S. Ambroſii lib. De Myſteriis cap. 4. §. 23. *Et ſane Leo Magnus eamdem criminationem non effugeret, niſi ſimili modo acciperetur id, quod ait epiſt.* 79. num. 129. *ad Nicetam* cap. 7. Qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt, ſola invocatione Spiritus Sancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt; *illic enim nulla hæreticorum diſtinctio exprimitur... Adde his quod nec Patres Arelatenſes, nec Auguſtinus cum Cypriani atque Afrorum cauſſam aperte damnarint, in Stephanum & Romanam Eccleſiam quidquam dixere: imo Facundus diſerte prodit, Cyprianum a Stephano jure culpatum.*

ptizati ab hæreticis non ſervantibus formam Eccleſiæ venientes ad Eccleſiam baptizentur ; ab aliis vero hæreticis baptizati, *non rebaptizentur* : verum deceptus eſt, & in facti quæſtione longe a veritate aberravit . Siquidem *in Concilio Nicæno primo c. 19. cautum eſt his verbis* : Si qui confugerint ad Eccleſiam Catholicam de Paulianiſtis & Cathaphrygis, ſtatutum eſt, rebaptizari eos debere . *Propterea vero ita ſancivit*, *quoniam Pauliani hæretici a Paulo Samoſateno exorti non baptizabant forma Eccleſiæ conſuetà*, *&* *ideo oportebat eos* , *qui revertebantur ad Fidem*, *baptizare* . *Non ergo correxit Concilium Stephani Papæ decretum*, *ſed per omnia cum ipſo conſenſit* . (26)

Eſt etiam , qui dicat Stephani doctrinam damnatam in Concilio Carthaginienſi III. anno 258. congregato a D. Cypriano . At Concilii iſtius decreta abolita & abrogata ſunt non ſolum a Stephano, ſed etiam a Concilio plenario , ut teſtatur Auguſtinus contra Donatiſtas . (27) Quare Concilium iſtud erravit damnans doctrinam Stephani : nullo autem modo erravit Stephanus eamdem doctrinam confirmans : Accedit, numquam in hoc Concilio exprobratum fuiſſe Stephano , quod ratum haberet quemlibet hæreticorum baptiſmum ; ac putaret nullum hac in re ponendum eſſe diſcrimen inter hæreticos . Non igitur Stephanus in eo errore verſatus eſt, ut hæreticorum baptiſma probaret ſine diſcrimine .

(26) Franciſcus Pegna Comment. in citatum locum Directorii pag. 301.

Innocentius I. epiſt. 17. cap. 5. §. 10. apud Petrum Couſtant pag. 836. tom. 1. *Paulianiſtæ in nomine Patris*, *&* *Filii*; *&* *Spiritus Sancti minime baptizant* *&* *Novatiani iiſdem nominibus tremendis*, *venerandiſque baptizant* . Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1275. & Gratianum I. q. 1. cap. 53.

(27) Lib. 1. De bapt. contra Donatiſtas cap. 7. & 18. lib. 2. cap. 3. & 4. lib. 4. cap. 5. & alibi .

Eſt demum, qui opponat, *paucos admodum fuiſſe hæreticos, qui in nomine Trinitatis baptizarent, aut baptizarentur ante exortam Stephanum inter & Cyprianum controverſiam*. Præterea Stephanum, ut eſt in Cypriani epiſtola 74. *Marcionis admiſiſſe baptiſma, in quo nulla fiebat Trinitatis mentio*. (28) Cum igitur Stephanus hæreticorum quorumcumque baptiſma probarit, ac nominatim illud Marcionis, non illud ſolum probavit, quod expreſſo divinarum perſonarum nomine adminiſtratum eſſet. Sed, ut ait S. Auguſtinus lib. 6. De bapt. contra Donatiſtas cap. 25. *facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent*. Neque hoc Auguſtini teſtimonium intelligendum eſt de hæreticis ipſi æqualibus, non item de antiquis. Nam quod de hæreticis quarti & quinti ſæculi tradit Auguſtinus, id potiori jure dici poteſt de hæreticis ſæculi ſecundi, & tertii: cum non defuerint hæretici, qui initio ſectæ ſuæ communem & Catholicam baptizandi formam ſecuti, eam poſtea mutarint, quo magis reditum ad Eccleſiam Catholicam ſuis intercluderent. Id certe de Encratitis teſtatur S. Baſilius. (29) S. Cyprianus vero cit. ep. 74. idcirco dicit, *baptiſmum Marcionis, Valentini, & ceterorum blaſphemantium in Deum Patrem* Stephano ratum fuiſſe, quia collatus fuerat *in nomine Jeſu Chriſti*, hoc eſt virtute, auctoritate, & forma ea, quam idem Salvator ac Dominus noſter ſervandam præceperat. Neque obeſt, quod de Trinitate haud recte ſentirent. Siquidem, ut docet Auguſtinus lib. 3. De bapt. cap. 15., *Si Evangelicis verbis*, In nomine Pa-

(28) Launojus epiſt. 15. lib. 8. pag. 743. tom. 5. part. 2.

(29) Epiſtola canonica 1. can. 1. tom. 3. pag. 270.: *Nimirum ut reditum ſibi in Eccleſiam intercludant, aggreſſi ſunt deinceps proprio baptiſmate præoccupare: unde & ſuam ipſorum conſuetudinem violarunt*.

Patris & Filii & Spiritus Sancti Marcion baptiſmum conſecrabat, *integrum erat Sacramentum; quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.*

Tandem quæ alii proferunt adverſus Stephanum; ea longum eſt, & non neceſſarium confutare. Illud hic quidem certe prætermittendum non eſt, Sanctorum Cypriani & Firmiliani errorem habere excuſationem; tum quia Stephanus nihil decrevit adverſus eos, quamvis decernendi minas objecerit; tum etiam quia S. Cyprianus ejuſque ſectatores eo animo in contentionem cum Stephano venerunt, ut ſalva ſemper caritatis unitate & pace pugnarent. Haud equidem conſtat, S. Cyprianum ante mortem de ſententia ſua deceſſiſſe: cum tamen in Eccleſiæ communione non ſolum vixerit, ſed etiam Martyr obierit, credendum eſt, ſanguine eluiſſe maculam; ſi quam ἀπειθεία, (30) ſua contraxerat. Nam præclare Auguſtinus: *Etſi litteræ tacent, merita clamant: ſi epiſtola non invenitur* (ejus reſipiſcentiæ) *corona teſtatur: ſi Concilium non indicat Epiſcoporum; conſortium indicat Angelorum.* (31)

(30) *Inobedientia.*

(31) Lib. 2. De bapt. contra Donat. cap. 5. §. 6. Et ſuperiore cap. 4. §. 5. *Fortaſſe factum eſt*, ut correxerit ſententiam ſuam, *ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus.*

Et lib. 1. cap. 18. §. 27. Cypriani ſententiam appellat *humanæ infirmitatis errorem, quem cooperiret caritas veritatis*; & §. 28. *Ad martyrii coronam meruit pervenire; ut ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat, glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur.*

Idem S. Auguſtinus epiſt. 93. §. 38. *Cyprianus ſenſiſſe aliter de baptiſmo; quam forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ, non in Canonicis, ſed in ſuis & in Concilii litteris invenitur: correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur: non incon-*

gruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto veluti patrocinio carere noluerunt. Quamquam non deſint, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub ejus nomine a præſumtoribus atque mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim ſic potuit integritas atque notitia litterarum unius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum litteris, & ordine, & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent. Fruſtra quidem, quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic nota eſt: verum quid poſſit adverſus litteras non canonica auctoritate fundatas, etiam hinc demonſtravit impiæ conatus audaciæ, quod & adverſus eas, quæ tanta notitiæ mole firmatæ ſunt, ſe ſe erigere non prætermiſit.

Idem S. Auguſtinus alibi S. Cyprianum purgat, ac defendit, videlicet lib. 2. De Bapt. cap. 4. 5. 8. 15. & lib. 5. cap. 17. & lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. §. 61. appellat *Doctorem ſuaviſſimum, & Martyrem Beatiſſimum*. Vide annotat. 5. ad S. Stephanum I. Pontif. XXIV.

DIS-

DISPUTATIO VIII.

De Concilio Plenario *D. Auguſtini*.

Diſputatio hæc eſt acceſſio quædam, & quaſi complementum ſuperioris. Quæſtio enim, quæ de baptiſmo hæreticorum fuit inter Stephanum Pontificem & S. Cyprianum, ex Stephani ſententia dijudicata eſt in Concilio, quod Auguſtinus ſæpe vocat *Plenarium*, (1) & celebratum dicit *poſt Cypriani quidem paſſionem, ſed antequam ipſe natus eſſet*. (2) Porro poſt mortem Cypriani, qui obiit anno Chriſti 258. & ante ortum Auguſtini, qui natus eſt anno Chriſti 355. habita ſunt Concilia duo, in quibus actum eſt de baptiſmo collato ab hæreticis, Arelatenſe I. anno Chriſti 314. & Nicænum I. Œcumenicum an. 325. In primo clare & aperte omnis controverſia tollitur, in ſecundo ex neceſſaria tantum conſecutione dirimitur. Etenim Concilium Arelatenſe can. 8. ſtatuit, *ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum*. (3) *Quod ſi interrogatus non reſpon-*

 de-

(1) S. Auguſtinus lib. 1. De bapt. contra Donatiſtas cap. 7. §. 9. *Quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magna caritate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec Plenario totius Orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*.

(2) Lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 9. §. 14.

(3) Vide annotationem 15. ſuperioris diſputationis.

derit hanc Trinitatem, baptizetur. (4) Concilium vero Nicænum can. 8. & Baptiſmi & Ordinis ſacramentum a Catharis ſeu Novatianis collatum admittit, & can. 19. rurſus baptizandos decernit, qui baptiſmum ſuſcepiſſent a Paulianiſtis, (5) nempe *quia Paulianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant, & Novatiani iiſdem tremendis venerandiſque nominibus baptizant*. (6)

Itaque utrum ex his duobus Conciliis Auguſtinus *Plenarii* nomine deſignaverit, ſumma virorum doctiſſimorum diſſenſione certatur. Veri ſimilior videtur opinio eorum, qui Auguſtinum putant ſignificantius indicaſſe Nicænum Œcumenicum I. Ea enim, quæ Auguſtinus ſcribit de Concilio *Plenario*, magis huic, quam Arelatenſi conveniunt. Namque ait, *Plenaria Concilia* eſſe, *quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano*: atque hæc opponit Conciliis, *quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt*, (7) idemque controverſiam baptiſmi ab hæreticis adminiſtrati finitam aſſerit a *Plena-*

(4) Apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 1428. & apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 264.

(5) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 31. 38. & apud Harduinum tom. 1. pag. 326. & 332.

S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos §. 26. pag. 200. tom. 2.: *Synodus Nicæna, cujus paullo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis. Et quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat*.

(6) Innocentius I. epiſt. 22. cap. 5. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1275. & apud Gratianum 1. quæſt. 1. cap. *Paulianiſtæ* 53. & apud Petrum Couſtant. tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 836.

(7) Lib. 2. De bapt. contra Donatiſtas extremo cap. 3.: *Ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere; ipſaque ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat*.

nario totius Orbis Concilio , ab *univerſæ Eccleſiæ Concilio*, a *Sancto Concilio cunctarum gentium* , à *Concilio Catholico Orbis terrarum*, (8) quo nomine appellari non poteſt Concilium Arelatenſe ex ſolis Epiſcopis Occidentalibus congregatum. Quod præterea docet idem Auguſtinus ſcribens, Eccleſiam univerſam, aut ſaltem plurimas & nobiliſſimas non noviſſe cauſſam Cæciliani (9) in Concilio Arelatenſi cognitam atque judicatam, quæ per Orbem totum vulgata ac nota eſſe debuit, ſi fuit *Plenarium totius Orbis Concilium* . Accedit, quod affirmat, Donatiſtas poſt abſolutum in Concilio Romano Cæcilianum, damnatumque Donatum a Caſis Nigris (10) conquerentes de corruptis

(8) Lib. 1. De bapt. contra Donatiſtas cap. 7. §. 9. lib. 2. cap. 9. §. 14. lib. 5. cap. 17. §. 23. lib. 6. cap. 13. §. 21.

(9) In libro ad Donatiſtas poſt Collationem cap. 18. §. 24. : *Hæc verba per orbem terræ univerſa perſonat Eccleſia, clamat etiam membrum illius in Africa : Teſtimonium Dei novi, negotium Cæciliani non novi.*

Et lib. 4. Contra Creſconium cap. 25. §. 32. : *Valeat apud vos baptiſmus ab Optato datus, quem ſic damnare noluiſti, ut tamen non fueris auſus abſolvere : & non valeat baptiſmus in Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis Corinthiorum , Galatarum, Epheſiorum , Coloſſenſium, Philippenſium , Theſſalonicenſium, ceterarumque in ſanctis litteris, quas & vos legiſtis , conſcriptarum, ubi Cæciliani, non dico falſum illud crimen, ſed forte nec verum nomen auditum eſt .... & accuſetur conſcientia tot, tantarumque gentium Chriſtianarum, quia remotiſſimas lites ignoravit Afrorum.*

Falſum autem crimen Cæciliano ab Donatiſtis impoſitum erat, quod eſſet *a Traditoribus ordinatus, & victum afferre Martyribus, cum eſſet Diaconus, probibuiſſe diceretur* : S. Auguſtinus in Breviculo Collationis tertii diei cap. 14., §. 26. Vide annotat. 2. ad S. Cornelium Pontif. XXII.

(10) *Quod confeſſus ſit rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt :* S. Optatus De Schiſmate Donatiſtarum lib. 1. cap. 24.

Donatus *a Caſis Nigris primus apud Carthaginem ipſum nefarium Donatiſtarum ſchiſma commiſit* : S. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 21. §. 3.

ptis contaminatiſque judicibus non poſtulaſſe, quod *reſtabat adhuc Plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium*; ſed ſatis habuiſſe confugere ad Imperatorem, qui illis *dedit aliud Arelatenſe judicium*. (11) Quid quod licet Arelatenſis Concilii auctoritatem ad convincendos Donatiſtas omni ratione urgeat, illud ne Concilium quidem, nedum Concilium *Plenarium*, aut OEcumenicum vocat, ſed *judicium* duntaxat *Epiſcopale*, eo videlicet nomine, quo appellat Concilium Romanum in eadem cauſſa habitum ſub Melchiade? (12) Quid quod idem

(11. Epiſt. 43. alias 162. cap. 7. §. 19.: *Ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum eſſe facile probamus, ex eo quod totus Orbis non eis communicat: aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat. Sed tamen quid poſtea fecerint, Imperatoris litteris ſufficientiſſime oſtenditur. Judices enim Eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quod male judicarint. Dedit ille aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum.*

(12) Epiſt. 88. alias 68. §. 3. *Juſſit Imperator venire partes ad Epiſcopale judicium in Urbe Roma faciendum, ubi quemadmodum cauſſa dicta atque finita ſit, & Cæcilianus innocens judicatus ſit, indicant Geſta Eccleſiaſtica. Jam utique poſt pacificum moderamen judicii Epiſcopalis, omnis contentionis & animoſitatis pertinacia debebat extingui. Sed rurſus majores veſtri ad Imperatorem redierunt, & non recte judicatum, neque omnem cauſſam auditam eſſe, conqueſti ſunt. Unde ille alterum Epiſcopale judicium dedit habendum in Arelatenſi Galliæ Civitate.*

Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 92. §. 205. *Petentibus Majoribus veſtris, Epiſcopale judicium dederat Conſtantinus & apud Romam & apud Arelatum, quorum primum apud eum accuſaſtis, ab altero ad eum appellaſtis.* Arelatenſe Concilium ab Auguſtino dicitur *judicium Epiſcopale* etiam lib. 4. contra Creſconium cap. 7. §. 9. & in Breviculo Colla-

idem tradit, S. Cyprianum *cum Concilio provinciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati, patefacta veritate, ceſſurum fuiſſe*, ſi ad id temporis vixiſſet? (13) Nulli autem, opinor, Concilio, niſi OEcumenico ceſſiſſet Cyprianus, cui Epiſcopi totius Africæ, minoris Aſiæ, &, ſi Hieronymo ac Baronio credimus, Patriarcha ipſe Alexandrinus patrocinabantur. (14) Igitur Auguſtinus nomine Concilii *Plenarii*, cujus auctoritas Cyprianum viciſſet, OEcumenicum Nicænum I. deſignavit.

Ut magis appareat, hanc Auguſtinum habuiſſe ſententiam, ponamus ob oculos quid objiciant ii, qui volunt ab Auguſtino deſignatum fuiſſe Concilium Arelatenſe, & quid reſpondeant, qui exiſtimant, deſignatum eſſe Nicænum.

Objiciunt illi, Auguſtinum paſſim vocaſſe *plenarium* etiam Concilium Bagajenſe a tercentis decem Epiſcopis ſectæ Donatiſtarum celebratum orto inter ipſos ſchiſmati ſedando: (15) eumdem-

lationis cum Donatiſtis in Collatione tertii diei cap. 19. & lib. poſt Collationem cap. 25. §. 44.

(13) Lib. 2. De baptiſmo contra Donatiſtas cap. 4. §. 5.

(14) Ut eſt apud Tillemontium annotat. 44. in S. Cyprianum tom. 4. pag. 634.

(15) Lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani cap. 3. §. 7. *Quid ergo de hoc prophetico capitulo ponunt, quod in ipſos retorqueri non poſſit? niſi forte de ovis aſpidum, quorum multo ante meminerat dictator illius ſententiæ plenarii Concilii trecentorum decem, qui cum univerſis provinciis Africæ convenerunt*. Et paullo poſt: *Sic eos deſcribunt trecenti decem plenarii Concilii ore veridico*. Et rurſus: *Quare in Schiſmaticos ſuos Maximianiſtas per eamdem plenarii Concilii ſui ſententiam talia dixerunt*.

Et lib. 2. De baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. §. 10. *Cur denique de recentibus Maximianiſtis* plenarii Concilii, *ſicut dicunt*, ore veridico *non dubitarunt tale proferre judicium, ut eos primis illis ſchiſmaticis, quos vivos terra ſorbuit, compararent?*

Et lib. 3. extremo cap. 2. §. 3. Maximianiſtas *Concilio ſuo ple-*

demque Concilium, in quo controverſia de baptiſmate hæreticorum ſublata eſt; dixiſſe *tranſmarinum*, *vel univerſale*, (16) cujuſmodi Afris eſt Arelatenſe, non Nicænum.

Reſpondent hi, Auguſtinum non vocaſſe Concilium Bagajenſe *Plenarium* præciſe, vel Plenarium totius Orbis, & univerſæ Eccleſiæ: ſed Plenarium Donatiſtarum, quod ei omnes convenientes interfuiſſent. Uti enim eum vocibus relativis, nempe *Plenario Concilio ſuo*, *Plenarii Concilii veſtri*. Præterea non ſine ironia locutum de eo Concilio Auguſtinum, quod appellet *veridicum*, & *præſidentis Dei arbitrio* celebratum, (17) irridens Donatiſtas, qui contenderent, *Eccleſiam Chriſti de toto terrarum Orbe*, *ubi futura promiſſa eſt*, *periiſſe*, *atque in Africana Donati parte remanſiſſe*. (18) Nomine autem Concilii *univerſalis* & *Tranſmarini* indicaſſe Nicænum, colligi ex Auguſtini diſcipulo Poſſidio Calamenſi, qui in Vita ejuſdem Auguſtini extremo cap. 8. idem Nicænum Concilium vocabulo tantum *Concilii univerſalis* appellat: itemque ex Auguſtino ipſo, qui lib.

plenario damnatos; etiam terrenarum poteſtatum judicio ſunt proſecuti.

Et lib. 4. contra Creſconium extremo cap. 8. §. 10. *Qui plenarii Concilii veſtri ore veridico leguntur eſſe damnati*.

(16) Lib. 2. De bapt. contra Donatiſtas cap. 9. §. 14. ubi de S. Cypriano ſic loquitur: *Satis oſtendit multo magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de hac re tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet. Nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*.

(17) Lib. 2. contra Creſconium extremo cap. 53. Vide ſuperius poſitam annotat. 15.

(18) Auguſtinus De Hæreſibus cap. 69. & lib. 4. contra Creſconium cap. 58. §. 70. *Quo igitur ore contra Eccleſiam a Solis ortu uſque ad occaſum promiſſam voce Veritatis, & redditam, audes Eccleſiam plenariam dicere partem Donati, cum ipſa non ſit niſi Africæ, illa vero cum tot gentibus ſit & Africæ?*

lib. 2. contra Creſconium cap. 37. inter Eccleſiàs *tranſmarinas*, quarum auctoritatem objicit Donatiſtis, recenſet Eccleſias *Bithyniæ*, in qua eſt Nicæa, ubi celebratum eſt Concilium Nicænum, ideoque hoc etiam Concilium *univerſale*, *& tranſmarinum* dici Afris potuiſſe.

Objiciunt illi rurſus, in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Concilia ejuſdem Eccleſiæ ſæpe vocari *univerſalia*, & *Plenaria*; (19) eamque ob rem Concilii *Plenarii* vocabulo Arelatenſe ab Auguſtino indicari.

Reſpondent hi, neminem, qui memoratos canones aliquanto attentius legerit, non videre, ibi ſermonem eſſe de Conciliis *univerſalibus* & *Plenariis* Africæ, non vero totius Orbis & Eccleſiæ univerſæ. Et quidem in Græco textu Can. 117. non legitur ſimpliciter *in Eccleſia Plenario Concilio conſtitutum eſt*, ſed ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, hoc eſt *in hac Eccleſia*, nempe Africana, *Plenario Concilio conſtitutum eſt*, ut ejus tantum Eccleſiæ Concilium deſignetur. Eodem modo nomen Concilii *univerſalis* uſurpari can. 138. Ibi enim Patres in inſcriptione Epiſtolæ ad Cæleſtinum Pontificem ita ſcribere de ſe: *Qui univerſali Africano Concilio Carthaginis adſuimus*. (20) Sic Auguſtinum ipſum epiſt. 215. §. 2. Concilium Africanum, in quo damnata eſt hæreſis Pelagianorum, vocaſſe *Concilium plenarium totius Africæ*.

Obji-

(19) Can. 19. *Si autem ad Concilium univerſale anniverſarium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſſa ejus terminetur.*

Can. 28. *Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad tranſmarina judicia, ſed ad Primates ſuarum provinciarum, aut ad univerſale Concilium.*

Can. 117. *Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in Eccleſia plenario Concilio conſtitutum eſt.* Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1060. 1064. 1125. & apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 875. 878. 930.

(20) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1145. & apud Harduinum tom. 1. pag. 947.

Objiciunt tertio, Concilium Arelatenſe *ex omnibus mundi partibus* congregatum dici in can. 18. Concilii Arelatenſis ſecundi, (21) in epiſtola vero Conſtantini Magni ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum *ex locis diverſis, & prope infinitis*, (22) proinde eſſe *Plenarium* D. Auguſtino.

Reſpondent hi, Concilium Arelatenſe I. *ex omnibus mundi partibus* congregatum dici ὑπερβολικῶς, & per exaggerationem: quandoquidem Patres ipſi ejus Concilii ſe ex diverſis tantum provinciis conveniſſe teſtantur: (23) Rurſus dici poſſe congregatum *ex omnibus mundi partibus*; quæ Conſtantino parebant, nempe Gallia in primis, inferiore Germania, Hiſpania; Britannia, Italia; & provinciis Africæ cis Lybiam. Itaque a Conſtantino ſignificari plurimas iſtas, ac diverſas regiones, ex quibus juſſu ſuo Epiſcopi in Urbem Arelatem convenerant, nullo autem modo indicari; Epiſcopos illuc conveniſſe ex Orbe toto; ut hoc univerſæ Eccleſiæ Concilium haberi debeat: (24)

Op-

(21) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1013. & apud Harduinum tom. 2. pag. 774.: *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam Urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, ſub S. Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque conventum.*

(22) Apud Euſebium lib. 10. Hiſt. Eccl. cap. 5. pag. 321. *Plurimos ex diverſis ac prope infinitis locis Epiſcopos in Urbem Arelatenſem intra Kalendas Auguſti cenſuimus convenire.*

(23) In Epiſtola ad Silveſtrum Papam de rebus in Synodo geſtis: *Cum diverſæ ſint provinciæ, ex quibus advenimus; ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſervare debere.* Apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 1426. & apud Harduinum pag. 262.

(24) Sirmondus, ut eſt apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 1423. & apud Harduinum pag. 262. ita vertit locum citatum epiſtolæ Conſtantini ad Chreſtum: *Plurimos ex diverſis compluribus locis Epiſcopos in Arelatenſium oppido ad Kalendas Auguſti convenire præcepimus.*

Opponunt quarto, etſi non *ex omnibus mundi partibus* congregatum eſſet Concilium Arelatenſe, unum tamen conſenſum omnium, qui latam ab eo in Donatiſtas ſententiam comprobarunt, ſatis fuiſſe cur Auguſtinus illud *Plenarium* nominaret, quemadmodum OEcumenicum dictum eſt Concilium Conſtantinopolitanum I. (25) ab ſolis Orientalibus anno 381. celebratum, quod acta ejus rata habuerint Occidentales.

Reſpondent hi, Concilia *Plenaria* Auguſtino eſſe, quæ *fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano*, (26) non quæ rata habet univerſus Orbis Chriſtianus. Neque Concilio Conſtantinopolitano I. OEcumenicam auctoritatem acceſſiſſe ratihabitione Occidentalium, ſed approbatione ſummorum Pontificum. *Etenim tantum roboris, & firmitatis quælibet Synodus conſequi ſolet, quantum eidem auctoritatis impertit Romana Eccleſia, ipſa Apoſtolica Sedes*. (27)

Quinto illi objiciunt, S. Baſilium, qui paullo poſt Concilium Nicænum claruit, epiſtola *99*. canonica 2. ad Amphilochium can. 47. ſcribere, plurium Epiſcoporum Concilium haberi oportere, ac decerni de baptiſmate Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, quos ipſe rebaptizabat, quamvis *rebaptizatio prohibita eſſet apud Romanos alicujus œconomiæ gratia*. (28) Hoc autem

(25) *Libellum legere dignemini, qui ſuperiore anno* (381) *editus eſt Conſtantinopoli ab OEcumenicâ Synodo*: Epiſtola Synodica ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. pag. 211. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 964. & apud Harduinum tom. 1. pag. 823.

(26) Vide ſupra poſitam annotationem 7.

(27) Baronius ad an. 381. §. 38. Vide annotat. 10. ad S. Damaſum I. Pontif. XXXIX.

(28) Ecce locum integrum S. Baſilii tom. 3. pag. 296. & 297. *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ non ſubjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus eſt canon*,

tem numquam ſcripturum fuiſſe S. Baſilium, ſi quæſtio de baptiſmate hæreticorum in Concilio Nicæno, quod ei debuit eſſe notiſſimum, diremta fuiſſet; neque ad *œconomiam* relaturum vetitam a Romanis *rebaptizationem*, quæ pertinebat ad Fidem, ſi præcipuus error Donatiſtarum de *Anabaptiſmo* a Patribus Nicænis damnatus fuiſſet.

Hi vero reponunt, *Baſilium exiſtimaſſe Canonem Nicænum de Pauliniſtis locutum nihil interim ſtatuiſſe de rebaptizandis aliarum ſectarum hæreticis, quos ipſe iterum ſacris lymphis abluendos putabat. Etenim Firmilianum Cæſareæ Metropolitam in Synodo ſanxiſſe, omnes hæreticos rebaptizandos: cui cum altero ſæculo in eamdem ſedem Baſilius ſubrogatus fuiſſet, inolitæ Cappadocum conſuetudini mordicus inhærentem, hæreticos ad Catholicam venientes iterum baptizaſſe*. (29) Addunt etiam, in Concilio Nicæno approbatum receptumque baptiſma ab hæreticis collatum forma a Chriſto inſtituta: quia tamen id haud ita aperte decernitur, ſed tantum ex neceſſaria conſecutione colligitur ex can. 8. & 19. ut ſupra dictum eſt, ideo fieri potuiſ-

non, etſi varius: quæ autem ad iſtos pertinent, ſilentio ſunt prætermiſſa. Nos autem una ratione tales rebaptizamus. Quod ſi apud vos probibita eſt rebaptizatio, ſicut & apud Romanos œconomiæ alicujus gratia, noſtra tamen oratio vim obtineat. Quoniam enim veluti germen Marcioniſtarum eſt eorum hæreſis, ut qui nuptias abhorreant, & vinum averſentur, ac dicant Dei creaturam inquinatam eſſe, idcirco ipſos in Eccleſiam non admittimus, niſi in noſtrum baptiſma fuerint baptizati. Etenim ne dicant: In Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizati ſumus; *qui videlicet Deum eſſe malorum effectorem exiſtimant, exemplo Marcionis, & reliquarum hæreſum. Quamobrem ſi hoc placuerit, oportet Epiſcopos plures in unum convenire, & ita demum canonem edere, ut & is, qui careat, & qui reſpondet, in dando ejuſmodi quæſtionibus reſponſo auctoritatem habeat.*

(29) Noriſius in Hiſtoria Donatiſtarum part. 1. cap. 10. pag. 182. tom. 4.

fuiſſe, ut S. Baſilius id, quod ex illis canonibus conſequens erat, non adverteret, & Eccleſiæ ſuæ morem de rebaptizandis hæreticis ſervaret. (30) At perſpexiſſe, quid ex iiſdem canonibus neceſſario concluderetur, Siricium, qui in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem decernens, Arianos non eſſe iterum baptizandos, nomine *Synodi* ſimpliciter uſurpato deſignavit Synodum Nicænam, & facta Novatianorum mentione, ejuſdem Synodi canonem octavum. (31) Id ipſum vidiſſe S. Hieronymum, qui extremo Dialogo adverſus Luciferianos confirmavit, Nicænos Patres ratum juſſiſſe baptiſma omnium hæreticorum, exceptis Pauliániſtis, quod hi ab Evangelico baptizandi ritu aberrarent. Præterea argumentum propoſitum eſſe ἀντιστρέφον, ſeu *reciprocum*, & referri contra, convertique poſſe in ipſos adverſarios. Poſito enim atque conceſſo, Concilium Arelatenſe illud eſſe, quod Auguſtino eſt *Plenarium totius Orbis*, *univerſæ Eccleſiæ*, *cunctarum gentium*, nullo modo ignotum eſſe Baſilio potuiſſe, ideoque numquam fuiſſe futurum, ut idem Baſilius ad œconomiam referret prohibitionem *rebaptizationis*, quæ ſpectaſſet ad Fidem, ſi hæreticorum *rebaptizatio* in Concilio *Plenario totius Orbis*, quale fuiſſe Arelatenſe contendunt, vetita erat.

Præterea illi objiciunt, S. Epiphanium de iis

G lo-

(30) S. Baſilium non noviſſe octavum Concilii Nicæni canonem, docet Tillemontius annotat. 21. ad Concilium Nicænum pag. 821. tom. 6.

(31) Verba ipſa Siricii Pontificis ſunt hæc apud Lab. tom. 2.: Conc. pag. 1018. *Prima paginæ tuæ fronte ſignaſti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad Fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eoſdem denuo baptizare velle: quod non licet .... Quos nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus*. Vide annot. 13. ſuperioris Diſputationis.

loquentem, qui Arianos iterum baptizabant, aſſerere, id ab illis factum *citra generalis Concilii decretum*, cujus *judicio ea res deciſa* fuerit, (32) non ergo exiſtimaſſe controverſiam de baptiſmate hæreticorum in Nicæna Synodo finitam. S. Cyrillum quoque Hieroſolymitanum, & S. Athanaſium, qui Nicæno Concilio interfuit, irritum dicere baptiſmum ab hæreticis collatum: (33) id vero dicturos non fuiſſe, ſi Nicænum Concilium aliter decreviſſet.

His

(32) In Expoſitione Fidei cap. 13. pag. 1095. *Alii, qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus, privata ſibi factione conflata, præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac citra generalis Concilii decretum, eos, qui ab Arianis ad ſuas partes tranſeunt, iterum baptizare nihil verentur, cum nondum ea res, ut dixi, univerſalis Synodi judicio deciſa ſit.*

(33) S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Procatecheſi §. 7. pag. 6. *Non licet bis, aut ter lavacrum ſuſcipere.... Unus enim Dominus, & una Fides, & unum baptiſma. Hæretici namque ſolummodo rebaptizantur, ſiquidem prius illud baptiſma non erat.*

S. Athanaſius Orat. 3. contra Arianos §. 42. & 43. pag. 510. tom. 1. *Iſti autem in periculum veniunt (de baptiſmo loquor) integritatis. Nam ſi in Patris & Filii nomine initiamur, illi autem verum non pronuntiant Patrem, utpote qui id, quod ex ipſo eſt, eiuſque naturæ eſt ſimile, negent: cum item verum iidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex nihilo creatum eſſe comminiſcuntur: qui fieri poteſt; ut prorſus vacuus & inutilis non ſit baptiſmus, qui ab illis* (Arianis) *datur, in quo quidem inſit religionis ſimulatio, ſed re vera nihil ad pietatem valeat conferre? Nec enim Ariani in Patris & Filii nomine dant baptiſmum, ſed in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & rei effectæ. Unde quemadmodum res creata alia eſt a Filio; ita baptiſmus, quem illi dare putantur, a vero baptiſmo alius eſt, etiamſi nomen Patris & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre aſſimulent. Non enim qui dicit, Domine, ille etiam dat, ſed is tantum, qui cum nomine rectam quoque habet fidem... Itaque multæ quoque aliæ hæreſes nomina tantum pronuntiant: verum cum recte non ſentiant, uti dictum eſt, nec ſanam habeant fidem, inutilis eſt aqua, quam donant, quippe cui deſit pietas; ita ut quemcumque illi aſperſerint, impietate fœdetur potius, quam redimatur.*

Digitized by Google

His quoque hi reſpondent, S. Epiphanium ibi non agere de baptiſmo hæreticorum non iterando, ſed tantum dicere, nullam Synodum præcepiſſe, ut Ariani rebaptizarentur, ac proinde eorum audaciam coarguere, qui Arianos iterum baptizabant, ut facile patebit expendenti ejuſdem S. Epiphanii locum integrum. (34) S. Cyrillum vero Hieroſolymitanum vel non loqui de omnibus hæreticis indiſcriminatim, ſed de iis tantum, qui formam baptiſmi vitiabant, vel ſingularem hanc fuiſſe ejus ſententiam, ſicut etiam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quod nondum exploratum haberet ſenſum canonum Nicænorum. (35) S. Athanaſium autem irritum quidem habere baptiſmum Arianorum quoad effectum gratiæ in adultis cum eorum hæreſi communicantibus, & hoc modo illum appellaſſe *vacuum ac inutilem*, non vero quoad Sacramentum & characterem, & hoc modo dixiſſe, Arianos *in periculum venire amittendi*, non autem amiſiſſe, *integritatem* baptiſmi.

Urgent demum illi, S. Auguſtinum ne noviſſe quidem Canones Concilii Nicæni: tantum abeſt, ut illud voce *Plenarii* Concilii deſignaverit. Ita

(34) Mutilum refert Launojus in Diſſertat. *De vera notione* Plenarii *apud Auguſtinum Concilii* extremo cap. 1. Omittit enim nomen *Arianorum*, ut generatim ac univerſe de omnibus hæreticis dictum ab Epiphanio videatur, quod ſpeciatim ac nominatim de Arianis dictum eſt. Operum tom. 2. part. 2. pag. 109.

(35) S. Cyrillum excuſat Antonius Auguſtinus Toutee Diſſertat. 3. ex Cyrillianis cap. 8. §. 67. addens ad extremum, eum opinionem ſuam *correxiſſe, ſi non citius, ſaltem anno 381., cum in Concilio Conſtantinopolitano una cum ceteris Patribus can. 7. multos ex hæreticis ſine baptiſmate novo recipi decrevit*. Et §. ſeq. *Eccleſiam Hieroſolymitanam tempore Cyrilli, ac Cyrillum ipſum, non omnes ad Eccleſiam revertentes hæreticos baptizaſſe: nec probari poſſe alios ab eis rebaptizatos, præter eos, quos vel Concilia de novo baptizari præcipiunt, vel vitiata ſaltem quoad ſenſum baptiſmatis formula uſos eſſe conſtat.*

enim ipſum ſcripſiſſe epiſt. 113. §. 4. *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe, neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo.* (36)

Reſpondent hi, quamvis anno Chriſti 395., quo exeunte (37) Auguſtinus Epiſcopus ordinatus, Valerii in Epiſcopatu collega factus eſt, canonem Concilii Nicæni id vetantis ignoraverit, tamen non ignoraſſe paullo poſt, altero videlicet abhinc anno 397., & priſtinæ ignorantiæ atque erroris ipſum pœnituiſſe. Ea de re teſtari Poſſidium in ejus Vita extremo cap. 8. ſcribentem. *Quod in ſe poſtea fieri non debuiſſe, ut vivo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit & ſcripſit,* (38) *propter Concilii Univerſalis*, nempe Nicæni, *vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod ſibi factum eſſe doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam ſategit, ut Conciliis conſtitueretur Epiſcoporum, ab Ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam eſſe deferenda.* (39) Porro autem *conſtare de his actum* anno 397. *in Concilio Carthaginienſi III. celebrato, Cæſario & Attico Conſulibus, in quo hæc tertio canone ex ſug-*

(36) *Quem* Auguſtinus *citat Nicænum Canonem, ille fuiſſe creditur, in cujus fine, cum actum eſt in eo de Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus, hæc verba leguntur:* Ne in una Civitate duo Epiſcopi eſſe probentur. *Sic ibi octavo Canone; quamvis alii velint ſpecialem eo de re conſtitutionem eſſe editam, quæ non exſtet.* Baronius ad an. 395. §. 32. Vide Petrum de Marca lib. 6. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 8. §. 8.

(37) Auctor Vitæ S. Auguſtini, quæ exſtat tom. XI. Operum ejuſdem Auguſtini editionis Monachorum, lib. 4. cap. 1. §. 4. pag. 142.

(38) Epiſtola citata 113. §. 4.

(39) Apud Surium die 28. Auguſti, & in Appendice ad Tom. X. Operum S. Auguſtini pag. 262. & 263.

geſtione S. Auguſtini, *ut Poſſidius monet*, *decreta eſſe leguntur*. Item placuit, ut ordinandis Epiſcopis, vel Clericis prius ab Ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcarentur, ne ſe quid contra ſtatuta Concilii feciſſe pœniteat: *ſicque ſollicite cavendum putavit ab aliis, quod ipſe neſcius deliquiſſet*, (40) antequam ſcriberet de baptiſmo contra Donatiſtas.

(40) Baronius ad an. 395. §. 32. & 33.

Digitized by Google

DISPUTATIO IX.

De Martyrum multitudine in primævis Chriſtianorum perſecutionibus.

HAnc ego diſputationem, præeunte Pagio ac Ruinarto, inſtituo, Traditioni Eccleſiæ de multitudine Martyrum vindicandæ a calumniis Henrici Dodvvelli *Proteſtantis Hiberni*, (1) qui diſſertatione XI. Cyprianica *De Martyrum paucitate in primævis Chriſtianorum perſecutionibus*, auſus eſt in dubium vertere, quod omnes Catholici tot retro ſæculis pro certo habuerunt. (2) Id ut fiat quam breviſſime, aliquos primum ex antiquis Patribus teſtes dabo, deinde decem Eccleſiæ perſecutiones citato gradu percurram, quarum vel una tantum ad retundendam adverſarii linguam ſatis eſſe queat. Primus & antiquiſſimus teſtis eſt S. Juſtinus Martyr, qui ait *ubique locorum a Præſidibus* ſævitum eſſe in Chriſtianos. (3) Teſtis alter eſt S. Martyr Irenæus, qui lib. 4. adverſus hæreſes cap. 33. *Eccleſia*, inquit, *omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem . . . ſæpe debilitata, & ſtatim augens membra, & integra fiens*. Quid martyrum paucitati magis poteſt eſſe contrarium, quam multitudo Martyrum? Tertium teſtimonium contra Dodvvellum dicit Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. pag. 414. in hæc verba: *Nobis ſunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui noſtris ſpe-*

(1) Pagius ad an. 272. §. 9.

(2) Henrici Dodvvelli diſſertationes Cyprianicæ exſtant cum Operibus S. Cypriani recognitis & illuſtratis a Joanne Fello edit. Amſtel. an. 1700. in fol.

(3) Principio Apologiæ primæ pag. 41.

ſpectantur oculis, qui torrentur, torquentur, & capite truncantur. Equidem uberes, imo *redundantes Martyrum fontes* paucitatem martyrum ſignificare non poſſunt. Origenes vero lib. 2. contra Celſum §. 17. pag. 404. *Multi*, inquit, *e noſtris quamvis probe ſcirent ſe, ſi in confitendo Chriſtianiſmo perſtarent, morituros, contra abſolutum iri, & ſuas facultates recuperaturos, ſi deſiſterent; tamen deſpecta vita, volentes mortem pietatis cauſſa occubuerunt*. Similia ſcribit Theodoretus ſerm. 8. de Martyribus: *Neque vero ſimpliciter fidem fecerunt Apoſtolorum ſcripta, ſed tantam fidem plurimis infixerunt, ut mortem pro his dogmatis libentiſſime oppeterent*. S. Cyprianus quoque in epiſtola ad Fortunatum De exhortatione Martyrii, extremo cap. 11. idem ſentire ſe oſtendit his verbis: *Si igitur & nos dicati Deo ac devoti vivimus, ſi ſupra juſtorum antiqua & ſancta veſtigia iter facimus, per eadem documenta pœnarum, per eadem paſſionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis ac fidei numerari non poſſunt Martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi & dicente*: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. (4) Conſentit S. Auguſtinus in Joan. Evangel. Tract. 113. §. 2. *Innumerabilis ſocietas ſanctorum Martyrum in regnum Cœlorum fortiter & violenter in-*

Pag. 593. tom. 4.

Apoc. VII. 9.

(4) Dodvvellus diſſertat. cit. §. 62. exiſtimat, *non loqui ſanctum Martyrem de illorum, qui jam facti eſſent martyres, numero: ſed potius eorum, qui Evangelii totius temporibus futuri eſſent*. Falſo. Nam allata S. Cypriani verba, niſi vim adhibeas, de martyribus futuris intelligi non poſſunt. Præterea idem Cyprianus martyres innumerabiles jam coronatos admittit etiam extremo libro *De mortalitate* pag. 470., ubi adhortatur Chriſtianos, ut ad cæleſtem patriam contendant, quod *magnus illic nos carorum numerus expectat* ... *illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus*.

intravit. (5) Quid quod conſentit etiam Prudentius? cujus auctoritati ac teſtimonio neceſſe eſt concedat Dodvvellus, qui vel ejus ſilentium tanti facit, ut eo utatur ad probandam ſententiam ſuam. (6) Teſtimonium igitur Prudentii hoc eſt ex Hymno XI. περὶ στεφάνων de Paſſione S. Hippolyti Martyris, ad Valerianum:

In-

(5) Idem S. Auguſtinus ſerm. 300. cap. 2. §. 2: *Martyrum millibus terra purpurata eſt*. Serm. 314. §. 2. *Impleverunt* poſt Stephanum *terram crebra martyria*. Serm. 252. cap. 8. §. 8. *Unus dies paſſionis Martyrum ſi computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum*.

(6) Ita ſcribens §. 6. memoratæ diſſertationis XI.: *Sub hujus* (quarti) *ſæculi finem ſcripſit* περὶ στεφάνων Prudentius, *in* Latinos *etiam* Martyras, *pracipue* Hiſpanos, *ſed & illos etiam* pauciſſimos.

Præterea eſt hoc magnum & impudens Dodvvelli mendacium. Nam *Prudentius a Baronio* ad an. 303. §. 105. *citatur vere ſcripſit*, teſte Pagio ad eumdem annum §. 12., *innumeram Chriſtianorum multitudinem in Hiſpaniis martyrium pertuliſſe*. Verſus Prudentii de Urbe Cæſarauguſta, περὶ στεφ. v. 57. ſunt hi.

Sola in occurſum numeroſiores
Martyrum turbas Domino paraſti:
Sola, prædives pietate, multa
    Luce frueris.
Vix parens orbis populoſa Pœni,
Ipſa vix Roma in ſolio locata,
Te Decus noſtrum ſuperare in iſto
    Munere digna eſt.
Omnibus portis ſacer immolatus
Sanguis excluſit genus invidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
    Urbe piata.

Quid vero ex Patrum homiliis, quarum, *inquit*, ſi ſuppoſititias a genuinis diſtinguamus, pauci ſupererunt Martyres, quorum feſta celebrarentur, *in ſuæ ſententiæ patrocinium colligere poſſit Dodvvellus, ſane non video, niſi prius duo probet: alterum, omnes ea de re Patrum homilias ad nos uſque pertigiſſe: alterum, nullum umquam Martyris feſtum abſque ejuſmodi homilia fuiſſe celebratum*. Ruinartus Præfat. in Acta Martyrum pag. 21. & 22.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus; o Chriſti Valeriane ſacer.
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quæris
Nomina? difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos juſtorum populos furor impius hauſit;
Cum coleret patrios Troja Roma Deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod:
Sunt & muta tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis,
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Reliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus (7).

Quod ſi innumerabilis in Urbe martyrum copia fuit, quanta fuerit in Orbe toto, per quem rabies Perſecutorum graſſata eſt?

Hactenus veteres Patres; nunc Eccleſiæ perſecutiones attingamus. Nero *primus omnium perſecutus eſt Dei ſervos*, (8) quorum *multitudo ingens quæſitiſſimis pœnis affecta* periit. (9) Non ſolum enim *Romæ*, ſed etiam *per omnes provincias ipſum* Chri-

(7) Sed & Paulinus id ante docuerat De S. Felice Natal. Carm. 13. pag. 171.
Hic Petrus; hic Paulus proceres, hic Martyres omnes,
Quos ſimul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis.
S. Leo ſer. 80. in Natali Apoſt. Petri & Pauli, extremo c. 6. p. 165.: *Duo iſta præclara divini ſeminis germina in quantam ſobolem pullularint, beatorum millia Martyrum proteſtantur, quæ Apoſtolicorum æmula triumphorum, Urbem noſtram purpuratis & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum conſerto uno diademate coronarunt.*

(8) Lactantius De mortibus Perſecutorum cap. 2. pag. 39.

(9) Tacitus Annal. lib. 15. cap. 44.

Chriſtianorum *nomen exſtirpare conatus* eſt. (*) *Secundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur, & ſub eo ſcribit Brutius plurimos Chriſtianorum feciſſe martyrium*. (10) *Tanta porro & tam gravis pleriſque in locis adverſus noſtros perſecutio* tertia ſub Trajano *ſæviebat*, *ut Plinius ſecundus inter Provinciarum rectores celeberrimus*, *motus Martyrum multitudine*, *ad Principem retulerit* (lib. 10. epiſt. 97.) *de numero eorum*, *qui Fidei cauſſa obtruncabantur*. (11) Hadriani *perſecutionem*, quam alii quartam, alii tertiæ appendicem faciunt, *graviſſimam* fuiſſe, ſcribit S. Hieronymus epiſtola
Tom. I. pag. 426. 70. ad Magnum, ſimul ſcribens ab eo poſtea ſedatam, perſuadente Quadrato. *Cum* vero *Severus perſecutionem* quintam *adverſus Eccleſias excitaſſet*, *per omnes quidem ubique locorum Eccleſias ab athletis pro pietate certantibus illuſtria ſunt con-*

(*) Oroſius lib. 7. cap. 7. pag. 473. Vide annotat. 13. ad S. Petrum in Vitis Pontificum.

(10) Euſebius in Chronico ad an. Dom. 96. pag. 164. & 165.

Idem Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 17.: *Domitianus Neronianæ impietatis*, *bellique & odii adverſus Deum ſucceſſorem ſeipſum profeſſus eſt*.

(11) Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 33. ubi addit, *ſi non palam & publice*, *locales tamen in aliquot provinciis perſecutiones exarſiſſe*, *& plurimos ex Fidelibus multiplicis martyrii certamen ſubiiſſe*. Vel ex hoc uno Euſebii loco refellitur Dodvvellus, qui §. 28. putat in Trajani perſecutione Ignatium duntaxat, Zoſimum, & Rufum morte in Syria affectos.

Præterea Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes, cujus ille auctoritate nititur, hæc habet apud eumdem Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. extremo cap. 36. *Obſecro vos omnes*, *ut pareatis Præpoſitis veſtris*, *omnemque patientiam exerceatis*, *quam ſpectaſtis non ſolum in Ignatio*, *Ruſo*, *ac Zoſimo viris beatiſſimis*, *ſed etiam in aliis civibus atque inquilinis veſtris*.

Idem Euſebius in Procemio libri quinti ſcribit, *Antonini Veri tempore*, *cum in nonnullis terrarum partibus violentior adverſus noſtros perſecutio commota eſſet ex incurſione popularium*, *innumerabiles prope martyres per univerſum orbem enituiſſe*.

confecta martyria. (12) Et quidem *adeo commota tunc adverſus noſtros perſecutio multorum animos vehementer perturbaverat*, ut Judas ſcriptor coævus *decantatum illum Antichriſti adventum jam tum imminere exiſtimaverit*. (13) *Sexta perſecutione tribus annis a Maximino commota*, (14) *non modo Præſules*, *ſed & Clericos Eccleſiarum ab eo vexatos Severus tradit*. (15) Septimus, *qui vexaret Eccleſiam*, *exſtitit exſecrabile animal Decius*. *Et quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium*, *furere protinus contra Deum cœpit*. (16) *Non multo poſt Valerianus quoque non diſſimili furore correptus*, *impias manus in Deum intentavit*, *& multum*, *quamvis brevi tempore*, *juſti ſanguinis fudit*. (17) Aurelianus item *nonus a Nerone* (18) *iram*

(12) Euſebius lib. *6*. Hiſt. Eccl. cap. 1. & cap. 2.: *Severo annum Imperii decimum agente*, *cum perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium*, *atque innumerabiles martyrio coronarentur*.

(13) Apud eumdem Euſebium lib. *6*. Hiſt. Eccl. cap. 7. Vide annotat. 2. ad S. Zephyrinum Pontif. XVI.

(14) Euſebius lib. *6*. Hiſt. Eccl. cap. 20. Rufino interprete, inter Auctores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editos Baſilææ 1544. apud Frobenium in fol.

(15) Lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ cap. 32. Baronius ad an. 273. §. 5. Vide annotat. 2. ad S. Pontianum Pontif. XIX.

(16) Hieronymus De Viris illuſtribus cap. 54. pag. 881. tom. 2. *De crudelitate autem perſecutionis*, *quæ adverſum Chriſtianos ſub Decio conſurrexit*, *eo quod in religionem Philippi deſæviret*, *quem & interfecit*, *ſuperfluum eſt dicere*, *cum etiam Fabianus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus*, *in ipſa occubuerit*, *& Alexander*, *Babylaſque Hieroſolymorum*, *& Antiochenæ Eccleſiæ Pontifices in carcere pro confeſſione Chriſti dormierint*.

Idem in Chronico ad an. Dom. 254. *Decius cum Philippos Patrem & filium interfeciſſet*, *ob odium eorum in Chriſtianos perſecutionem movet*.

(17) Lactantius De mortibus Perſecutorum cap. 4. & 5. pag. 56. & 58. Vide annotat. 5. ad S. Fabianum Pontif. XXI.

(18) Oroſius lib. 7. extremo cap. 23.

iram Dei crudelibus factis laceſſivit. (19) Tot denique Catholicæ Fidei profeſſores martyrio coronatos Cælo inſeruit decima perſecutio anno Chriſti 303. ab Diocletiano decreta, & per *annos decem, menſes plus minus quatuor* (20) propagata; ut vel inde ſolum poſſit Eccleſia de ingenti Martyrum multitudine jure ac merito gloriari. Etenim furente Diocletiano *omnis ſexus & ætatis homines ad exuſtionem rapti. Nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, at gregatim circumdato igni ambiebantur. Vexabatur univerſa terra; & præter Gallias ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ* (Diocletianus, Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus) *ſæviebant*, (21) prorſus ut *dici non poſſit, quot & quantos Chriſti Martyres in omnibus locis atque Urbibus paſſim cernere li-*

(19) Teſte Lactantio de mortibus Perſecutorum cap. 6. pag. 64. Non igitur *intentata duntaxat ab Aureliano* perſecutio, ut vult Dodvvellus §. 64.: ſed etiam executioni mandata. Id quod indicant etiam verba, quæ e veſtigio ſubjicit Lactantius: *Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt*. Nonnihil certaſſe illum oportet, qui inter pugnæ initia periit. Non itaque ante initium perſecutionis, ſed antequam perſecutionem perficeret & ad exitum perduceret, Aurelianus deceſſit. *Nondum*, addit Lactantius, *ad provincias ulteriores cruenta ſcripta pervenerant, & jam Cænofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe jacebat*. Quæ cruenta ad ulteriores provincias ſcripta non pervenerunt, ad citeriores utique propinquioreſque perveniſſe neceſſe eſt.

(20) Lactantius De mortibus Perſecutorum extremo cap. 48. pag. 294.
Sulpicius Severus lib. 2. cap. 32.: *Diocletiano & Maximiano imperantibus acerbiſſima perſecutio exorta, quæ per decem continuos annos Plebem Dei depopulata eſt*. Id intelligi poteſt etiam ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii lib. 8. cap. 15. Vide Pagium ad an. 314. §. 6. & noſtram annotat. 1. ad S. Marcellinum.

(21) Lactantius De mortibus Perſecutorum cap. 15. & 16. pag. 118. & 122. Vide annotat. 1. ad S. Marcellinum Pontif. XXX.

licuerit. (22) Abeat igitur Dodvvellus, & relictis graviſſimis teſtimoniis, fidem habeat conjecturis ſuis, veris ſcilicet atque perſpicuis. Nos ſecuti Eccleſiæ traditionem ſolidiſſimis fundamentis innixam, teneamus, in Cœlis eſſe *Martyrum innumerabilem populum ob certaminis & paſſionis victoriam coronatum*. (23)

Reliquum eſt, ut potiora argumenta, quæ Dodvvellus attulit pro paucitate Martyrum, excutiamus. *Si tot olim*, ait §. 5., *fuiſſent*, *quot putantur* martyres, *ſupereſſent hodieque e probatis illorum ſæculorum monumentis eorum ſaltem nomina*. Etenim, ut loquitur idem Dodvvellus §. 3., *adeo ſedulos fuiſſe in* martyrum *geſtis memoriæ tradendis veteres*, *ut* nihil illos fere fugerit, *diſcimus* ex Cypriano, (24) & Pontio. (25) At Dodvvellus ipſe defenſionem præbet ſubjiciens e veſtigio: *Niſi in* Diocletiani *fortaſſe perſecutione*, *quæ*

(22) Euſebius lib. 8. Hiſt. Eccl. extremo cap. 4. Idem cap. 6.: *Tunc etiam Anthimus Eccleſiæ Nicomedienſis Epiſcopus ob confeſſionem Chriſti in eadem Urbe capite truncatus eſt. Huic adjuncta eſt ingens Martyrum multitudo.... Alios quoque innumerabiles vinctos & ſcaphis impoſitos carnifices in profundum mare projecere.. vix jam iniri numerus poteſt omnium, qui deinceps in ſingulis provinciis paſſi ſunt, Martyrum, ac præſertim eorum, qui per Africam & Mauritaniam, per Thebaidem & Ægyptum ſunt interfecti. Illic enim*, ſubdit idem Euſebius cap. 8., *viri prope innumerabiles cum uxoribus & liberis pro Servatoris noſtri doctrina temporalem hanc vitam aſpernati, varia mortis genera ſuſtinuerunt.*

(23) S. Cyprianus extremo libro *De mortalitate* pag. 470.

(24) Epiſt. 37. pag. 115. *Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.*

(25) In Vita S. Cypriani cap. 1. apud Surium ad diem 14. Septembris, & apud Fellum initio Operum S. Cypriani pag. 1. *Majores noſtri plebejis & catechumenis martyrium conſecutis tantum honoris pro martyrii ipſius veneratione dederunt, ut de paſſionibus eorum multa, aut prope dixerim, pœne cunna conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.*

quæ ſcripta Eccleſiaſtica exhauſit, teſte Euſebio lib. 8. cap. 2., *illa monumenta perierint*. (26) Et quidem *omnes Scripturas in Diocletianea perſecutione miſerum naufragium feciſſe*, (27) conſentiunt viri doctiſſimi. Quin etiam ante Diocletiani perſecutionem Arnobius extremo lib. 4. adverſus Gentes pag. 152. illis exprobrat, quod *noſtra ſcripta ignibus darent*. Qua item de re conqueritur Prudentius περὶ στεφάνων Hymno I. in honorem Sanctorum Martyrum Erveterii & Chelidonii, quorum martyrii acta Ethnici ſuppreſſerant, ne *ordinem*; *tempus*; *modumque paſſionis* poſteri cognoſcerent, & ad mortem pro Chriſto alacriter ſubeundam excitarentur. Quod igitur paucorum martyrum nomina legantur in antiquis indubiæ fidei monumentis, non ideo eſt inficiandum fuiſſe multos, qui in primævis Eccleſiæ perſecutionibus vitam Chriſto reddiderint: cum *non paſſi gravius martyres*, *quam eorum hiſtoriæ videantur*, (28) Præterea animadvertendum eſt, *Martyrum alios* ſolemnes *fuiſſe*; *alios non fuiſſe*. Solemnes *eos dicimus*, *qui ſecundum formulam a Legibus conſtitutam*, *præmiſſa interrogatione*, *triſti a judicibus lata ſententia*; *morti mittebantur*. *Talis martyr Cyprianus*; *teſte Pontio in ejus Vita pag.* 15. Subito Proconſuli nunciatus eſt, producitur; admovetur, interrogatur de ſuo nomine; ſe eſſe reſpondit. Legit itaque de tabula ſen-

(26) Euſebii verba loc. cit. ſunt: *Tunc cum Ædes ſacras ſolo æquari, ac funditus ſubverti; ſacros Divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis noſtris vidimus*.

(27) Pagius ad an. 64. §. 3.

Oroſius lib. 7. cap. 25.: Diocletiani perſecutio *per decem annos incendiis Eccleſiarum, proſcriptionibus innocentum, cædibus martyrum inceſſabiliter acta eſt*.

(28) Joannes Fellus in cit. Epiſt. 37. S. Cypriani, quæ ipſi eſt 12. pag. 188.

ſententiam. *Talis Martyr Apollonius*. Qui, ut eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 21. elegantiſſima oratione pro defenſione fidei ſuæ coram omnibus pronunciata, capitali ſupplicio a Senatu damnatus eſt. *Martyrum ejuſmodi ab oblivione vindicari potuiſſe nomina concedimus, ſive ex Actis Judicum; ſive ex tabulis Chriſtianorum. Qui vero populorum furore immolati Martyres, eorum nomina ex Actis Judicum peti non poterant. De hiſce Martyribus, qui nulla Magiſtratuum ſententia perierunt; legimus in Dionyſii Alexandrini epiſtola apud Euſebium lib. 6. cap.* 41. Ab hoc igitur homine ſtimulati, omnemque ad patranda ſcelera licentiam nacti, hanc ſolam pietatem cultumque Dæmonum ſuorum exiſtimabant, ſi cædibus adverſus nos ſævirent. *Quin etiam cum exultantem tyrannorum furorem nullæ reprimunt juris habenæ, ac immiſſis ubique percuſſoribus, miſta ſenum, & juvenum, mulierum & virorum denſantur funera, nulla ſive Kalendaria, ſive Judicum Acta Martyrum nomina commendavere poſteris*. (29)

Sed de paucitate *primævorum martyrum* ſubjicit §. 7. Dodvvellus, *diſertiſſimum habemus* Origenis *teſtimonium. Pauci*, inquit, *per intervalla temporum & facile numerabiles pro Chriſtiana religione mortem obierunt*. Reſpondeo, Origenem his verbis hoc ſolum ſignificare, quamvis in Chriſtianos ſævitum fuerit crudeliſſime, Chriſtianos tamen omnes deleri non potuiſſe, paucoſque revera pro Chriſto morte affectos, ſi cum iis comparentur, qui ſuperſtites fuerunt: quoniam *eorum gentem prorſus extingui numquam permiſit Deus*. Nimirum id probare Origenes contendit, *Chriſtianos ſuam ſeditioni*, quod Celſus ajebat, *acceptam non referre originem*. Probat autem hac ratione: *Neque enim Chriſtiani ſuam a ſeditione ducentes ori-*

(29) Baſnagius ad an. Dom. 96. §. 9. pag. 809. tom. 1.

originem Leges admiſiſſent ita pacificas , ut propter eas factum fuerit , ut veluti oves interficerentur , nec per eas liceret de perſecutoribus ſumere ſupplicium . Porro Chriſtianos *benignam illam manſuetamque legem* conſervantes a perſecutoribus tutatus eſt Dominus , qui tamen , ut alii *videndis paucis pro pietate certantibus firmiores fierent , mortemque ſpernerent* , paucos per intervalla temporum & facile numerabiles excitavit ad mortem pro Chriſtiana religione obeundam , reſervatis pluribus , per quos voluit *univerſam terram ſalutari illa doctrina repleri* . (30) Dicit igitur Origenes, paucos pro Chriſto obiiſſe reſpectu plurimorum, quos Deus ex perſecutionibus ad Chriſtianam doctrinam propagandam reſervavit . Namque Origenem admiſiſſe Martyrum multitudinem certum eſt ex verbis, quæ ex ejus libro 2. contra Celſum ſupra recitavimus.

Urget Dodvvellus §. 8. primum ajens, *Lactantium* De mortibus perſecutorum, *paucos ante Diocletianum in eo perſecutorum albo recenſuiſſe , Neronem duntaxat , Domitianum , Decium , Valerianum , atque Aurelianum* : deinde negans *edictis illos in Chriſtianos ſæviiſſe , ut proinde multi eſſe nequeant , qui horum Imperatorum auctoritate perierint , & qui illis temporibus martyrium paſſi ſunt , vel Præfectorum provincialium edictis , aut plebium in theatro clamoribus paſſi intelligantur .* At Lactantius, ut patet ex titulo ipſo atque contextu Libri , eos tantum Imperatores recenſet , qui ob vexatam Eccleſiam , & *juſtos excarnificatos , cœleſtibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt .* (31) Quare Trajano & Antoninis, qui obierant mortem placidam, prætermiſſis, quinque Imperatores illos tantum commemorat , quos Deus, Per-

(30) Contra Celſum lib. 3. §. 7. & 8. pag. 451. & 452.
(31) Lactantius De mortibus Perſecutorum cap. 1. pag. 22.

Perſecutorum Eccleſiæ ſuæ vindex, morte turpi ac fœda multavit. (32) Neque vero ex ſolis Imperatorum aut Præfectorum Provincialium edictis, aut plebium in theatro clamoribus ſævitum eſt in Chriſtianos, ſed multo maxime ex præſcripto Legum Romanarum, quibus externa atque aliena religio quælibet vetabatur, (33) ideoque etiam Chriſtiana, quæ & externa erat, & cuilibet religioni alii, tamquam impiæ atque perverſæ, contraria. Itaque Origenes extrema hom. 9. in Librum Joſue: *Convenerunt*, inquit, *Reges terræ, Senatus populuſque Romani, ut expugnarent no-*

(32) Idem Lactantius lib. 5. Inſtitut. Divin. extremo cap. 11. hæc habet De Præſidibus Provinciarum: *Vidi ego in Bithynia præſidem gladio mirabiliter elatum, tamquam Barbarorum gentem aliquam ſubegiſſet, quod unus, qui per biennium magna virtute reſtiterat, poſtremo cedere viſus eſt. Contendunt igitur, ut vincant, & exquiſitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur. Quaſi vero mors tantummodo beatos faciat: ac non etiam tormenta, quæ quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci ſtultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus ſanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri poteſt? non curaſſent tam ſolicite, quos amarent. Hæc eſt Deorum diſciplina. Ad hæc opera cultores ſuos erudiunt; hæc ſacra deſiderant. Quin etiam ſceleſtiſſimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius* De officio Proconſulis *libro ſeptimo reſcripta nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur.*

(33) Cicero lib. 2. de Legibus cap. 8.

De plebium ac populorum furore nota ſunt illa Tertulliani in Apologetico cap. 40. *At e contrario illis nomen factionis accommodandum eſt, qui in odium bonorum & proborum conſpirant, qui adverſum ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſſam. Si Tiberis aſcendit ad mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem.*

nomen Jeſu , & Iſrael ſimul . Decreverunt enim legibus ſuis , ut non ſint Chriſtiani . (34) Tertullianus quoque in Apologetico adverſus Gentes cap. 37.: *Quoties* , ait , *in Chriſtianos deſævitis partim animis propriis , partim legibus obſequentes ?* His legibus ſi nova accederent edicta Imperatorum, tunc maxime Chriſtiani vexabantur . Novis tamen Imperatorum edictis opus non fuiſſe ad Chriſtianos vexandos, conſtat ex celebri epiſtola Plinii Secundi ad Trajanum , qua ille *cum provinciam regeret* , licet nullum eſſet edictum Trajani, ut contendit Dodvvellus §. 8., *damnatis* tamen *quibuſdam Chriſtianis* , *quibuſdam gradu pulſis* , *ipſa* demum *multitudine perturbatus* , *quid de cetero ageret* , *conſuluit Imperatorem* . (35) Imperatorum autem edicta adverſus Chriſtianos non fuiſſe rara & pauca , indicat apud Lactantium Domitius, qui librum nefariis hujuſmodi ſcriptis complevit . (36)

Tranſit hinc Dodvvellus ad perſecutiones, conaturque eas imminuere , ut copiam martyrum imminuat . Primam Neronis perſecutionem , ait §. 13. , *non aliorum certe Chriſtianorum illam eſſe potuiſſe perſecutionem* , *quam eorum* , *qui Romæ verſarentur* . Siquidem *in illos* , *qui Roma aberant* , *nulla erat vel ſpecie tenus veriſimilis ratio* , *cur intentaretur Urbis incendium* . (37) *Sed levis hæc ratio* ,

(34) Operum tom. 2. pag. 422.

(35) Tertullianus Apologetici cap. 2. pag. 3.

(36) Vide ſupra poſitam annotat. 32. , ubi verba ipſa Lactantii recitantur.

(37) De quo narrat Tacitus lib. 15. Annal. cap. 40. Capite autem 44. perſecutionem ita deſcribit , *ut plane innuat* , quemadmodum Dodvvellus ipſe §. 13. ejus auctoritate permotus fatetur , *plurimos fuiſſe* , *qui in ea paterentur* . Igitur primo, *inquit*, correpti, qui fatebantur, deinde judicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii , quam odio humani generis convicti ſunt . *Eam* in-

tio, reſpondet Pagius ad an. 64. §. 4. & 6. *Nero quippe*, *non vero Chriſtiani*, *auctor incendii*, *ideoque edictum non tantum ad Chriſtianos Romæ agentes vexandos*, *ſed ad univerſam ſectam per Imperium Romanum abolendam emiſſum*, *ut ex his Lactantii* lib. de mortibus Perſecutorum cap. 2. *verbis intelligimus*: Cum animadverteret (*Nero*) non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetuſtate tranſire, ut erat exſecrabilis ac nocens tyrannus, proſilivit ad exſcindendum cæleſte templum. *Hæc itaque perſecutio non localis*, *ſed univerſalis fuit*. *Nec refert*, *quod Tacitus de iis*, *quæ in Provinciis adverſus Chriſtianos geſta*, *ſermonem non habeat*: *cum Svetonius* in Nerone cap. 16. *perſecutionem ad Urbem Romam non reſtringat*: Affecti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ, *inquit Svetonius*. *His adde Oroſium lib.* 9. *ſcribentem*: Denique omnibus flagitiis ſuis hoc etiam addidit, (*Nero*) quod primus Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperavit. Ipſum quoque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Apoſtolos Petrum cruci affixit, Paulum capite gladio ſecuit: *quod martyrium anno ſequenti contigit*, *ideoque perſecutio*, *quæ hoc anno Romæ cœpit*, *intra illud tempus in alias provincias popagata*, &c. *Denique cum*, *Sulpicio Severo lib.* 2. *Hiſt. Auguſtino lib.* 20. *De Civitate Dei cap.* 16. *&* *Lactantio lib. De mortibus perſecutorum cap.* 2. *teſtibus*, *Fideles olim exiſtimaverint*, *Ne-*

H 2 ro-

ingentem multitudinem *etiam pœnæ fuiſſe ſubjectam*, *innuunt ſequentia*, *in quibus pœnam eorum per noctes pariter*, *atque dies duraſſe legimus*. *Quid quod* repreſſam *dicit ea perſecutione* in præſens exitiabilem; *quam appellat*, *Chriſtianorum* ſuperſtitionem? *quod certe niſi* ingenti *aliqua* multitudine *ſublata*, *fieri non potuit*.

ronem Antichriſtum in fine mundi futurum ob perſecutiones, quarum ipſe initium fecit; liquet, eum non tantum in Romanos, ſed etiam in alios aliarum regionum Chriſtianos furorem ſuum exercuiſſe: quod eo magis certum, quod poſt Domitianum ſecundum Eccleſiæ perſecutorem, Imperatores, qui Chriſtianos exterminare voluere, nova plerumque edicta adverſus eos non emiſerint, ſed ea Neronis ac Domitiani vim habere præcepe int, ut inter omnes convenit.

Secundam perſecutionem excitatam a Domitiano adeo brevem fuiſſe vult Dodvvellus §. 16., *ut vix unum annum implere potuerit*. Aſſerit enim ex Brutii verbis apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 18. Chriſtianos non niſi anno Chriſti 95. a Domitiano vexatos: quia videlicet ejus Principatus anno quinto decimo, qui eidem anno Chriſti 95. reſpondet, Flavia Domitilla Flavii Clementis tunc Conſulis ex ſorore neptis, ob confeſſionem Chriſti in inſulam Pontiam deportata eſt, & anno inſequente die 18. Septembris occiſus Domitianus, cum anno ſuperiore die 13. ejuſdem menſis Tribunitiam poteſtatem iniiſſet. Addit ex Tertulliano, Domitianum ne ad cruciatus quidem progreſſum eſſe, nedum ad cædem. Sic enim ille ſcribit Apologetici cap. 5. *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate, ſed qua & homo, facile cœptum repreſſit, reſtitutis etiam, quos relegaverat*. Tentavit *itaque duntaxat, non item* Cæſariano, *quod fecit Nero*, gladio ferociit. *Sed non aſſentitur* Pagius ad an. 90. §. 6. & 7., *quia ideo Brutius, cujus liber periit, perſecutionem cum anno XV. Domitiani junxit, quia tunc maxime graſſata eſt, ipſeque Flavius Clemens vix depoſito Conſulatu ordinario occiſus, & Domitilla ejus neptis in inſulam Pontiam deportata. Quæ, utpote magis illuſtria, a Brutio anno Domitiani XV. quo accidere, conſignata. Ex quo male infertur, Domi-*

mi-

mitianum ante in Chriſtianos non ſæviiſſe; præſertim cum Hieronymus tradat, Joannem Evangeliſtam anno Domitiani XIV. in oleum igneum conjectum eſſe. (38) *Quia vero perſecutio Domitianea Neroniana minor fuit, de ea loquitur Tertullianus quaſi prioris tantum adumbratio fuiſſet, non quod multi occiſi non fuerint, ſed quod non tantæ adverſus eos crudelitates exercitæ. Quod ſi Tertullianus de relegatis tantum loquitur, factum id; quia eoſdem Domitianus ante mortem reſtituit.* Præterea Domitianus, ut eſt apud Baronium ad an. 93. §. 3., ab Ethnicis Nero appellatus eſt, Nerone ſævior a Tacito, portio Neronis a Tertulliano ob cædes nimirum ejus juſſu factas; adeo falſum eſt, excitatam ab eo perſecutionem cruentam non fuiſſe. (39)

Quartam perſecutionem, quæ ſub Hadriano ſæviiſſe dicitur, ita oppugnat Dodvvellus §. 28. Antonino Pio *ut* pacem Chriſtianis *impetraret*, Hadriani *nomine uſus eſt, qui vixit ſub* Hadriano S. Juſtinus *Martyr: qua fronte uſurus, ſi & ipſe fuiſſet perſecutus?*

Nimirum Hadriani nomine uſus eſt Juſtinus Antonino Chriſtianis propitiando, non quod Hadrianus Chriſtianos numquam inſectatus eſſet, ſed quod eos numquam damnaſſet ſine inquiſitione diligenti, & haud ſervatis judicii legibus. Siquidem *refert Juſtinus, Imperatorem Hadrianum acceptis a viro clariſſimo Serenio Graniano Proconſule litteris, quibus monebat, iniquum videri, Chriſtianos nullo objecto crimine, tumultuoſis vulgi clamoribus*

(38) De Viris illuſtribus cap. 9. tom. 2. pag. 831. & in Matthæum cap. 22. tom. 7. pag. 156.

Chronicon Paſchale pag. 200. edit. Venetæ. *Narrat Bruttius multos Chriſtianos circa hunc XIV. Domitiani annum martyrio fuiſſe ſublatos.*

(39) Vide eumdem Baronium ad an. 93. §. 3. & 4. ad an. 94. §. 7. & ad an. 98. §. 4.

bus gratificandi ſtudio, indicta cauſſa occidere; *reſcripſiſſe Minutio Fundano Aſiæ Proconſuli, ne quis poſthac ſine objectu criminis, & legitima accuſatione condemnaretur*. (40) Quæ Euſebii verba indicia ſunt perſecutionis *ardentis*, quod negat Dodvvellus §. 31. Ad hæc Juſtinus agens de converſione ſua, quam contigiſſe Hadriano imperante certum eſt, dicit ſe Chriſto nomen dediſſe, quod *audiret, calumnioſe Chriſtianos deferri, intrepide autem ad mortem & alia, quæ terribilia eſſe cenſentur omnia, adire conſpiceret*. (41) Ex quibus colligitur, etiam ſub Hadriano Martyres claruiſſe. (42)

Quinta ſæviente perſecutione *tantam* non *fuiſſe, quantam innuit* Euſebius, *martyrum multitudinem, ex ipſa* Euſebii *hiſtoria colligit* Dodvvellus §. 43. *Nec enim* multos *ille recenſuit, nec vero admodum* multos *ſignificat a ſe eſſe prætermiſſos*. Concedo, Euſebium haud multos Martyres recenſuiſſe, nego autem, eumdem ſignificare, non admodum multos ab ſe eſſe prætermiſſos. Primum verum eſt, quia primarios tantum Martyres nominavit, cum ad ejus tunc inſtitutum non pertineret de omnibus ſingillatim Chriſtianis in hac perſecutione

(40) Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 8. pag. 99.

(41) Apologia 1. pag. 50.

(42) Mabillonius tom. 1. Muſei Italici pag. 238. *Idem Dodvvellus ibidem* §. 33 pag. 76. *aſſerit* nullius martyris in probis monumentis exſtare memoriam, qui paſſus ſit ſub Hadriano: *quod refellitur ex ſequenti inſcriptione, poſt ſuperiorem adducta in Roma ſubterranea, ex Cœmeterio itidem Caliſti*.

Tempore Hadriani Imperatoris
Marius Adoleſcens Dux Militum, Qui
Satis vixit, dum Vitam pro Chriſto
Cum ſanguine conſunſit, in pace tandem
Quievit. Bene merentes cum lacrymis
Et metu poſuerunt id. VI.

Metus ille ſine dubio oriebatur ex fervore perſecutionis, quæ vigebat tempore Hadriani, *quod de* Antonini *etiam tempore inſcriptio prior conteſtatur*.

ne interfectis narrare. *Nam collectionem de Martyribus ſejunctim ab Hiſtoria compoſuiſſe, manifeſte liquet tum ex* lib. 4. cap. 14., *ubi de S. Pionio lectorem plura cupientem ad proprium Opus* De Veterum Martyriis *delegat: tum* lib. 5. c. 21., *ubi de Apollonio Senatore agit*, qui capitali judicio a Senatu damnatus fuerat. (43) Alterum eſt falſum, quia Euſebius, cujus verba ſuperius poſita ſunt, aperte tradit, *per omnes ubique locorum Eccleſias ab athletis pro pietate certantibus illuſtria eſſe confecta martyria*. Cum Euſebio facit Auctor Chronici Paſchalis ſeu Alexandrini pag. 213. *Severus dum Alexandriæ moratur, contra Chriſtianos perſecutionem excitavit, in qua complures ex Alexandria, Ægypto & Auguſtamnica atque adeo uſque ad Thebaidem pro Chriſto martyrium ſubjere.* (44)

Intentatam duntaxat ab *Aureliano* perſecutionem, *non item* executioni *mandatam*, ſtatuit Dodvvellus §. 64. quia *id ſatis manifeſte indicant Scriptores illis temporibus proximi*, Lactantius (45) *& Euſebius*. Hic enim ita loquitur de Aureliano in extremo cap. 30. libri 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: *Proceſſu vero temporis aliter de nobis ſentiens, quorumdam conſiliis cœpit impelli, ut perſecutionem adverſus noſtros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor ſpargebatur. Sed eum paratum jam, & compoſitis contra nos edictis, ut ita dixerim ſubſcribentem ulta eſt divina juſtitia, quaſi conſtricto cubitu conatum ejus reprimens,*

(43) Florentinius in Admonitionibus præviis ad Martyrologium Hieronymianum admonitione 3. pag. 11.

(44) Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. Francorum cap. 27. pag. 22.: *Veniente perſecutione talia ibidem Diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt jugulata, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus.*

(45) Vide annotationem 10.

mens, *ſimulque omnibus apertiſſime oſtendens*, *nihil umquam hujus mundi Principibus adverſus Chriſti Eccleſias licere*, *niſi propugnatrix Dei dextera arcano quodam ac cæleſti judicio ad caſtigationem & emendationem noſtram*, *quibus ipſi viſum eſt temporibus id fieri permiſerit*. Ex his ita colligit Dodvvellus: *Nondum igitur perſecutionem* excitaverat, *vixdum etiam* ſubſcripſerat *edictis*, *cum a Deo punitus eſt*. *Verum Euſebius*, ut eſt apud Pagium ad an. 272. §. 7., *non negat*, *perſecutionem ab Aureliano reapſe excitatam*: *ſed per exaggerationem*, *& oratorie loquitur*, *ut ſæpe in ſua Hiſtoria*, *& Vita Conſtantini*, *ideoque in Hiſtoria non retractat*, *quod jam in Chronico ſcripſerat*. (46) *Eum rhetorice locutum duo demonſtrant*. *Primum* edictis ut ita dixerim ſubſcribentem ulta eſt divina juſtitia. *Nota hæc verba*, ut ita dixerim. *Secundum* quaſi conſtricto cubitu conatum ejus reprimens, *ex verſione Valeſii*. *Quare Euſebius contrarius non eſt Lactantio*, *qui prodit perſecutionis decretum re ipſa emiſſum fuiſſe*, *ſed antequam ad ulteriores Imperii provincias perlatum eſſet*, *Aurelianum interiiſſe*. *Ipſemet* Euſebius *nobis conſervavit orationem Conſtantini Magni ad Sanctorum cœtum*, *ubi hic Imperator in cap*. 24., *quod inſcribitur:*

(46) Ad an. Domini 278. pag. 180.: *Aurelianus cum adverſum nos perſecutionem moviſſet* (non intentaſſet, aut comminatus eſſet) *fulmen juxta eum*, *comiteſque ejus ruit*, *ac non multo poſt inter Conſtantinopolim & Heracliam in Cenophrurio viæ veteris occiditur*. Objicit Dodvvellus §. 64., Hieronymum hujus Chronici interpretem *male mentem* Euſebii *quæſiviſſe potius in Chronico*, *quam in Hiſtoria*. At ipſe Dodvvellus ſupra §. 36. agens de Marci Aurelii perſecutione *Chronico potius accedit*, quam Hiſtoriæ Euſebii.

S. Auguſtinus De Civitate Dei lib. 18. cap. 52.: *Ab Aureliano nonam perſecutionem computant*. Quam numerandi rationem inire haud potuerunt, ſi nihil crudelitatis Aurelianus adhibuit in Chriſtianos. Vide Pagium ad an. 272. §. 8. & ſeqq.

tur: De Decii, Valeriani & Aureliani calamitoſo vitæ exitu ob perſecutionem Eccleſiarum, *Aurelianum ita alloquitur*. Tu etiam, Aureliane, omnium ſcelerum incentivum, cum in Thraciam quaſi aperto marte & inſanæ mentis impetu ferebaris, in media via cæſus, orbitas in via impreſſas impio cruore complevisti. *Quod ſi minas tantum Aurelianus intentaſſet, nullumque Chriſtianum ſanguinem fudiſſet, eum inter ſæviores Eccleſiæ perſecutores Conſtantinus non recenſuiſſet. Quare* Euſebio *in mentem venire non potuit, ab* Aureliano *nullam reapſe perſecutionem excitatam eſſe*. (47)

(47) S. Joan. Chryſoſtomus contra Judæos & Gentiles §. 15. pag. 578. tom. 1. *Gentiles erant Imperatores Auguſtus, Tiberius, Cajus, Nero, Veſpaſianus, Titus, & poſt illum omnes uſque ad tempus beati Conſtantini Imperatoris: omneſque illi, alii minus, alii vehementius Eccleſiam oppugnabant, oppugnabant tamen omnes. Quod ſi qui eorum viſi ſunt mitius agere; hoc ipſum tamen quod Imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum* (perſecutionum) *erat, cum alii, qui ipſis adulabantur, gratiam illorum captantes Eccleſiæ bellum inferrent*.

DIS-

DISPUTATIO X.

De Azymo Latinorum.

INtricatiſſimam de Azymo Latinorum diſputationem, quæ viros magnos traxit in diverſa, (1) aggredior, facem præferentibus Franciſco Macedo, (2) & Honorato a S. Maria. (3) Horum ego veſtigiis inſiſtens connitor ſuadere Latinam Eccleſiam azymo pane ad Euchariſtiam conficiendam ex Apoſtolica Traditione ſemper uſam eſſe. Quod antequam facio, illud pro certo pono, quod adverſarii ipſi concedunt atque confirmant, Latinos poſt ſæculum VIII. aut IX. panem azymum, fermentato abjecto, conſecrare cœpiſſe, & poſt ſæculum X. ſaltem aut XI. hoc eſt poſt tempora Michaelis Cerularii, ritum conſecrandi panis azymi in Eccleſia Latina fuiſſe com-

(1) Sirmondus in Diſquiſitione de Azymo edita anno 1651. cap. 2. & 3. Operum Variorum tom. 4. pag. 354. & 355. docet, *Latinam Eccleſiam uſque ad annum Chriſti 693. ac ducentis quoque poſt annis azymis abſtinuiſſe, & azymorum initium apud Latinos ad intervallum illud refert, quod Photium inter & Cerularium, hoc eſt ab anno Æræ Chriſtianæ 867. ad 1054. interceſſit.*

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 15.: *Valde probabile & credibile fit, majores noſtros octo ſaltem vel novem prioribus ſæculis nullum poſuiſſe diſcrimen inter azymum & fermentatum: ſed pro diverſa locorum & temporum occaſione alterutrum indifferenter obtinuiſſe.*

Auctores, qui hanc quæſtionem tractarunt in partem utramque, colligit Cajetanus Maria Meratus, qui Gavanti Theſaurum ſacrorum rituum eruditiſſime illuſtravit, tom. 1. part. 1. pag. 30. §. 13. edit. Rom. 1736. in 4.

(2) In Diſquiſitione Theologica De ritu azymi & fermentati edita Veronæ 1674. in 4.

(3) Reflexions ſur les Regles & ſur l'uſage de la Critique tome ſecond. livre 4. Diſſertat. 4.

communem. Hoc igitur poſito atque conceſſo, ſac ritum illum non eſſe ab Apoſtolica Traditione, undenam ortum traxiſſe dixeris, niſi aut ab lege aliqua Eccleſiaſtica, quæ juſſerit fermentatum ablegari, & azymum recipi, aut ab communi Eccleſiæ conſenſu, aut ab conſuetudine ſenſim approbata atque recepta? Neque enim aliter, ſi Traditionem excipias, ulla Eccleſiæ diſciplina, ritus ullus ac mos induci poteſt, ſive is ad materiam, ſive ad miniſtrationem Sacramentorum pertineat. Lege lata inductum morem hunc fuiſſe reſpondes? At omnes Eccleſiaſticas leges ante ſæculum XII. ſancitas percurrenti, omnia Pontificum & Conciliorum decreta excutienti nihil hujuſmodi apparet. Communi conſenſu receptum vis? Miror profecto, quonam pacto fieri potuerit, ut omnes peculiares Eccleſiæ ſua ſponte & conſenſu unanimi ſimul cum Eccleſia Romana novum morem amplecterentur, ritumque a majoribus acceptum, & quotidiana conſuetudine uſurpatum dimitterent ſine ulla alicujus Epiſcopi contradictione, ſine ullo motu populorum ac tumultu. *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* (4) Senſim invectum autumas? At ſpa-

(4) S. Auguſtinus epiſt. 54. alias 118. cap. 5. §. 6. Mabillonius in Diſſertat. De Azymo ac Fermentato cap. 7. pag. 535. *Nulla lex, nullum decretum, nullum legis aut decreti veſtigium exſtat apud veteres de recipiendo in Eccleſia Azymo, neque de mutando Fermentato, nec de transferendo Azymi & Fermentati promiſcuo uſu in Azymi communem ritum. Quod ſane mirum eſſet, ſi aliquando in Eccleſia Latina obveniſſet mutatio in pane Eucharistico. Cum enim Sancti Patres ſolliciti fuerint de iis, quæ ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, cum tot decreta condiderint de Altaribus tam fixis, quam mobilibus, de vaſis ſacratis, deque linteis in Sacrificio uſitatis, de Euchariſtia pie ac religioſe tum conficienda, tum porrigenda, tum percipienda, tum aſſervanda; cum tot*

ſpatium temporis immenſum huic in omnes Occidentis Eccleſias propagationi concedas neceſſe eſt. Quam vero Eccleſiam aliis exemplum ad imitandum proponis? Num Romanam? Num Gallicanam? num Hiſpanicam? num Anglicanam? num Germanicam? Quænam ſunt rei hujus probationes? quæ teſtimonia? quæ conjecturæ?

Quid ſi concedamus, fermentato pane aliqua ex his rationibus ablegato, azymum in uſu eſſe cœpiſſe? Nonne hujus mutationis cauſſam afferamus, oportet? Compertum ne poſtea eſt Latinis, fermentati conſecrationem ea habere incommoda, quæ numquam ab Græcis cognita fuerint? Unde igitur factum dicamus, ut Latini fermentatum abiecerint, non item Græci? Reſtat ergo, ut Occidentalis Eccleſia uſque ad ſæculum VIII. ac deinceps azymo ad Euchariſtiam conficiendam ſemper uſa fuerit ſecundum Traditionem ab Apoſtolis acceptam. (5)

Hu-

tot ſtatutis decreverint retinendam aquæ admiſtionem in Calicem; mirandum certe fuerit, ſi Latini aliquando abjecto Fermento admiſerint Azymum, id communi conſenſu factum ſine lege fuiſſe, nemine reclamante aut referente.

(5) Duo ſunt genera Traditionum Apoſtolicarum. Aliæ ad Fidem pertinent, aliæ ad mores & diſciplinam. Illæ ex *ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ*, ut ait Synodus Tridentina ſeſſ. 4. Hæ vero in Eccleſiam inductæ ab eiſdem Apoſtolis tamquam Paſtoribus & Epiſcopis. Ex his nonnullæ ad quoddam tempus ſervatæ ſunt, ut trina immerſio in baptiſmate, abſtinentia a ſanguine & ſuffocatis: aliquæ perpetuæ fuerunt, & numquam intermiſſæ, cujuſmodi eſt mos infundendi parum aquæ in Calicem; *Dominica Traditio* ac *Evangelica & Apoſtolica diſciplina* dictus ab S. Cypriano epiſt. 63. pag. 225. & 229. inſtitutio Feſtorum; de quibus meminit S. Auguſtinus epiſt. 54. cap. 1. & alia generis ejuſdem ſpectantia ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium. Atque in harum Traditionum numero collocanda eſt Traditio azymi conſecrandi, quæ in Occidentali Eccleſia tota ad hanc uſque diem ſervatur.

Hujus *& aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies : Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix*. (6) Itaque ſtabiliendæ Apoſtolicæ Traditioni, juxta quam Latina Eccleſia azymum panem conſecrat, conjecturis opus eſt. Admodum probabilem ſuppeditat S. Auguſtinus lib. 4. De bapt. contra Donatiſtas cap. 24.: *Quod univerſa tenet Eccleſia*, inquit, *nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Et lib. 5. cap. 23. : *ſunt multa*, ſubdit, *quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*. Verum quidem eſt, Eccleſiam Latinam non conſtituere Eccleſiam univerſam : attamen cum azymi uſus poſt ſæculum VIII. & IX. Eccleſiæ Occidentali univerſæ communis fuerit, nullumque reperiatur Pontificis aut Concilii decretum de uſu azymi, ex Auguſtini regula conficitur, inſtitutum Euchariſtiæ ex azymis conficiendæ ab Apoſtolis emanaſſe.

Haud minoris momenti conjectura ſuppetit ex S. Irenæo lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. Hic tradit, quotieſcumque ſanctus mos aliquis communiter ſervatur in Eccleſia fundata ab Apoſtolis, quorum ſucceſſores legitimi ſerie numquam interrupta *nihil tale docuerunt*, tradit, inquam, pro certo habendum eſſe, morem illum in Eccleſia ea conſtanter ac perpetuo obtinuiſſe, nec eſſe niſi ex Apoſtolica Traditione repetendum. Quare ſucceſſione Epiſcoporum legitima non Romæ ſolum, ſed etiam Antiochiæ, Alexandriæ, Hie-

(6) Tertullianus De Corona cap. 4. pag. 102.

Origenes Hom. 5. in Numeros tom. 2. pag. 284. : *In Eccleſiaſticis obſervationibus ſunt nonnulla hujuſmodi, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet*.

Hieroſolymis, Epheſi, & alibi perſeverante, cum quæreretur, num alicujus moris principium natum eſſet ab Apoſtolis, qualis eſſet harum Eccleſiarum conſuetudo ac diſciplina, diligenter exquiri conſuevit. Ob id Theodoſius Imperator Codicis ſui lib. 16. tit. 1. qui eſt *De Fide Catholica* leg. 2. *cunctos populos* ſibi ſubjectos *in tali voluit religione verſari, quam Pontificem Damaſum ſequi claret; & Petrum Alexandriæ Epiſcopum:* quoniam Antiſtites erant Eccleſiarum; quæ locum principem inter Eccleſias inſtitutas ab Apoſtolis obtinebant. Cum igitur ſæculi XI. & VIII. ſcriptores, quorum teſtimonia paullo poſt recitabimus; aperte aſſerant, Eccleſiam Romanam tunc temporis panem azymum ex Traditione Apoſtolica conſecraſſe, nec deſignari queat Pontifex, qui morem hujuſmodi induxerit, nec legitima Epiſcoporum Romanorum ſucceſſio umquam defierit; nullus, niſi me fallit Irenæi doctrina, relinquitur dubitandi locus, quin azymi conſecrandi uſus, ab Eccleſia Romana religioſiſſime ſervatus, ab Apoſtolis profluxerit.

Ab Eccleſia autem Romana ad alias totius Occidentis Eccleſias morem azymi conſecrandi permanaſſe, haud equidem ambigam: *cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos venerabilis Apoſtolus Petrus; aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes:* (7) quos id ubique de materia conficiendi Euchariſtiam docuiſſe credendum eſt, quod Romana Eccleſia obſervare conſueverat. Eſt inſuper conjectura alia, & quidem hujuſmodi, ut in varias partes haud facile duci poſſit. Namque ſi perpetuus non fuiſſet in Eccleſia Latina uſus azy-

(7) Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1245.

azymorum, & Latini, uſque ad ſæculum VIII. ut putant adverſarii, ad Euchariſtiam conficiendam fermentatum panem adhibuiſſent: non ne Michael Cerularius, qui illud in primis omnium primus ipſis vitio vertere non dubitavit, quod pane azymo, minime apta, ut ajebat, materia uterentur; illud etiam, & quidem multo magis, multoque acrius & vehementius exprobraſſet atque obieciſſet, quod auſi eſſent in locum fermentati, cujus erat antea uſus communis, azymum panem ſubſtituere, & per ſummam inconſtantiam, ſummamque injuriam, ac nefarium ſcelus Sacroſanctæ Euchariſtiæ materiam immutare? (8)

Hactenus allatas conjecturas roborant teſtimonia Scriptorum, qui ante annum Æræ Chriſtianæ 867. floruerunt, poſt quem annum duntaxat Latinos azymis uti cœpiſſe, adverſarii contendunt. Alcuinus, qui anno 804. mortuus eſt, hæc habet epiſt. 69. ad Lugdunenſes: *Audivimus aliquos in illis partibus* (Hiſpaniæ) *affirmare ſalem eſſe in Sacrificium corporis Chriſti immittendum. Quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas. Tria ſunt, quæ in Sacrificio hujus teſtimonii offerenda ſunt, panis, aqua, & vinum .... Panis, qui in Chriſti corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus... ex aqua & farina panis fit, qui conſecratur in Corpus Chriſti*. Neque minus aperta & clara ſunt verba Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini, qui Alcuinum præceptorem habuit, & anno 856. obiit. Libro enim De inſtitutione Clericorum, quem edidit anno 819., cap. 31.: *Panem infermentatum*, ait, *& vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſanctificari oportet... Credimus*

(8) In Epiſtola ad Joannem Tranenſem &c. ut infra annotat. 11.

mus & panem illum, quem primum Dominus in cœna myſtica in myſterium ſui Corporis conſecravit, infermentatum eſſe. Et cap. 33.: *Iſtum ergo ordinem ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris traditum Romana tenet Eccleſia, & per totum pæne Occidentem omnes Eccleſiæ eamdem traditionem ſervant*. (9) His adde Leonem IX., quo gerente Pontificatum, memoratus Michael Cerularius renovato Photiano ſchiſmate (10) in Latinam Eccleſiam debacchari cœpit, eamque tum de aliis, tum præſertim de uſu azymorum objurgare. (11) Sanctiſſimus itaque Pontifex epiſt. 1. ad Cerularium & Leonem Acridanum cap. 5. ſcribit in hunc modum: *Ecce jam poſt mille ac ferme viginti a paſſione Salvatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis ejuſdem ſit recolenda, quaſi nihil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio, ſeu qua clarificavit Deum, mors pretioſa illius venerabilis ſenis, cui ſpecialiter Chriſtus filius Dei vivi dixit:* Beatus es, Simon Bariona, &c. Capite autem 20. ita ſubjungit: *Quapropter a tanta amentia jam reſipiſcite, & Latinos vere Catholicos atque maxime Petri familiares diſcipulos, inſtitutionis ejus devotiores ſe-*

(9) *Neque dici poteſt, Rabani teſtimonium valere ſolum pro Germania: in qua receptus erat eo tempore azymorum uſus. Rabanus ſiquidem in præfatione iſtius operis pollicetur acturum ſe* De Officio Miſſæ ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ. Mabillonius Diſſertat. De Azymo & Fermentato cap. 9. ad calcem Analectorum pag. 543.

(10) Vide annotationem 4. ad Nicolaum I. Pontif. CVII.

(11) In Epiſtola ad Joannem Tranenſem in Apulia Antiſtitem anno 1053. ſcripta ſuo & Leonis Acridani Archiepiſcopi nomine; item in epiſtola anno inſequente ad Petrum Patriarcham Antiochenum miſſa. Utraque eſt in Annalibus Baronii: prima ad an. 1053. §. 23. altera ad an. 1054. §. 28.

ſectatores ceſſate ſubſanando azymitas vocare. (12) Cum Leone IX. ſentit Humbertus Cardinalis Silvæ Candidæ Epiſcopus ejus æqualis in Reſponſione ad Nicetam Pectoratum, (13) ubi azymorum uſum in Eccleſia Latina vocat *Traditionem Apoſtolicæ Sedis*. (14)

Neque eſt cur quiſpiam opponat, Scriptores iſtos eſſe recentiores, quam ut in re adeo incerta ac difficili quidquam ponderis & auctoritatis habere queant. Recentiores enim ſunt, ſi cum temporibus Apoſtolorum conferantur, non autem ſi ad ſæculum decimum reſpicias, quo potiſſimum azyma invaluiſſe, adverſarii confirmant. Leo IX. certe, qui ſæculo X. natus, medio circiter ſæculo XI. ſcripſit, ſuorum temporum morem ignorare nullo modo potuit: ac proinde ſi ſæculo tantum decimo azyma uſurpari cœpiſſent, per mille & viginti a Chriſti morte annos adhiberi ſolita, nullo modo tradidiſſet.

I Sed

(12) Apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 952. & 961. Et epiſt. 6. ad Michaelem Cerularium apud eumdem Labbeum pag. 979.: *Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot Sanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti a paſſione Salvatoris annos novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans in eos, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis*.

(13) Exſtat in Bibliotheca Patrum tom. 18. pag. 412. & in Henrici Caniſii Lectionibus Antiquis tom. 3. pag. 318.

(14) Quare deceptus eſt Sirmondus in Diſquiſitione De azymo cap. 3. ſcribens, *nec Leonem unquam vel Humbertum, cum azymorum cauſſam agerent, iſta ſe perpetui moris præſcriptione defendiſſe*.

Leoni IX. & Humberto Cardinali ſuffragatur Algerus lib. 2. De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini extremo cap. 10. tom. 21. Bibliot. Patr. pag. 284.: *Omnis autem Eccleſia præter Græcam* (hanc excipit, quia ætate ſua fermentato jam utebatur) *a primordio ſui, ex Traditione Principum Eccleſiæ, Petri ſcilicet & Pauli, azymis celebravit*. Hugo Eterianus lib. 2. De hæreſibus, quas in Latinos Græci devolvunt, cap. 17. tom. 22. Bibl. Patr. pag. 1231.: *Latinorum ſancta Eccleſia æternaliter azyma offert, & immolat*.

Sed argumenta, quæ nos arctius urgent, excutiamus. Chriſtiani olim panem offerebant in Miſſa a Sacerdote conſecrandum, ut poſtea de eo participes fierent ſacram ſumentes Euchariſtiam. Patet id ex S. Cypriano divitem matronam his verbis increpante: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* (15) Quis vero credat, omnes etiam pauperes panem azymum obtuliſſe? Argumentum hoc, quod prima fronte videtur firmiſſimum, antiquam Eccleſiæ diſciplinam conſideranti non tanti roboris eſt. Namque *in ſupra citato loco S. Cypriani apparet oblatio duplex, altera conſecranda in corpus Chriſti, altera benedicenda ad uſus pauperum, ut indicant iſta,* quæ corbonam omnino non reſpicis. *Quare ut demonſtret amplius divitis avaritiam, non tantum ei exprobrat, quod nihil mittat in corbonam ad uſum pauperum, ſed etiam quod de oblatione pauperis communicet.* (16) Præterea quid vetat, quominus credatur azymus fuiſſe panis a Fidelibus ad Euchariſtiam conficiendam oblatus? Num quod ab ipſis confectus eſſet? ut patet ex facto illius matronæ, quæ ſacram Euchariſtiam a S. Gregorio Pontifice jamjam acceptura, ſubriſiſſe dicitur, *quia panem, quem propriis manibus ſe feciſſe cognoverat, ille corpus Dominicum perhiberet?* (17) Nihil ſane minus. Fieri enim optime potuit, ut Fideles ex Eccleſiæ præſcripto & conſuetudine obtulerint azymum, qui fa-

(15) In libro De Opere & eleemoſynis pag. 482.

(16) Hugo Menardus in Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, Operum ejuſdem S. Gregorii tom. 3. pag. 564. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 36. §. 12. num. 35.

(17) Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Papæ I. lib. 2. cap. 41. Operum ejuſdem S. Gregorii tom. 4. pag. 58.

facilius confici ac parari poteſt, quam fermentatus, quemadmodum obtulerunt poſt ſchiſma Photianum, cum azymus ex omnium conſenſu in Eccleſia Latina conſecrabatur.

Neque vero datum reſponſum infirmat S. Ambroſius, qui lib. 4. De Sacramentis cap. 4. panem ad rem divinam faciendam adhiberi ſolitum panis *uſitati* nomine appellat. *Tu forte dicis*, inquit, *meus eſt panis uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Etenim S. Ambroſius, ſeu alius Auctor *librorum, qui De Sacramentis inſcribuntur*, (18) panem conſecrandum dicit *uſitatum*, non quatenus pani azymo, ſed quatenus pani jam conſecrato, & Corpori Chriſti opponitur: vel prout opponitur converſioni illi admirabili, quæ fit vi conſecrationis, ut fert obvius verborum ſenſus. Deinde ego quidem non video, cur panis azymus dici non poſſit uſitatus & communis, cum ex eadem conſtet materia, ac fermentatus. Eo certe vocabulo uſus eſt Rupertus lib. 3. De operibus Spiritus Sancti cap. 21.: ubi de azymo a Chriſto Domino in cœna ultima conſecrato ita ſcribit: *Panem communem accepit, ſed benedicendo longe aliud, quam fuerat, tranſmutavit.* Sed *ut difficultas* magis *reſolvatur, adverte neophyti myſteria ſacra, quæ ſibi prius ignota fuerant, primum aſpicientis hæc verba eſſe:* Meus panis eſt uſitatus: *proindeque ipſis non alium legitimum ſenſum tribui poſſe præter illum: Oculi mei hoc mihi renunciant, talem hunc eſſe panem, quali quotidie victito, non autem aliud. Etenim ab eone, an ab alio fuerit oblatus, non hic agitur, nec*

 pri-

(18) Bona l. 1. Rer. Liturg. c. 7. §. 4. & Calmet. t. 7. p. LXV.

primo conſpectu diſtinguitur, fermentatus azymuſne panis ſit. (19)

Præterea admiror, Fermentati defenſores ad confirmandam ſententiam ſuam afferre caput 6. Concilii Toletani XVI. celebrati Æra 731. ſeu anno Chriſti 693. Ejus hæc verba ſunt: *Ad conventus noſtri agnitionem delatum eſt, quod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam Sacerdotum partim neſcientia impliciti, partim temerario auſu provocati, non panes mundos & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in Sacrificio offerant: ſed de panibus ſuis uſibus præparatis cruſtulam in rotunditatem auferant, eamque ſuper altare cum vino & aqua pro ſacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in ſacræ auctoritatis hiſtoria geſtum perpenditur:* & paucis interjectis: *Unde temeritatis hujus atque neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat.* (20) Quis iſta legens non ſtatim videt, Presbyteros illos non reprehendi propter qualitatem materiæ, quam offerebant, ſed propter minus accuratam diligentiam, qua eamdem Sacrificii materiam, panem videlicet conſecrandum parabant, ac proinde eos pane uti conſueviſſe, quem Eccleſiaſtica conſuetudo poſtulabat? Quod ſi Concilium non dicit, panem illum fuiſſe azymum, nec fermentatum fuiſſe aſſerit. Quamquam azymo magis, quam fermentato citati capitis verba convenire videntur. Quid enim aliud eſt *panis integer, nitidus, ſtudio præ-*

(19) Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in citatum locum S. Ambroſii.

(20) Apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1341.

præparatus , *&* *modica tantum oblata* , niſi panis azymus ? (21) Sed eſto, quidam Sacerdotes in Hiſpania fermentato pane ad ſacrum faciendum ex ignoratione, ſeu perverſitate uſi fuerint. Quid tum poſtea ? Num inde recte colligas, omnem Latinam Eccleſiam id temporis eumdem ritum ſervaſſe ? Minime vero gentium. Ex facto enim aliquo peculiari ad univerſale concludendum non recte deſcendi, neſcit nemo, qui dialecticas inſtitutiones attigerit.

Nec majoris ponderis eſt ſilentium Photii, qui inter ea, quæ objicit Latinis, nullam facit de azymo mentionem, facturus ſine dubio, ſi azymorum uſus ejus ætate in Eccleſia Latina obtinuiſſet. Idcirco enim Photius azymorum uſum Latinis non exprobrat, quod poſtea fecit Cerularius, quia pro certo habebat; eos azymis uti exemplo Chriſti, quam fuiſſe etiam S. Joannis Chryſoſtomi & Græcæ Eccleſiæ ſententiam profitetur. Nam in Bibliotheca Cod. 116. pag. 294. Auctoris incerti *De ſacro Paſchæ feſto volumen* III. recenſens & expendens ita loquitur: *Refert idem ſecundum alios* παρουσίας αὐτοῦ *præſentiæ ſuæ annos, Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum lege præſcriptum Paſcha celebraſſe, non item eo, quo proditus eſt. Quod conſideratione ſane dignum, cum Chryſoſtomus & Eccleſia tunc ipſum doceant, legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret cœnam*. Cum igitur Photius fateatur, Chriſtum celebraſſe Paſcha legitimum, hoc eſt diebus azymorum, non eſt, cur quiſpiam miretur, eum non reprehendiſſe Latinos, quod ſequentes exemplum Chriſti azymum conſecrarent. Deinde Photius

(21) *Synodi Toletanæ Patres non potuerunt apertius ob oculos ponere azymum panem, quam deſcribendo eo modo, quem ſupra expoſui*. Mabillonius Diſſert. De azymo & fermentato extremo cap. 8. pag. 541.

Digitized by Google

alia multa omiſit, quæ poſtea Græci tempore Leonis IX. Latinis exprobrarunt. Denique argumentum petitum a ſilentio nihil prorſus efficit adverſus certa & expreſſa ſcriptorum teſtimonia, quibus probavimus, uſum azymorum apud Latinos etiam ante Photium fuiſſe communem. (22)

Perperam demum Fermentati defenſores ſibi præſidium quærunt ex decretis ſummorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. Melchiades cavit, referente Auctore Libri Pontificalis in ejus Vita, *ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. Siricius autem, ut eſt apud eumdem Scriptorem, *conſtituit, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret, per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum*. Innocentii decretum eſt in ejus epiſtola ad Decentium cap. 5.: *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Civitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, qui die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda ſunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam*. (23) Perperam, inquam, ex his Romanorum Pontificum Decretis uſus azymi apud Latinos oppugnatur. Adeo enim obſcura ſunt, abſtruſa, ambigua atque

(22) Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 15.

(23) Tria hæc decreta ſunt apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 1394. tom. 2. pag. 1016. & 1247.

que implicata, ut nihil certi elici inde poſſe videatur. Hinc illa non uno, eodemque ſenſu ab omnibus accipiuntur, ſed aliter atque aliter explicantur, quod haud ita facile intelligi queat, quid Pontifices *Fermenti* nomine ſignificare voluerint. Sirmondus, tametſi locus pro *Fermenti* uſu, quem probare conatur, facere videtur, Euchariſtiam vult *fermentum ex eo dictam, non quod ex pane eſſet fermentato, ſed quod ipſa quocumque ex pane fieret, Eccleſiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem præſtaret, eiſque unionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut fermentum maſſæ, cui commiſcetur:* O Sacramentum pietatis! o ſignum unitatis! o vinculum caritatis! *ait Auguſtinus in Joannem tract.* 27. *Quod ergo illi nomen congruentius potuit imponi, quam ut fermentum diceretur?* (24) Mabillonio, & Schelſtrato videtur Euchariſtia ideo *Fermenti* vocabulo appellata, ut pro more illorum temporum *nomine obſcuro profanis celaretur tantum myſterium*. (25) Et quidem Eu-

(24) Sirmondus Diſquiſitione De azymo cap. 5. Operum Variorum tom. 4. pag. 359.

(25) Mabillonio Diſſertat. De azymo & fermentato cap. 10. pag. 546. & Schelſtrato De diſciplina arcani cap. 7. art. 5. Conſentit Petrus Couſtant explanans recitatum Innocentii decretum tom. 1. epiſt. Rom. Pont. pag. 860. *Neque verendum, ne hac poſtrema intelligentia eorum juvetur opinio, qui Euchariſtiam ex fermentato pane olim in Eccleſia Latina confectam putent. Valde enim leve eſt, quod inde in opinionis hujus gratiam deducitur argumentum. Quippe venerandum illud Sacramentum pro illorum temporum conſuetudine, qua ſacræ rei arcanum profanis tegere affectabant, cum ad Eccleſias mitteretur, apposite vocatum eſt* Fermentum, *ut, quemadmodum fermentum in farinam immiſſum, eique commixtum totam conglutinat; ita eis quoddam unitionis atque communionis mutuæ vinculum eſſe ſignificatur. Ea ratione ipſe Chriſtus etiam extra Euchariſtiæ Sacramentum in encyclio epiſtolarum ad* Leonem *auguſtum miſſarum codice epiſt.* 37. *tom.* 4. *Concil. Lab.* pag. 920. Fermentum *appellatur; ob idque Concilium* Cal-

Euchariſtiam dictam eſſe *Fermentum* per metaphoram, ſatis patet conſideranti verba illa, quæ ſunt in Vita Melchiadis: *Quod declaratur Fermentum:* item illa, quæ ſunt in Vita Siricii: *Declaratum, quod nominatur Fermentum*, ex quibus apparet, nomen *Fermenti* eſſe Euchariſtiæ adſcitum, & aliunde, quam ab ipſa rei natura petitum. Alii aliter illud *Fermenti* vocabulum interpretantur, ut ad Vitam Melchiadis Pontificis annotavimus. *Quid autem horum ſit verum, libentius diſco, quam dico, ne audeam dicere, quod neſcio.* (26) *Nam quod multipliciter intelligitur, ejus*, inquit Boethius, *veritas ignoratur.* (27)

Sed quid ſentis, inquiet aliquis, de hiſtoria illa tum apud veteres, tum apud recentes Scholaſticos (28) probatiſſima? Utramque ſcilicet Eccleſiam jam inde ab Apoſtolis azymo uſam eſſe exemplo Chriſti, qui panem azymum conſecravit: tum exorta hæreſi Ebionitarum, qui ſicut *dicebant ſimul cum Evangelio legalia obſervanda*, (29) ita pane azymo ad ſacrum peragendum utebantur; univerſam Eccleſiam ad hanc hæreſim convellendam, azymo rejecto, panem fermentatum adhibuiſſe: demum Latinos ad priſtinum azymorum uſum rediiſſe, Græcos autem uſum

Chalcedonenſe ab Epiſcopis Phœniciæ maritimæ laudatur, quod eos, qui prodigioſe, non ex Dei genitrice Virgine eſſe noſtrum Fermentum credunt, deſtruxit.

(26) S. Auguſtinus contra Julianum Pelagianum lib. 5. cap. 4. §. 17.

(27) Apud Andream Alciatum ſcribentem ad Lectorem initio tom. 4. pag. 3. edit. Lugdun. anno 1660. in fol.

(28) S. Thomam in 4. Sent. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. ad tertiam quæſtionem. S. Bonaventuram in 4. Sent. diſt. 11. art. 2. extrema quæſt. 1. Scotum in eumdem locum quæſt. 6. Durandum quæſt. 4. Alexandrum Alenſem part. 4. De Sacramento Euchariſtiæ quæſt. 10. membro 4. art. 1. §. 3. alioſque.

(29) D. Thomas loco citato.

uſum Fermentati ea occaſione receptum retinuiſſe. Ego vero ſecutus eminentiſſimum Auctorem Joannem Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 5. totam narratiunculam rejicio. Namque ex illis *quidam eam tribuunt Leoni Papæ, alii ipſum Leonem non ut auctorem, ſed quaſi teſtem adhibent, alii de ipſo ſilent. Quis vero fuerit iſte Leo; nec ipſi dicunt, nec ſe reperiſſe ait Franciſcus Suarez* Tom. 3. in 3. part. diſp. 44. ſec. 3. *Quis igitur huic narrationi fidem præſtet, cujus apud antiquos Scriptores per mille fere annos nullum exſtat veſtigium?* (30) *Agit diffuſe de hæreſi Ebionis Epiphanius* Hær. 30. §. 16. *Sed quod ejus occaſione fermentati uſus introductus fuerit, nullo modo teſtatur, nec verbum quidem de hac re in aliis exſtat, qui de Ebionæis ſcripſerunt. Quin potius idem Epiphanius inter ceteros illorum errores, hunc recenſet, quod myſteria quotannis celebrabant* ad Eccleſiæ & Sanctorum imitationem, *in quibus panes azymos, & ad alteram myſterii partem ſolam aquam adhibebant, arguens illos*, quod aliam myſterii partem in aqua ſola celebrarent, ut ait Martene De Antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. cap. 3. art. 7. §. 9. (31)

(30) Baronius ad an. Ch. 1. §. 12.: *Quod a recentiore auctore de rebus antiquis ſine vetuſtioris teſtimonio profertur, contemnitur.*

(31) Verba ipſa Epiphanii Græco-Latina ſunt in ſequenti diſputatione poſt annotation. 5.

Mabillonius Diſſertat. De azymo & fermentato cap. 10. pag. 545.: *Ex illis verbis* Epiphanii *non injuria quis hoc modo argumentari poterit. Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quod Sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Eccleſiæ ſaltem Latinæ: eos vero hoc tantum nomine arguit iſto loco, quod pro altera Sacrificii parte aquam ſolam adhiberent. Ergo eo tempore Eccleſia ex pane azymo ſacrificium conficiebat.* Et paullo poſt: *Ad hæc ſi erroris arguit Ebionæos, quod azymis uterentur; ideo iſtud fecit, quod azymum adhibe-*

be-

berent eo animo, ut Legalia cum Evangelio ſervari oportere traderent.

Calmet in Diſſertat. De noviſſimo Paſchate Domini noſtri Jeſu Chriſti præpoſita Evangelio D. Matthæi pag. lxv. *: Laudatur etiam* apud D. Thomam Catena in Matth. cap. 26. *veluti S. Gregorii Magni locus, ubi vir ille Sanctus indiſcriminatim in Eccleſia Romana azymum, & fermentatum panem adhiberi affirmat. Sed in ejus impreſſis operibus nihil tale uſpiam legitur.* Imo nec apud D. Thomam loco citato pag. 91. legitur eo modo. En locum integrum: *Gregorius in Regiſtro:* Solet autem nonnullos movere, quod in Eccleſia alii offerunt panes azymos, alii fermentatos. Eccleſia namque Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine ulla commiſtione ſuſcepit carnem: aliæ vero Eccleſiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum eſt carne, & eſt verus Deus & verus homo. Nam & fermentum commiſcetur farinæ: ſed tamen tam azymum, quam fermentatum dum ſumimus, unum corpus Domini noſtri Salvatoris efficimur.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO XI.

De Azymo Græcorum.

GRæcos ſemper fermentato pane feciſſe, conſentiunt viri doctiſſimi. (1) Horum ego bona venia ſecutus Franciſcum Macedo, & Honoratum a Sancta Maria, quos ſuperioris etiam Diſputationis auctores habui, probabiles conjecturas facio, quibus ſuadeam in ipſa quoque Græca Eccleſia panem azymum primis Chriſti ſæculis ex Traditione conſecrari ſolitum fuiſſe. Principio itaque concedo, exemplum Chriſti, qui primo die Azymorum, quo nihil fermentati domi habere Judæis licebat, Euchariſtiæ Sacramentum confecit atque inſtituit, nullam habere legis vim, ex qua azymo uti in Sacroſancto Sacrificio Eccleſia teneatur. Neque enim quidquid Chriſtus egit, id eo conſilio egiſſe dicendum eſt, ut haberetur pro præcepto: alioquin & ſemel, & in Paſcha duntaxat, & poſt cœnam legitimam Euchariſtia confici ac ſumi deberet: quandoquidem eo tempore a Chriſto Domino inſtituta ac diſcipulis tradita eſt.

(1) Mabillonius Diſſertat. de pane Euchariſtico, azymo ac fermentato, extremo cap. 3. concludit, *fermentatum apud Græcos ab initio Eccleſiæ, aut certe prope ab initio receptum perſeveraſſe ad ſæculum ſeptimum: quo ex tempore conſtat, numquam intermiſſum fuiſſe.*

Mabillonii *ſententiæ conſentit* Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7., eamque nititur *aliis indiciis ſtabilire*.

Natalis Alexander diſſertat. XI. in Hiſt. Eccl. ſæc. XI. & XII. art. 3. colligit, quæ Mabillonius & Bona attulerunt pro uſu perpetuo fermentati apud Græcos, conſentiens eos pane fermentato ſemper uſos eſſe.

Ejuſdem ſententiæ eſt Auguſtinus Calmet extrema diſſertatione *De noviſſimo Paſchate Chriſti Domini*, quam præpoſuit Evangelio S. Matthæi pag. lxvi.

eſt. (2) Nihilominus multo convenientius conſecratur panis azymus, quam fermentatus, multoque *inſigniorem Dominici exempli commemorationem celebrat*, qui azymo, quam qui fermentato utitur, quod ultro fatentur illi ipſi, qui perpetuum apud Græcos uſum fermentati acriter conſtanterque defendunt. (3)

Ex hac magnorum virorum doctrina ſimillimum veri eſt; Græcos uſque ad ſæculum VII. panem azymum adhibuiſſe. Cum enim antiquis Græcæ Eccleſiæ Patribus (4) æque ac Latinis perſuaſum fuerit, Chriſtum Paſcha legitimum comediſſe pridie; quam pateretur, eumdemque pa-

(2) S. Auguſtinus ep. 54. c. 7. §. 8. *Numquid propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri tibi: nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur*. Et paullo poſt: *Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet:... Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit; ut uno certo die per annum; quo ipſam cœnam Dominus dedit, tamquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat corpus & ſanguinem Domini*. Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 21. §. 2.

(3) Mabillonius diſſertat. cit. cap. 2.

Bona lib. 1. rer. liturgic. cap. 23. §. 2. *Certiſſimum eſt; multo melius & convenientius eſſe in azymo conficere, quam in fermentato*; tum quia, *ut Anſelmus ait*, (De Azymo, & Fermentato cap. 11. pag. 135.) valde aptius & purius, & diligentius fit; tum quia Dominus hoc fecit.

Natalis Alexander diſſertat. XI. in Hiſt. Eccl. ſæc. XI. & XII. tom. 6. pag. 863. probat, *Latinæ Eccleſiæ in azymo conſecrantis uſum, non ſolum propter Chriſti exemplum, non tantum propter munditiam, verum etiam propter myſticas ſignificationes convenientiorem eſſe ritu Eccleſiæ Græcæ fermentatum ad Euchariſtiam conficiendam adhibentis*.

(4) Horum teſtimonia recitat Macedo in Diſquiſitione de ritu azymi & fermentati cap. 5., & Mabillonius in Diſſertat. De pane Euchariſtico azymo & fermentato cap. 1.

pane azymo ad Euchariſtiam conficiendam uſum eſſe ; nonne conſentaneum eſt credere , veteres Græcos tanti myſterii auctorem Chriſtum imitatos eſſe ? Quidni vero imitati fuerint, cum panis azymus nitidior ac purior ſit, aliiſque de cauſſis præſtantior fermentato ? (5) cum nulla , quantum ſcire poſſumus, fuerit in Eccleſia Orientali lex ; quæ fermentati uſum juberet ?

Sed pergamus ad reliqua . S. Epiphanius hæc de Ebionitis narrat : Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν Ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ , ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν , διὰ Ἀζύμων , καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ Μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου : *Myſteria vero videlicet perficiunt ſecundum imitationem Sanctorum in Eccleſia , ab anno in annum , per azyma , & aliam partem Myſterii* (6) *per aquam ſolam* . (7) Omnium adverſariorum conſenſu Ebionitæ azymum conſecrabant . Cum igitur Ebionitæ in ſacris Myſteriis azymo uterentur *ſecundum imitationem Sanctorum in Eccleſia :* quæro cujus Eccleſiæ fuerint *Sancti* , quos ſibi ipſi delegerant ad imitandum ? *Eccleſiæ* nomine intelligenda ne eſt Latina , an Græca , an Eccleſia univerſa Occidentalem & Orientalem complectens ? Si *Eccleſiæ* vocem poſtremo modo acci-

(5) S. Thomas 3. part. quæſt. 74. art. 4. *Conſuetudo de pane azymo rationabilior eſt* . Primo *quidem propter inſtitutionem Chriſti , qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azymorum* , ut habetur Matth. 26. & Marc. 14. & Luc. 22. , *qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum eſſe debebat* , ut habetur Exod. 12. Secundo , *quia panis eſt proprie Sacramentum corporis Chriſti , quod ſine corruptione conceptum eſt , magis quam divinitatis ipſius* , ut infra patebit qu. 76. a. 1. Tertio , *quia hoc magis competit ſinceritati Fidelium , quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti , ſecundum illud* 1. *Corinth.* 5. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus : itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis .

(6) *Hoc enim nomine antiqui Euchariſtiam nominabant :* Baronius ad an. 34. §. 46.

(7) Hæreſi 30. §. 16. pag. 139. & 140.

accipias, jam vides, *Sanctos* univerſalis Eccleſiæ azymo uti ſolitos, & ejuſmodi panis uſum primis Chriſti ſæculis Græcis perinde, ac Latinis fuiſſe communem: ſi ad ſolam Orientalem Eccleſiam referas, fateare neceſſe eſt, Græcos tunc temporis Ebionitarum azymum adhibuiſſe: ſi denique Latinam Eccleſiam intelligas, id vero aſſertionem noſtram de perpetuo azymorum uſu apud Latinos mirum in modum confirmat. Verum poſtrema hæc interpretatio minus propria, minuſque ad rem videtur. Verba enim hæc indefinita: *Secundum imitationem Sanctorum in Eccleſia*, non magis Orientalem Eccleſiam ſignificant, quam Occidentalem, cum utraque communi *Eccleſiæ* vocabulo contineatur. Quod ſi dicas, ibi *Eccleſiæ* nomine peculiarem aliquam Eccleſiam ſignificari, illud etiam dicas, oportet, eam fuiſſe Eccleſiam Græcam: quoniam incredibile omnino eſt, hæreticos Græcæ Eccleſiæ ſibi propoſuiſſe imitandos *Sanctos* Eccleſiæ Latinæ, cum qua commercium nullum habebant.

Præterea Armenii hodie panem azymum conſecrant ex Traditione, quam acceptam referunt S. Gregorio primo Armeniæ Epiſcopo, qui ſub initium ſæculi IV. juſſu Tiridatis Regis Armeniorum morti datus eſt. Sanctum hunc Martyrem Cæſareæ in Cappadocia nutritum atque conſecratum, eam Euchariſtiæ materiam, quæ Cæſareæ adhiberi conſueverat, in Armeniæ Eccleſiam ab ſe conſtitutam invexiſſe, nemo unus, ut opinor, inficias iverit. Et ſane Armenios pane azymo uſos ex S. Gregorii inſtituto, tradit Demetrius Cyzicenus De Jacobitarum hæreſi ac Chatzitzariorum. *Oblationem faciunt azymam*, ait, *inque Calicem Communionis Jacobitarum more ſolum vinum infundunt, nec miſcent aqua. Ac juniores quidem Chatzitzarii ex cauſſa irrationabili id cærimoniæ*

in-

inductum nugantur; veteres autem eorum Doctores, Sanctum a Deo afflatum ac Martyrem Gregorium, magnæ Armeniæ Epiſcopum, oblationem ejuſmodi ſine fermento, ac Calicem ſine aqua eis ideo tradidiſſe calumniantur, quia, *inquiunt*, quem Chriſtus panem diſcipulis tribuit in Cœna myſtica, azymus erat, ac Calix ſine aqua; *quos tamen Eccleſia Catholica, Apoſtolicam ac Patrum Traditionem legitime ſervans, non probat*. (8) Eadem prorſus narrat Nicephorus Calliſtus. (9) Scriptores hi duplici de cauſſa Armenios reprehendunt, tum quod azymo uterentur, tum quod nihil aquæ vino admiſcerent. Quod ſpectat ad primum, id nemo mirabitur, qui non ignoret, auctores illos poſt conflatum Græcorum ſchiſma vixiſſe, & Latinæ ipſi Eccleſiæ eam ob rem obtrectaſſe. Quod attinet ad alterum, Armeniorum nonnulli ad hæreſim Jacobitarum medio fere ſæculo VI. delapſi, in eos, alioſque errores inciderant. Demetrius inſuper, ac Nicephorus autumant, morem conſecrandi azymum, & aquam vino non admiſcendi contrarium eſſe conſuetudini Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Traditioni: qua in re longe vehementerque falluntur. Quamvis enim Catholica Eccleſia ſequens Traditionem vino aquam admiſceat; numquam tamen azymi uſum reprehendit: ac propterea id, quod ipſi Traditionem Eccleſiaſticam & Apoſtolicam vocant, nullo modo ad azymi conſecrationem pertinet. Demum citati Scriptores negant, Armenios morem illum accepiſſe a S. Gregorio primo eorum Epiſcopo. At credendum ne magis eſt Græcis hiſce recentioribus, qui nullam, cur id afferant, rationem, nullum teſtem proferunt, an veteribus Armeniorum

rum

(8) In Bibliotheca Patrum tom. 12. pag. 814., & apud Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 8.

(9) Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 18. cap. 54. pag. 885.

rum doctoribus, qui de Eccleſiæ ſuæ Traditione teſtantur? Profecto Synodus *Trullana* ſeu *Quiniſexta* anno 692. Conſtantinopoli in *Trullo* celebrata, (10) quæ contra Armenios multa decrevit, atque inter cetera can. 32. ſanxit, ut aquam vino admiſcerent, Armenios de conſecratione azymi nullo modo arceſſit. (11) Quid ita? quia nimirum illius Synodi Patres exiſtimarunt, azymi conſecrandi morem non eſſe errorem Traditioni contrarium, ſed Eccleſiæ Armeniorum conſuetudinem, quam redarguere auſi non ſunt, quod uno aut duobus ante ſæculis toti Græcæ Eccleſiæ communis erat.

Accedit, quod cum Mauritius Imperator, qui anno 582. Tiberio II. ſucceſſit, Armenia potitus omnes hujus provinciæ Epiſcopos Conſtantinopolim vocaſſet, Moſes Catholicus, (12) qui locum S. Gregorii ſedemque primam tenebat, illuc ire recuſavit, *dicens*: Abſit, ut tranſeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam. (13) *Simili quoque ratione Epiſcopi provinciæ Aſprouran, quotquot ſub Perſarum ditione erant*, (14) Conſtantinopolim ſe conferre noluerunt. Hinc colligere licet, primum quidem Arme-

(10) Vide annotationem 1. ad Sergium I. Pontif. LXXXVI.

(11) Apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1156.

(12) Nomen eſt dignitatis, & Primatem ſeu Patriarcham ſignificat, *quem ipſi* (Armenii) *Catholicon, id eſt univerſalem propter infinitum, id eſt amplius quam mille Epiſcoporum ſub ſe habentem numerum, vocant*: ut ſcribit Otto Friſingenſis lib. 7. Chron. cap. 32. pag. 146. & apud Lab. tom. 10. Conc. pag. 1043. & Ducangium in Gloſſario V. 3. *Catholicus*.

(13) *Alludens nimirum ad ritum Græcorum in pane fermentato & in furno cocto conſecrantium, & aquam calidam Calici miſcentium*. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 8.

(14) Narratio de rebus Armeniorum in Bibl. Patr. tom. 12. pag. 816.

menios ita addictos fuiſſe ac devotos Traditioni antiquæ, juxta quam azymo utebantur, ut a Græcis fermentatum conſecrantibus ſcandalum paterentur, atque ob id nollent cum illis communicare: deinde vero illud etiam ſequitur, fermentati uſum non oppido antiquum inter Græcos fuiſſe: quandoquidem ſi Epiſcopi Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjecti ſemper fermentatum adhibuiſſent, id Armenii nullo modo ignoraſſent. Qua igitur de cauſſa Armenii, qui ante finem ſæculi VI. ſemper cum Epiſcopis Patriarchatus Conſtantinopolitani communicarant, ut demonſtrant Concilia, quibus illi una cum iſtis interfuere, poſtea ſub finem ejuſdem ſæculi id facere recuſarunt? Quia nimirum Græci Euchariſtiæ materiam mutaverant, & fermentatum in azymi locum ſubſtituerant.

Neque exiſtimandum eſt, Armenios tunc temporis omni ex parte Catholicos non fuiſſe. Namque Armeniorum Epiſcopi anno 553. præſentes adfuere Concilio Conſtantinopolitano II. Oecumenico V., quod Vigilio conſentiente celebratum eſt. (15) Quamquam ſive Catholici, ſive hæretici Armenii fuerint, certum eſt, eos numquam ad hanc uſque diem azymi uſum intermiſiſſe. S. Nicon natione Armenius, qui ſub finem ſæculi X. floruit, omnium primus ceteris Armeniorum erroribus illum etiam annumeravit, quod azymo uterentur. *In pane myſtico*, inquit, *utuntur azymis, & in Sanctum Calicem aquam non immittunt*. (16) At vir ſanctus aut injuria Armenios reprehendit, cum Epiſcopi anno 692. in

K *Trul-*

(15) Eadem Narratio ibidem pag. 815. Vide annotat. 11. ad Vigilium Pontif. LXI.

(16) De peſſimorum Armeniorum peſſima religione. In Bibl. Patr. tom. 25. pag. 328. & in Cotelerii notis ad Patres Apoſtolicos tom. 1. pag. 238. Conſtitut. Apoſtol. lib. 2. cap. 24.

Trullo congregati ea ſolum de cauſſa exauctorationem Armeniis comminati ſint, *quod vinum tantum in ſacra menſa offerrent, aquam illi non miſcentes*, (17) aut ideo reprehendit, quod non ſequerentur morem conſecrandi fermentati, qui inter Græcos cœperat eſſe communis.

Adde iſtuc anathema, quo Græci poſtremo ſchiſmate a Latinis diviſi, Armenios ad Græcam Eccleſiam redeuntes cogunt errorem ejurare: *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in Sanctum Calicem, anathema ſit*. (18) Nonne verba hæc indicant, Armenios poſt ſeparationem Eccleſiæ Græcæ a Latina ſervaſſe antiquum morem ſuum azymi conſecrandi?

Quid quod Michael Cerularius Patriarchis Alexandrino & Hieroſolymitano in crimine ponit, quod *non ſolum alios azymis utentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in azymis ſacrum conficiunt ſacrificium?* (19) Nonne viri ſchiſmatici querela hæc videtur ſignificare, Alexandrinam & Hieroſolymitanam Eccleſiam ante ſchiſma azymo uſam eſſe, ac noluiſſe azymis rejectis Græcorum ſchiſmaticorum exemplum ſequi? Nonne credibile eſt, pleroſque Orientis Epiſcopos, qui a Fide Catholica defecerant, diſciplinam quoque ad materiam Euchariſtiæ pertinentem mutaſſe, *ne Romanorum Eccleſiam imitari*

(17) Can. 32. apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1156.

(18) Ita legitur in veteri formula ab Joanne Baptiſta Cotelerio inſerta notis ad lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 13. pag. 317., quæ inſcribitur: *Renuntiatio hæreticorum Armeniorum. Quomodo debeant anathematizare, cum ad Fidem Orthodoxam Romanam redeunt*. Nomine autem *Fidei Romanæ*, ſeu Romanorum intelligi Græcos tum hic, tum apud Theorianum in Dialogo adverſus Armenios, tum paſſim apud alios Scriptores, manifeſtum eſt, ut ait Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 8.

(19) In epiſtola ad Petrum Patriarcham Antiochenum apud Baronium ad an. 1054. §. 32. Vide annotat. 4. ad S. Nicolaum I. Pontif. CVII.

ri viderentur? (20) Quis enim non ſibi facile perſuadeat, tot Patriarchas & Epiſcopos, aut illegitimos aut hæreticos, pulcrum exiſtimaſſe ac glorioſum, diverſos a Catholicis ritus etiam in maximo totius Chriſtianæ religionis Sacramento amplecti, ut hac veluti teſſera ab Orthodoxis diſcernerentur? Num mirum ſit, Græcos hujuſmodi Epiſcopos id facinus ante ſæculum VII. admiſiſſe, quod poſtremo ſchiſmate Græci perpetrarunt, qui *poſtquam tunicam Domini inconſutilem diviſerunt, ut perpetuæ diviſionis ſcandalum interponerent, Sacrificii ritum* (fermentato pane in locum azymi ſubſtituto) *temere mutavere?* (21) Hactenus ſunt conjecturæ, quæ aptiſſimæ videntur ad perſuadendum, etiam apud Græcos primis Chriſti ſæculis azyma in uſu fuiſſe: quam ſententiam contrariorum locorum diſſolutio magis confirmabit.

Primus omnium diſſolvendus eſt locus Joannis Grammatici Alexandrini, cognomento Philoponi, quo in primis auctore ſententiæ ſuæ adverſarii utuntur. Is homo ſexti ſæculi contendit, Chriſtum Dominum pridie mortem ſuam non celebraſſe Paſcha legitimum, eoque in azymis Euchariſtiam non inſtituiſſe: quandoquidem ait, ſi Chriſtus ſub ſpecie panis azymi corpus ſuum diſcipulis dediſſet, fore ut id etiam tum in Eccleſia fieret. (22) Id vero totum evertitur hac reſponſione. Nam omnis Eccleſia Orientalis prio-

(20) Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Hiſtoria Orientali cap. 38. apud Mabillonium Diſſertat. de azymo & fermentato. Cap. 3. pag. 530.

(21) Innocentius III. lib. 4. Myſteriorum Miſſæ extremo cap. 4.

(22) Ecce verba ejus apud Mabillonium Diſſertat. cit. cap. 3. pag. 531.: *Nam nihil horum in Cœna contigit, ut jam dixi, neque azymum proprii Corporis antitypum diſcipulis ſuis Chriſtus dedit. Nam & hoc etiam nunc fieret.*

ribus ſæculis credidit, atque adeo pro certo habuit, Chriſtum ultimam cœnam diebus azymorum peregiſſe. Aſianorum Eccleſiæ morem, quem ſequebantur, celebrandi Paſchæ Luna XIV. defendebant exemplo Chriſti, qui eo die Paſchalem agnum comederat. (23) Origenes Tract. 25. in Matth. aſſerit, Chriſtum *more Judaico* Paſcha ultimum celebraſſe. Origenem ſecuti ſunt Theophilus, S. Cyrillus, S. Proterius Alexandrini Patriarchæ, (24) S. Epiphanius Hær. 30. §. 22. Theodoretus quæſt. 24. in Exodum, & S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 81., & 85. in Matth. Quæ opinio inter Græcos adeo communis fuit, ut Photius in Bibliotheca Cod. 116. (25) ſcripſerit, non modo S. Joannem Chriſoſtomum, ſed etiam omnem Græcam Eccleſiam docere, Paſcha legitimum a Chriſto celebratum fuiſſe. Quod ſi ita eſt, profecto conſequitur, Græcos prioribus Chriſti ſæculis panem ſine fermento conſecraſſe, quod non feciſſent, ſi Salvatorem pane fermentato uſum ſciviſſent: ac proinde Græcos juxta, atque Latinos azymi conſecrandi morem ab Apoſtolis ac-

(23) Mabillonius ibidem cap. 1. pag. 527. : *Nulla vero cauſſa videtur, cur Aſiatici tantopere morem ſuum retinere ſtuduerint, niſi quod Chriſtum ipſa die Lunæ quarta decima ad Legis præſcriptum Paſcha peregiſſe ex majoribus accepiſſent.*

(24) Horum *ſententia hac in re eo majoris eſt ponderis, quod antiqui Patres ſtatuendi quotannis Paſchalis feſti* omnem curam Alexandrino Epiſcopo delegarunt, *referente Leonis Papæ I. epiſtola* 94. alias 64. *ad Marcianum*. Quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita videbatur eſſe peritia, per quam qui annis ſingulis dies prædictæ ſolemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus ſcripti ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter percurreret. *Hac enim peritia facile edocti erant, quo die incidiſſet Paſchale feſtum eo anno, quo Chriſtus extremum Paſcha celebravit*. Idem Mabillonius Diſſertatione memorata cap. 1. pag. 528.

(25) Verba ipſa Photii ſunt in ſuperiore Diſputatione de azymo Latinorum pag. 110.

accepiſſe ; & illos quidem, ut Chriſtum imitarentur, per aliquot ſæcula, hos vero uſque ad hanc diem conſtanter ac religioſe ſervaſſe. Quare ex teſtimonio Philoponi illud unum videtur confici, morem fermentati conſecrandi id ætatis in aliqua peculiari Eccleſia obtinuiſſe; non autem fuiſſe toti Græcæ Eccleſiæ communem, neque Græcos pane fermentato ſemper uſos eſſe. Sed eſto Græca Eccleſia Philoponi ætate fermentato uſa fuerit. Quomodo fermentati uſum illum a primis uſque Chriſti ſæculis repetendum eſſe probabis? Certe aut auctoritate, aut Traditione. At auctorum teſtimonia certa & explorata nulla ſunt. Traditionis vero fundamentum quodnam erit? Num locus Philoponi? at Philoponus nihil dicit? Num Eccleſiarum conſenſus? at de eo haudquaquam conſtat.

Id conſtabit, inquies, ex S. Auguſtini, & Irenæi doctrina, juxta quam perpetuus azymorum uſus apud Latinos ab Apoſtolis in Diſputatione ſuperiore deductus eſt, cum ſaltem Cerularii ætate Græca Eccleſia omnis fermentatum communiter adhiberet. Nihil minus. Nam tempore Cerularii Eccleſiæ Patriarchales, ne quid de aliis dicam, ab antiqua diſciplina jam deſciverant; inſtigantibus Epiſcopis ſchiſmaticis & hæreticis, qui ſedes illas ſubinde occupaverant. Atque hæc ipſa Patriarcharum ſucceſſio vel intermiſſa fuit, vel omnino ceſſavit. Poſt captam a Saracenis Hieroſolymam anno 633. ad finem uſque ſæculi XI., cum Latini Urbem illam in ſuam ditionem redegerunt, quinque aut ad ſummum ſex tanto temporis intervallo numerantur Patriarchæ Hieroſolymorum. Succeſſio vero Patriarcharum Alexandrinorum licet uſque ad medium ferme ſæculum VIII. legitima haberetur; difficile tamen fuerit eos nominatim recenſere, qui titulo duntaxat Pa-

triarchæ fuerunt per id tempus, quo Alexandria barbarorum dominatu preſſa & afflicta eſt. Quid Antiochia? Nonne ab Saracenis circiter annum Chriſti 685. occupata, per tria ferme ſæcula nullos Epiſcopos habuit, aut ſaltem eorum nomina nos adhuc latent? De Conſtantinopolitana tandem nihil dico. Illam enim ab Apoſtolis fundatam non fuiſſe, nemo ignorat. Ex his, ut arbitror, patet, uſum fermentati apud Græcos non poſſe ſecundum doctrinam S. Irenæi ab Apoſtolis deduci. Etenim is requirit non ſolum, ut communis mos ſit, ut ab Apoſtolica inſtitutione derivari queat: ſed etiam ut ſucceſſio legitima Epiſcoporum illius Eccleſiæ, in qua mos ejuſmodi ſervatur, numquam interrupta fuerit.

Qui locum Philoponi maxime urget, ut oſtendat, *fermentati uſum ante memoriam omnem apud Græcos invaluiſſe*, (26) idem ſententiam ſuam probare nititur hoc etiam modo. Orientalem Eccleſiam ipſo Chriſtianæ religionis exordio, ut ex epiſtola Irenæi narrat Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24., ſervaſſe ritus ab Eccleſiæ Occidentalis ritibus diverſos; quam diverſitatem per varias Eccleſias *in myſticis Sacrificiis* agnoſcit etiam Photius epiſt. 64. ideoque fieri potuiſſe, ut Eccleſia utraque panem diverſum ad Euchariſtiam conficiendam adhiberet. Hanc conjecturam confirmari auctoritate Origenis in Matth. cap. XVI. 16., ubi diſſerens de fermento Phariſæorum: *An non*, inquit, *& aliquando fermentatum offert ſuper Altare?*

Aliud teſtimonium deſumit ex Chronico MS. Datii Epiſcopi Mediolanenſis qui medio ſæculo ſexto vixit. Quo in Chronico dicitur S. Ambroſius *Græcorum Eccleſiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus fuiſſe, & ſacrificium eorum, ſcilicet*

(26) Mabillonius Diſſertat. cit. cap. 3. pag. 531. & 532.

licet fermentatum, cum noſtro azymo in celeberrimis Feſtivitatibus, maxime in Reſurrectione Domini benedixiſſe.

Profert inſuper teſtimonium Humberti Cardinalis in Reſponſione ad Nicetam, ubi aperte innuit, tempore Synodi VI., quæ anno 680. habita eſt, (27) Græcos alio pane uſos eſſe, quam Latinos.

Illud denique addit, *quod Græci ante ſchiſma Photianum pane denſo & integro, iiſdem omnino inſtrumentis, atque ritibus utebantur in Liturgia ſacra, quibus etiam nunc utuntur*: atque *ex eo quod de pane integro & denſo coronulam lanceola demebant in ſacrificium, colligit, panes ab ipſis tum adhibitos fuiſſe craſſos & inflatos, quales in uſum communem cedunt, id eſt fermentatos.*

Verum hæc indicia omnia leviſſima ſunt. Nam nec Euſebius, nec Photius aliquid dicunt, quod panem fermentatum, aut azymum indicare poſſit. Quod ſpectat ad Origenem, primum non conſtat, utrum de Veteris, an Novi Teſtamenti ſacrificio loquatur: deinde ſi *aliquando fermentatum offertur ſuper Altare*, ergo non ſemper, ut volunt adverſarii: ergo nonnumquam etiam azyma. Poſtea, ſi quidem Origenis mentem aſſequor, tantum abeſt, ut fermentatum offerri aſſerat, ut etiam contrarium ſignificet. Nam juxta editionem Petri Danielis Huetii: Οὕτω δ᾽, inquit, μήποτε ζύμη ἐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. *Ita autem numquam fermentum offertur ſuper Altare:* (28) Duæ vero negantes particulæ apud Græcos vehementius negant.

Porro Chronicon Datii nihil officit aſſertioni noſtræ. Præterquamquod enim non eſt credibile, S. Ambroſium duplici panis genere fermentato &

K 4 azy-

(27) Vide annotat. 1. ad S. Agathonem Pontif. LXXXI.
(28) Part. 1. pag. 271. edit. Rothom. anno 1668. in fol.

azymo uſum eſſe, opus illud falſo Datii nomine inſcriptum obſervarunt viri doctiſſimi Pagius, Menardus, Bona: quin Mabillonius ipſe, qui eo uſus eſt, fatetur *non licere ſibi de hujus Chronici auctoritate certo pronuntiare*. (29)

Jam vero certum eſt, quidquid dicat Cardinalis Humbertus, nullam in Synodo VI. factam azymi aut fermentati mentionem.

Quod ſpectat ad extremum non apparet, cur panis azymus talis eſſe non potuerit, qualem tunc Græci adhibebant, denſus, integer, craſſus & inflatus. Et lanceolæ uſum recentem & novum eſſe, advertit Jacobus Goar in Euchologio pag. 116.

Qui ſententiæ de perpetuo apud Græcos uſu fermentati conſentit, eam conatur *aliis indiciis ſtabilire*. (30) Recitat primo loco Græcorum Patrum teſtimonia, qui panem conſecrandum appellant *communem*. (31)

Subjungit acerrimas Græcorum querimonias adverſus nationes throno Patriarchali Conſtantinopo-

(29) Mabillonius Diſſertat. De azymo ac fermentato cap. 6. pag. 534. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7. Menardus in Librum Sacramentorum S. Gregorii tom. 3. pag. 586. Pagius ad an. 552. §. 27.

(30) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7.

(31) Juſtini Martyris, qui *prope finem ſecundæ Apologiæ ſermonem habens de Sacrificio Miſſæ*: Non enim, *ait*, ita ſumimus ut communem panem, & communem potum, *ſive ut alius interpres vertit*, ut vulgarem panem, & vulgare poculum. *Irenæi lib.* 4. *cap.* 34. Jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia. *Gregorii Nyſſeni Orat. in baptiſmum Chriſti:* Panis item panis eſt initio communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, Corpus Chriſti fit & dicitur. *Cyrilli Hieroſolymitani Catech. myſtag.* 3.: Panis Euchariſtiæ poſt Spiritus Sancti invocationem non amplius eſt panis communis, ſed Corpus Chriſti. *Iſidori Peluſiotæ lib.* 1. *epiſt.* 109.: Spiritus Sanctus in myſtica menſa communem panem Chriſti corpus facit.

politano ſubjectas, quæ azymis præter communem uſum uti cœperant.

Addit, ob eumdem uſum azymorum reprehenſos eſſe Armenios, eumdemque uſum apud illos cœpiſſe circa tempora Synodi VI. Generalis, poſtquam defecerant ad hæreſim Eutychianam, ex decreto Conciliabuli in Urbe Manaſchierti in finibus Hircaniæ ab Joanne Oznienſi Patriarcha coacti, ut narrat Clemens Galanus Part. 1. Conciliationis Eccleſiæ Armenæ cum Romana cap. 17. pag. 201. (32)

Ad primum reſpondeo, ſanctos illos Patres, ut cuilibet eorum verba attente perpendenti perſpicuum fiet, ſumere vocabulum *panis communis* non proprie & prout opponitur pani azymo, ſed quatenus opponitur pani conſecrato, ſeu Corpori Chriſti. Quamquam quid prohibet, quominus etiam panis azymus panis communis dicatur? Nonne ex eadem materia conſtat, ac fermentatus? Nonne, ut ipſe Eminentiſſimus Bona Cornelii Celſi auctoritatem ſecutus fatetur, panem utrumque azymum & fermentatum Romani, ac gentes aliæ adhibere communiter conſueverunt?

Neque ex Græcorum querimoniis adverſus eos, qui azymo uterentur, aliquid conficiunt. Nullus enim ſcriptor in medium adduci poteſt, qui inſurrexerit contra Eccleſias azymum conſecrantes ante S. Niconem, qui ſub finem ſæculi X. obiit. Nam quod ſpectat ad Ebionitas, numquam S. Epiphanius illos coarguit, quod azymis uterentur, quo-

(32) Ejus verba ſunt: *Hic* (Joannes Oznienſis Patriarcha) *juſſu Homaris Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis ſynodum congregavit in Urbe Manaſchierti in confinibus Hircaniæ provinciæ, ubi convenientibus cum Armeniis ſex Aſſyriis Epiſcopis, definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio; fueruntque a ſacris ablata myſteriis fermentum & aqua, canoneque ſtatutum eſt, non eſſe amplius in ſacrificiis aquam vino miſcendam.*

quoniam ea in re Sanctos imitabantur, ſed tantum quod aliam myſterii partem aqua ſola perficerent. At enim Ebionæi imitati ſunt Sanctos quoad *ipſa myſteria, non eorum materiam: alioquin dicendum foret, eos aquam quoque adhibuiſſe ad imitationem Sanctorum*, (33) cum S. Epiphanius utramque conjungat. Acuta ſane interpretatio, & ad evadendum quidem apta, ad ſenſum vero ac mentem Epiphanii minime accommodata. *Myſteria perficiunt per azyma*, ait S. Epiphanius. Num dici poteſt, verba hæc ad ipſa tantum Myſteria, ac non potius ad Sacrificii materiam pertinere? Verum quidem eſt, Ebionitas aquam ſolam conſecrare ſolitos: at hoc id non eſt, in quo illi Sanctos imitabantur, neque id S. Epiphanius ſignificare voluit. Duo enim inter ſe diſtinguit, ac dicit, Ebionæos ſecutos exemplum Sanctorum uſos eſſe azymo, deinde e veſtigio ſubjungit, illos ad aliam Sacrificii partem conficiendam adhibuiſſe aquam ſolam, qui unus erat ex erroribus Ebionitarum. (34)

Tandem quod pertinet ad id, quod tertio loco objectum eſt: non nego, Græcos ante tempora Synodi VI. fermentato uti cœpiſſe: id enim docet ſupra allatus Philoponi locus: nego tamen, Galani teſtimonio probari, morem hujuſmodi communem in Eccleſia Græca fuiſſe, & Armenios eo tempore pane azymo ſacrum facere cœpiſſe. Nam centum & amplius ante annis azymus apud Armenios ſacrificalis erat: ſiquidem, ut ſupra dictum eſt, Moſes Armeniorum Catholicus ideo Conſtantinopolim ire recuſavit, ne ibi fermentum ſacrificare cogeretur. Neque in Conci-

(33) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 5.

(34) Sunt hæc S. Epiphanii verba ad verbum de Græcis expreſſa: *Myſteria vero videlicet perficiunt ſecundum imitationem Sanctorum in Eccleſia ab anno in annum per azyma, & aliam partem Myſterii per aquam ſolam.*

cilio Manaſchierti habito Armenii anathema contra Synodum Chalcedonenſem dixerunt, ſed in conventu anno 554.°, centum & tribus annis poſt Concilium Oecumenicum IV. celebrato in Urbe Tiben, quo tempore Armeniorum nonnulli ejurata fide Catholica Eutychianis adhæſerunt, ſeque ab ſocietate Eccleſiæ ſepararunt. In hoc autem Tibinenſi conventiculo nulla mentio facta eſt de ſacrificio azymorum, ſed rejectæ tantum ſunt Traditiones aliquæ, quas Armenii a S. Gregorio primo ipſorum Patriarcha, aliiſque majoribus acceperant. (35) Sed de azymo Græcorum jam ſatis eſt argumenti.

Quo autem tempore ab uſu azymi conſecrandi receſſerint, nihil certi videtur poſſe conſtitui. Exiſtimaverim, Græcos illorum quinquaginta annorum ſpatio, qui a medio ſæculo VI. ad initium ſæculi VII. numerantur, azyma abieciſſe. Sane Philoponus teſtatur, Græcos exeunte ſæculo VI. panem fermentatum uſurpaſſe, quamvis non deſignet Eccleſiam, quæ eo uteretur, nec ſignificet quam antiquus & communis hic uſus fuerit. Id etiam certum eſt, ritum illum in omni Græca Eccleſia uſurpatum non fuiſſe. Etenim Eccleſiæ Catholico Armeniorum ſubjectæ, quæ magnam Eccleſiæ Græcæ partem conſtituebant, cum mille & amplius eſſent, azymo utebantur: quod, ut ſupra dixi, in cauſſa fuit, cur Moſes Armeniorum Patriarcha, aliique Epiſcopi a Mauricio Imperatore arceſſiti Conſtantinopolim ire recuſaverint. Præterea Armenii, ut pariter dictum eſt, anno 553. interfuerunt Concilio Oecum. V. Conſtantinopolitano II., unde colligas, Eccleſiam Conſtantinopolitanam azymo tunc uti conſueviſſe.

(35) Conſtant hæc ex Narratione de rebus Armeniorum in Bibl. Patr. tom. 12. pag. 816. & 817. Vide Pagium ad an. 552. §. 24.

ſe. Nam alioquin Armeniorum Epiſcopi recuſaſſent communicare cum Epiſcopis ſubjectis Patriarchæ Conſtantinopolitano, quemadmodum poſtea Moſes Catholicus, aliique Antiſtites fecerunt, eam ſolum ob rem, ne furno coctum panem, hoc eſt fermentatum comederent. Inferre ex his licet; ab anno 553. ad finem ſæculi VI. Eccleſiam Conſtantinopolitanam, azymo ablegato, fermentatum adhibere cœpiſſe: cujus exemplum, utpote obtinentis locum principem inter Græcas Eccleſias; imitantibus ſubinde aliis Eccleſiis, fermentati uſus paulatim uſque ad ultimum ſchiſma increverit. Hinc Michael Cerularius, ejuſque ſectatores obtrectare Latinæ Eccleſiæ non dubitarunt; quod panem azymum conſecraret; quamvis eorum deceſſores morem iſtum tamquam legitimum, aut ſaltem indifferentem reſpexiſſent. Neque enim Patres Synodi Quiniſextæ anno 692. celebratæ vitio Armeniis dederunt, quod azymo ad rem divinam faciendam uterentur.

Sed perge porro. Ab anno 553. uſque ad ſæculi finem quatuor Patriarchæ Conſtantinopolitanam ſedem tenuerunt. Mennæ anno 552. vita functo anno eodem ſuffectus eſt Eutychius, qui ſtatim per litteras rogavit Vigilium Pontificem, ut Concilium indiceret dirimendæ controverſiæ *trium Capitulorum*, quæ Eccleſiam perturbabat. (36) Annuit Pontifex, & Synodus, quæ locum inter Oecumenicas quintum obtinet; eodem anno 553. Conſtantinopoli habita eſt. Paullo poſt, cum Eutychius Juſtinianum Imperatorem in novum errorem lapſum caſtigaſſet, Imperator ira percitus; conventu anno 563. coacto, Patriarchatum illi abrogavit, & *Joannem Exſcholaſticum ma-*

gnæ

(36) Vide annotat. 3. ad Vigilium Pontificem LXI.

gnæ Antiochiæ Reſponſalem, (37) Conſtantinopoli agentem, in ejus locum ſuffecit, annitentibus hæreticis, quibus adhæſerat. Joannes iſte, tertius hoc nomine, ſe pro Patriarcha geſſit uſque ad annum 577., quo obiit diem ſupremum, & *Eutychius thronum Conſtantinopolitanum ſecundo accepit*. (38) Eutychio anno 582. ſubrogatus eſt Joannes IV. cognomine *Jejunator*, quem cum Eutychius morti proximus ſibi ſuffectum iri prævidiſſet, eumque noſſet intus & in cute, profeſſus eſt, ſe electionem hujuſmodi non probare. Concilio ex Epiſcopis, qui erant Conſtantinopoli, & propius aberant, congregato, ut cauſſam Gregorii Antiocheni cognoſceret, nomen Epiſcopi *Oecumenici* ſeu *Univerſalis* ſibi arrogavit. Id ægre tulit Pelagius II. Pontifex Romanus, ejuſque ſucceſſor Gregorius Magnus, quo regnante, Joannes novum & ſuperbum nomen ſibi arrogare perſeverabat. (39) Joannem anno 596. excepit Cyriacus. Hic quoque cum *Oecumenici* titulum affectaret, eoque Concilium indixiſſet Conſtantinopolim, S. Gregorius ab ejus ambitione omnia metuens, epiſtolam ad Euſebium Theſſalonicenſem, & ad Epiſcopos Orientis dedit, (40) ut ſeſe Cyriaci audaciæ ac temeritati opponerent, nec aliquid contra Canones uſurpari ab eo ſinerent. Quare cum poſtea Phocas Imperator, Pontificatum adminiſtrante Bonifacio III. ſanxiſſet, ne ulli Epiſcopo, niſi Romano, nomen *Oecume-*

ni-

(37) Theophanes in Chronographia pag. 162. edit. Venetæ.

(38) Idem Theophanes ibidem pag. 167.

(39) Idem S. Gregorius lib. 5. epiſt. 18. & 19. nomen Epiſcopi *univerſalis* dicit *novum*, *nefandum*, *ſtultum*, *ſuperbum*, *perverſum*, *elatum*, *temerarium*, *ſceleratum*.

(40) Quæ eſt 68. libri 9.

nici tribueretur, (41) Cyriacus mœrore confectus anno *606.* e vivis exceſſit. (42)

Ex his, ut arbitror, non erit difficile credere, Joannem IV. aut Cyriacum morem antiquum azymi conſecrandi mutare tentaſſe. Cum enim nomen Patriarchæ *Oecumenici* uſurparint, cur non etiam fermentum induxerint, ut ab Eccleſia Romana magis ſejungerentur, & Romanum Pontificem tamquam caput non agnoſcerent? Nonne id vel ex eo credibile fit, quod hoc circiter tempore Moſes Armeniorum Catholicus ire Conſtantinopolim abnuit, ne communicaret cum Patriarcha ejus Urbis, in qua fermentatus conſecrabatur? Nonne ritum fermentati conſecrandi valde recentem, ac proinde ſcandali plenum fuiſſe neceſſe eſt, cum hac una de cauſſa Armenii adventum ſuum Conſtantinopolim Mauricio excuſaverint, quamvis aliam majoris momenti haberent? Nimirum ſatis erat, ſi Mauricium admonuiſſent, ſe Conſtantinopolim non venire propter ambitionem & arrogantiam Joannis IV. & Cyriaci, qui nomen Epiſcopi *Oecumenici* uſurpabant, tum ne ſuperbam uſurpationem approbare viderentur, tum etiam ut oſtenderent, ſe novis hiſce *Oecumenicis* nullo modo ſubjectos, aut inferiores eſſe.

Ad hæc Philoponus, qui circa idem tempus Conſtantinopoli morabatur, compoſito Tractatu *De Paſcha*, probare conatus eſt, Chriſtum in ultima cœna non celebraſſe Paſcha legitimum, neque agnum, aut azyma comediſſe, ideoque Euchariſtiam non ex pane azymo, ſed fermentato

con-

(41) Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Bonifacii III. tom. 1. pag. 117. & tom. 4. pag. 14. Paulus Diaconus de Geſtis Langobardorum lib. 4. cap. 37., cujus verba ſunt in Annotat. 2. ad Bonifacium III. Pontif. LXVIII.

(42) Pagius ad an. 552. §. 18. ad an. 553. §. 2. ad an. 563. §. 3. ad an. 578. §. 5. ad an. 582. §. 6. ad an. 588. §. 7. ad an. 596. §. 2. ad an. 606. §. 3.

confeciſſe. Id unum eſt Operis totius argumentum, nec ullum auctorem refellendum, aut novam opinionem convellendam ſibi Philoponus proponit. Porro certum eſt, Græcos ab ipſis Eccleſiæ incunabulis crediſſe, Paſcha legitimum a Chriſto celebratum, & azymum panem adhibitum in Euchariſtiæ inſtitutione. Philoponus Alexandriæ altus atque educatus ignorare non poterat, Theophilum, Cyrillum, Proterum, alioſque Alexandrinorum Antiſtites, quibus cura ea a Patribus Nicænis demandata fuerat, ut quotannis Dominicum diem agendo Paſchæ feſto præſtituerent, ſummumque Pontificem ea de re certiorem facerent, (43) ignorare, inquam, non poterat, Alexandrinos hoſce Patriarchas pro certo habuiſſe, Chriſtum uſum eſſe pane azymo ad Euchariſtiam inſtituendam. Undenam igitur illi venit in mentem opus aggredi, quo inauditam hactenus ſententiam perſuadere tentaret? Abſurdum ne foret aſſerere, Philoponum in ſua De Paſcha diſputatione id unum ſpectaſſe, ut recens inductum fermentati conſecrandi morem defenderet, eique auctoritatem conciliaret? Nonne ſi concedas, Chriſtum Dominum, ut ajebat Philoponus, non celebraſſe Paſcha legitimum, ac panem fermentatum ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituendum adhibuiſſe, azymi ablegatio & fermenti in ejus locum ſubſtitutio debuit magnam boni ſpeciem præſeferre? Profecto conjectura hæc conficere non nihil videtur, cum Græci ex hoc tempore hanc rationem unam pro fermento contra azymum afferre conſueverint. Denique cum Philoponus in hæreſim Tritheitarum lapſus eſſet, & librum, quo *corporum reſurrectionem rejicit*, compoſuiſſet, itemque alium *adverſus ſacram &* Oe-

(43) Vide annotat. 3. ad S. Victorem I. Pontif. XV. & paullo ante poſitam annotationem 24.

Oecumenicam quartam Synodum Chalcedonenſem, (44) non abhorret a veritate, eumdem ſcripſiſſe etiam tractatum de Paſcha, non modo ut recentem uſum fermentati ſtabiliret, verum etiam ut Epiſcopis mutationis iſtiuſmodi auctoribus gratificaretur, eorumque exiſtimationi ac famæ conſuleret, & ſchiſma inter Romanos Pontifices & Patriarchas Conſtantinopolitanos foveret. Non erit autem omnino incredibile, hanc fermentati ſubſtitutionem in locum azymi paulatim confirmatam in Patriarchatu Conſtantinopolitano ſub quinque aut ſex hæreticis Patriarchis, qui ſedem illam uſque ad annum 658. occuparunt: aliaſque Orientis Eccleſias Conſtantinopolitanæ exemplum uſque ad ultimum ſchiſma ſecutas fuiſſe.

(44) Photius in Bibliotheca Cod. 22. pag. 14. cod. 55. pag. 46. Nicephorus lib. 18. Hiſt. Eccl. cap. 46. 47. & 50. tom. 2. pag. 872. 873. & 878. Leontius de Sectis art. 5. tom. 9. Bibl. Patr. pag. 668. Baronius ad an. 535. §. 76.

DIS-

DISPUTATIO XII.

De baptiſmo Conſtantini Magni Imperatoris.

CElebris eſt inter Hiſtoricos controverſia de baptiſmo Conſtantini, aliis Romæ ab Silveſtro I. baptizatum contendentibus, aliis apud Nicomediam ſub finem vitæ ac propediem moriturum. Proferam, quæ in utramque partem dicuntur, relicturus aliis utrum eorum verius malint videri.

Conſtantinus Magnus, cum Imperii annum fere triceſimum ſecundum, ætatis vero quartum ſupra ſexageſimum, corpore uſque & animo valens expleſſet, morbum tandem anno Chriſti 337. poſt Feſtum Paſchale nactus eſt. (1) *Itaque ad aquas calidas Civitatis ſuæ* (2) *progreſſus, inde Helenopolim delatus eſt*, (3) *ut aquis calidis, quæ juxta illam Urbem ſitæ ſunt, uteretur. Sed cum morbum ingraveſcere ſenſiſſet, lavacrum quidem diſtulit. Helenopoli autem* (4) *in Templo Martyrum diu commoratus, ſupplicationes & preces obtulit Deo. Cumque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret, tempus tandem adeſſe exiſtimavit, quo totius vitæ delicta expiaret; firmiſſime credens, quæcumque humanitus peccaviſſet, arcanorum verborum efficacia & ſalutari lavacro penitus eſſe delenda. Hæc cum apud ſe reputaſſet, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo ſupplex popoſcit peccata ſua confitens* L *in*

(1) Euſebius De Vita Conſtantini lib. 4. cap. 53. 60. 61. Pagius ad an. 337. §. 34. Paſcha eo anno incidit in diem Dominicum XV. Kal. Maji.

(2) Conſtantinopolis.

(3) Euſebius loco citato cap. 61. pag. 460.

(4) Socrates lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 39. pag. 62.

in ipſo Martyrio, (5) *quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primum meruit accipere:* (6) *Hinc ad ſuburbana Nicomediæ digreſſus*, (7) *convocatis Epiſcopis, ſic ad eos verba fecit*. Hoc erat tempus, quod jamdudum ſperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votiſque omnibus deſiderarem ſalutem in Deo conſequi. Jam tempus eſt, ut ſignum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus: tempus

(5) Vide annotationem 7. Diſputationis VI.

(6) Tunc primum factum eſſe Catechumenum Imperatorem Conſtantinum putat Valeſius annotat. in hunc Euſebii locum pag. 226. Nam Catechumeni per manuum impoſitionem olim in Eccleſia fieri conſueverunt, primum quidem *Audientes*, deinde vero *Competentes*, quibus nominibus duplex eorum claſſis deſignatur. Cum igitur Euſebius aperte tradat, Conſtantinum Helenopoli primum manuum impoſitionem accepiſſe, plane efficitur, ut antea Catechumenus non fuerit, ſed tunc primum *Audientibus* annumeratus ſit. Valeſium ſequitur Papebrochius apud Bollandum die vigeſima prima Maji pag. 19. §. 24., & Noriſius in Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Lect. 8. Operum tom. 4. pag. 659. Alii arbitrantur, Conſtantinum ea manuum impoſitione potius quam *Audientem*, creatum eſſe *Competentem*, & baptiſmi Candidatum. Sed vox illa *primum* excludit ſecundam manuum impoſitionem fieri ſolitam *Competentibus*, de qua Concilium Carthaginienſe IV. can. 85. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1206.

Tillemontius extrema annotat. 64. in Conſtantinum tom. 4. Hiſtoriæ Imperatorum pag. 659. opinatur, verbis Euſebii hanc ſubjectam fortaſſe ſententiam: Cum Conſtantinus Baptiſmum Helenopoli petiiſſet, ibi in Eccleſia S. Luciani primum manus ei impoſitas, ſeu ut *Competens* fieret, ſeu exorcizaretur, quemadmodum fieri ſolet in primis cæremoniis baptiſmi: deinde reliquas cæremonias peractas Achyronæ, quo ſe transferri juſſerat.

S. Hieronymus in Chronico ad an. 340. Operum tom. VIII. pag. 789.: *Conſtantinus, cum bellum pararet in Perſas, in Ancyrone villa publica juxta Nicomediam moritur*.

(7) Aurelius Victor de Cæſaribus cap. 41.: Conſtantinus *rure proximo Nicomediæ* (*Achyronam vocant*) *exceſſit*.

Eutropius in Breviario Hiſt. Rom. lib. 10. extremo cap. 4. *Nicomediæ in villa publica obiit*.

pus eſt, ut ſalutaris ſignaculi participes fiamus. Equidem olim ſtatueram id agere in flumine Jordane, (8) in quo Servator ipſe ad exemplum noſtrum lavacrum ſuſcepiſſe memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea, quæ nobis utilia ſunt, hoc in loco nobis id ipſum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. (9) Nam ſi quidem Deus vitæ, mortiſque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit, idque ſemel decretum eſt, ut in poſterum una cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ. *Hæc cum dixiſſet, illi ſolemni ritu divinas cæremonias peregerunt; injunctiſque ei*

 quæ-

(8) Valeſius in hunc Euſebii locum pag. 226.: *Ne quis forte Conſtantinum temere reprehendat, qui illic baptizari ambierit, ubi Dominus olim a Joanne fuerat baptizatus, ſciendum eſt, pleroſque Chriſtianorum idem tunc temporis obiiſſe. Ita Euſebius noſter in Libro* De locis Hebraicis, *quem locum ita vertit Hieronymus:* Bethbaara trans Jordanem, ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat: unde & uſque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt de numero credentium ibi renaſci cupientes, vitali gurgite baptizantur.

Si Conſtantino *in optatis erat in Jordane flumine baptizari: quando opportunius id facere potuiſſet, quam anno ante obitum, cum Hieroſolymam, ut ipſemet teſtatur* Euſebius lib. 4. De Vita Conſtantini cap. 43., *ex omnibus Orientis partibus ab eo vocati ad Templi dedicationem Epiſcopi convenere, cum præſertim iminens in Perſas profectio ad id eum impellere debuiſſet?* Baronius ad an. 324. §. 45. Eſto, potuerit tunc atque etiam antea Conſtantinus in Jordane commode baptizari. At non quæritur quando opportune in Jordane baptizari potuerit, ſed quando revera baptizatus fuerit, & idonei probatique auctores teſtantur, ſub finem vitæ prope Nicomediam baptiſmum ſuſcepiſſe.

(9) *His verbis ſe ipſum accuſat Conſtantinus, quod ſcilicet ſacrum lavacrum nimis diſtulerit; quodque tamdiu quaſi anceps ac dubius hæſerit, nec Gentilium ritus ac cæremonias colens, nec Chriſtianorum ſacra ſuſcipiens.* Valeſius in citatum locum Euſebii pag. 227.

quæcumque neceſſaria erant , ſacrorum myſteriorum participem eum fecere . Solus igitur ex omnibus , qui umquam fuerunt Imperatoribus Conſtantinus , in Chriſti martyriis (10) *renatus & conſummatus eſt ; & divino donatus ſignaculo exultavit ſpiritu , renovatuſque eſt , ac divina luce repletus .* (11) Paullo amplius menſe poſt ſuſceptum baptiſmum , eodem anno Chriſti 337. *Feliciano & Titiano Conſulibus , die undecimo Kalendas Junii* (12) Feſto Pentecoſtes *circa meridiem migravit ad Dominum .*

Hæc

(10) Vox hæc ſæpe ſignificat Eccleſiam, ut dictum eſt annotat. 7. ad diſputationem VI. Sed Tillemontius annotat. 65. in Conſtantinum tom. 4. Hiſt. Imper. pag. 659. dubitat, habeatne hic Euſebii locus eamdem ſignificationem: quod videatur pro *martyriis* legendum eſſe *myſteriis*.

(11) Euſebius lib. 4. De Vita Conſtantini cap. 61. & 62. pag. 460.

Exemplum Patris Conſtantini ſecutus eſt degener filius Conſtantius, *qui, cum ad uſque finem in impietate perſeveraſſet, demum inſtante morte baptizari voluit ab Euzojo*, ut eſt apud S. Athanaſium de Synodis §. 31. Philoſtorgium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 5. & Socratem lib. 2. cap. 47.

(12) Socrates lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 40. pag. 63.

Cardinalis Noriſius in Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Lect. 8. Operum tom. 4. pag. 660. *Neque vero mirum accidat, Conſtantinum baptiſma ad mortem diſtuliſſe. Nam ea tempeſtate hoc Sacramentum longius nonnumquam protrahebatur, quod ex ipſis Imperatoribus Conſtantini filiis, & ſucceſſoribus aperitur. Cur Conſtantinus filios, quos in Chriſtiana religione educatos certum eſt, non curavit baptizandos? Conſtantem natu minorem paullo ante mortem, quæ contigit anno 350., a morte Patris 13. baptizatum ex Athanaſio tradit* Baronius ad an. 324. §. 54., *qui tamen natus erat an. 321. licet Patres Ariminenſes apud Athanaſium* De Synodis, *non de Conſtante (ut cum interprete Nannio credidit Baronius) ſed de ipſo Conſtantino Patre, ex Græcis exemplaribus, ac ex ipſius ſententiæ contextu locuti ſint. Conſtantius Tauro & Florentio Coſſ. anno 361. morti proximus baptiſmum ſuſcepit, S. Athanaſio & Socrate teſtibus an. 24. a morte Patris; & tamen contra Magnentium tyrannum & Perſas alioſque conflixit, & multa egit contra idololatriam & pro Chriſtiana religione. Cur Conſtanti-*

nus

Hæc Euſebius in Vita Conſtantini (13) anno tantum ſecundo aut tertio poſt ejus mortem, de ejuſdem baptiſmo edidit, nullo modo ſignificans;

nus filios adhuc pueros ſacris undis non admovit? morti proximus id ſaltem non exegit? Valens Imperator anno Imperii III. baptiſmum ſuſcepit: cum tamen ante baptiſmum fuerit Catholicæ religionis tenaciſſimus, ut auctores ſunt Theodoretus ac S. Hieronymus: licet cum baptiſmo ab Eudoxio Conſtantinopolitano juramento adactus fuerit ad Arianum dogma fovendum. Valentinianus II. vivente Patre Catholico Imperatore non fuit baptizatus, eo vero mortuo imperavit annis 16. menſibus 5.; & cum D. Ambroſium in Gallias evocaſſet, ut ab eo ſacris lymphis ablueretur, ab Eugenio tyranno occiſus fuit: quem tamen concepto baptiſmi voto ac propoſito ſalvatum ſcribit Ambroſius in Concione funebri ejuſdem Valentiniani. Theodoſius Imperator a Gratiano dictus, ingenti prælio Gothos vicit, atque ultra Hiſtri ripas abegit. Cum vero Theſſalonicæ morbo correptus ad mortem appropinquare videretur, ab Acholio Epiſcopo baptiſmum ſuſcepit. Hic tamen a puero in Chriſtiana religione fuerat a patre educatus. At inquies; ſi Conſtantinus ante mortem non fuerat baptizatus, cur ergo per id tempus, quo Donatiſtas comprimere ſtuduit, Chriſtianus Imperator *ab Auguſtino* (epiſt. 43. alias 162. cap. 7. & epiſt. 105. alias 166. cap. 3.) *appellatur? Nimirum quia Chriſtianæ religionis cultum aperte profitebatur. Ita quidem Athanaſius, ac Hilarius Conſtantium nondum baptizatum* Chriſtianum *dixere.*

(13) Lib. 4. cap. 61. 62. & 64. pag. 460.; & 461.

Gelaſius Cyzicenus lib. 2. cap. 1. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 139. & Harduinum tom. 1. pag. 363. *Ille veri ſtudioſiſſimus Euſebius... Veterum Eccleſiaſticorum Scriptorum fide digniſſimus Euſebius.*

S. Hieronymus epiſt. 84. alias 65. §. 2. *Eccleſiaſticam pulcre Euſebius hiſtoriam texuit, licet impietatis Arii apertiſſimus propugnator;*

Pelagius II. in Epiſt. ad Eliam Aquilejenſem & alios Epiſcopos Iſtriæ cap. 21. pag. 633. tom. 5. Conc. Lab. *Quid in Hiſtoriographis inveniri Euſebio honorabilius poteſt?*

Baronius ad an. 324. §. 43.: *Euſebius Arianorum ſignifer in gratiam Conſtantii Imperatoris Ariani hæc conſcripſit*, ne ſcribens *Conſtantinum Romæ a Silveſtro Pontifice in fide Catholica baptizatum, impietatis & apoſtaſiæ redargueret filium ejus Conſtantium Imperatorem, paternæ fidei deſertorem & transfugam:*

a quo potiſſimum baptizatus fuerit. Si enim ab Euſebio Nicomedienſi Antiſtite baptizatum ſignificare voluiſſet, ab loci Epiſcopo baptizatum dixiſſet, quandoquidem aſſerit alios fuiſſe apud Conſtantinum Epiſcopos, a quibus poterat pro arbitratu baptizari: quin etiam addit ad extremum, *illos ſolemni ritu divinas cæremonias peregiſſe*. (14)

Euſebii ſententiam confirmant Socrates lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 39. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Theodoretus lib. 1. cap. 32., cujus verba recitat

ac

Non eſt veriſimile, Euſebium mendacem fuiſſe in ea hiſtoriæ parte, quæ ad Arium & Arianorum cauſſam minime pertinebat, adhuc ſuperſtitibus, qui eum mendacii convincere facile poterant: & aliunde, quam ex rebus a Conſtantino Romæ geſtis, notum omnibus erat, Conſtantium ejus filium paternam fidem deſeruiſſe: & Euſebium de baptiſmo Conſtantini falſa ſcribentem antiqui Scriptores Græci ac Latini non probaſſent.

(14) Quare non eſt credendum iis, qui aſſerunt, Conſtantinum ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum. Neque id credidit Gelaſius Cyzicenus, qui illum *baptiſmate tinctum refert ab Orthodoxo Sacerdote*. Photius in Bibliotheca extremo Cod. 88. pag. 210. ita ſcribit de ejuſdem Gelaſii Hiſtoria: *Definit in Conſtantini Magni obitum, quando divino remiſſionis peccatorum lavacro ſuſcepto, vitæ hujus maculas, quas communi mortalium ſorte contraxiſſe oportuerat, una eluit. Baptiſmate vero tinctum refert ab Orthodoxo Sacerdote, ſacroque ritu, non, ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptiſmati obveniſſe moram, quod ipſis Jordanis fluminis aquis tingi vehementer optaſſet.*

Noriſius in Appendice ad Hiſt. Donat. Lect. 8. pag. 657.: *Euſebius Nicomedienſis dato libello ſubſcripſit Synodum Nicænam, & ipſe Baronius in fine an. 329. teſtatur, Euſebium non auſum fuiſſe quidquam contra Synodum Nicænam mutire. Cur igitur Imperator, qui Nicomediæ in morbum incidit, baptiſmum ſibi impertiri negaſſet ab Euſebio, quem rectæ fidei Præſulem putabat, quique illius loci erat Epiſcopus? Præterea Conſtantinum ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum unus Hieronymus ſcribit: alii enim antiqui Scriptores hoc tantum tradidere, Conſtantinum prope Nicomediam ſacro baptiſmate tinctum.*

ac probat Evagrius lib. 3. cap. 41. Chronicon Paſchale ſeu Alexandrinum ad an. 337. Libellus Synodicus cap. 40. (15) Confirmant etiam *ex præcipuis Latinis Doctoribus duo, Hieronymus & Ambroſius. Et Hieronymus quidem plus etiam, quam oportebat, cum ſcripſit in Chronico*: (16) Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arianum dogma declinavit: (17) *neque enim ille dicit vel ab Euſebio baptizatum, vel Arianum dogma amplexum: ſed id conſequens eſſe Hieronymus credidit. Melius Ambroſius in funere Theodoſii ait:* Cui (*Conſtantino*) licet baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem Fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. (18) *Hieronymum porro & Ambroſium habuiſſe Euſebio fidem, nihil ultra indagantes in re tali, etſi difficile creditu ſit, cum ambo diu Romæ habitaverint, & contrarium, ſi verum erat, centies*

(15) Apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 1506. apud Labbeum tom. 2. pag. 88. & apud Fabricium tom. XI. Bibliothecæ Græcæ pag. 202.

(16) In ſua videlicet ad Chronicon Euſebii adjectione ad an. 340. pag. 789. tom. 8. Operum S. Hieronymi.

(17) *Id eſt inclinare viſus eſt in eorum ſententiam, qui* Ὁμοȣσίȣ *vocabulo abſtinendum cenſebant, non ut hæretico, ſed ut novo, ideoque ſcandalum generante apud eos, qui Nicænæ fidei omnino ſe adhærere profitebantur, perſuadebantque Imperatori, ut crederet, eos, qui vocabantur* Ariani, *voce illa ſuppreſſa, ad concordiam redituros. Talium, non vero ipſorum Arianorum tunc particeps erat Euſebius iſte, poſt obitum Conſtantini duntaxat ad Arianorum partes apertius tranſgreſſurus in Conciliabulo Antiocheno anni* 341. *Simili modo alibi Hieronymus ſcripſit propter receptam Valentis & Urſacii confeſſionem in ſpecie Catholicam, quod* ingemiſcens Orbis terrarum miratus eſt, ſe eſſe Arianum. Papebrochius in Commentario Hiſtorico de S. Conſtantino Magno cap. 2. §. 18. apud Bollandum die 21. Maji tom. 5. pag. 17.

(18) Tom. 2. pag. 1209.

ὡς ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθεὶς, καὶ πρὸς τὴν ὀφειλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν, ἄτοπον εἶναι μετ' ἐκεῖνόν τι καινοτομεῖν: *Indecens & injuſtum videtur immutare aliquid eorum, quæ recte ac juſte definita ſunt, atque Nicææ communiter conſtituta coram glorioſiſſimo Conſtantino Patre tuo* (Conſtantium alloquitur) *& Imperatore*... Deinde iterum : *Cum ſciamus etiam Conſtantinum poſt mortem quoque memoria dignum, conſcriptam cum omni diligentia deliberatione que fidem expoſuiſſe, atque adeo abſurdum fore, poſtquam ille migraturus baptizatus eſt, & ad debitam ſibi requiem tranſiit, innovare quidpiam.* (20)

Hos auctores ſecuti ſunt Cardinales Nicolaus de Cuſa (21) Jacobus Perronius, (22) Henricus Noriſius. (23) Et quidem iis non conſentire, idem eſt, atque fundamenta hiſtoriæ convellere. Etenim axioma eſt a Petro Daniele Huetio præpoſitum Demonſtrationi Evangelicæ: *Omnis hiſtoria eſt verax, quæ res geſtas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res geſtæ ſunt.* (24) Hæc diſputant, qui Conſtan-

(20) Papebrochius loco citato apud Bollandum die 21. Maji tom. 5. pag. 15. §. 12. & in Conatu Chronico Hiſtorico ad catalogum Pont. Rom. diſſertat. 12. §. 12.

(21) Lib. 3. De Concordantia Catholica cap. 2. pag. 782.

(22) Apud Tillemontium annot. 65. in Conſtantinum Imperatorem tom. 4. pag. 660.

(23) In Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Lect. 8. Operum tom. 4. pag. 656.

(24) Axioma hoc eſt ſecundum, & confirmatur ab eodem Huetio pag. 14. edit. Pariſienſis an. 1690.

Proſper Cardinalis Lambertinus, nunc Benedictus XIV. Pontifex Maximus, De Serv. Dei beatif. & Beat. canoniz. lib. 3. cap. 10. num. 9.: *Quæres quarto, quinam dicendi ſint Auctores contemporanei. Scacchus* De notis & ſignis Sanctitatis, ſect. 11. cap. 6. pag. 881. *reſpondet, Hiſtoricos, qui vixerunt intra quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, aut Beati,* cu-

ſtantinum cenſent ſub finem vitæ baptiſmum ſuſcepiſſe.

Qui contra diſſerunt, ajunt, Acta S. Silveſtri teſtari, Conſtantinum Romæ baptizatum ab eodem Pontifice, & ſacri lavacri virtute a lepra liberatum: eadem Acta *a multis in Urbe Romana Catholicis legi* ſolita, teſte Gelaſio in Concilio Romano: (25) eademque ab Hadriano I. ad vindicandum cultum imaginum ſacrarum prolata in Epiſtola ad Conſtantinum & Irenem. (26)

Euſebii ſectatores reſpondent, Baronium ipſum ad an. 315. §. 17. affirmare, Acta S. Silveſtri *non in omnibus vera eſſe, quæ hodie exſtant, nimirum deturpata compluribus* (*ut vidimus* §. 12. & 13.) *quæ aliunde irrepſerant, mendaciis*. (27) Cardinalem quoque Cajetanum in Summam D. Thomæ 3. part. quæſt. 69. art. 8. aſſerere, *nullius auctoritate conſtare, Conſtantinum mundatum a lepra in baptiſmo, quia geſta Silveſtri, ex quibus hoc videtur haberi, incertum habent*

cujus Vitam referunt, pro contemporaneis habendos eſſe: Quod ſi Hiſtorici vixerint etiam quinquaginta annis a tempore, quo vixit Dei Servus, de quo agitur, merentur attendi tamquam contemporanei. *Tillemontius, & Baillet auctoritatem non detrahunt Hiſtorico, licet poſt ſæculum ſcribenti. Launojus* in Tractatu de auctoritate negantis argumenti *tempus id protrahit ad annos circiter ducentos. Pater autem Honoratus* in ſæpe allegato tom. 1. De uſu Criticæ, diſſertat. 2. *ingenue admittit, hiſtoricam veritatem per tres utique aut quatuor hominum ætates ſuum tutum poſſe habere progreſſum: at periculis tamen deceptionis & hallucinationis expoſitam eſſe, ſi alicujus Scriptoris intra ſæculum ſcribentis præſidio ſit deſtituta.*

(25) Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1263.

(26) Apud eundem Lab. tom. 7. Conc. pag. 102.

(27) Baronium fere ſecutus mendacia illa colligit Labbeus tom. 1. Conc. pag. 1491. aliaque addit Janningus in Apologia Præliminari pro Actis Sanctorum menſis Junii tom. 1. pag. XXI. §. 60. ubi pag. XVI. & ſeqq. multa dicit pro Baptiſmo Conſtantini apud Nicomediam.

bent auctorem, *ut patet in cap.* Sancta Romana *diſt.* 15. Cajetano accedere Sotum in 4. Sent. diſt. 6, quæſt. 1. extremo art. 6. Itaque *lepræ Conſtantinianæ teſtem gravem & probatum ex veteribus neminem eſſe*; (28) eamque ideo etiam refelli, quod Cyrillus Alexandrinus lib. 7. contra Julianum objicientem Chriſtianis, quod eorum baptiſma lepræ morbum non depelleret, ſtatim reſpondiſſet, Conſtantinum deceſſorem ejus & ſocerum lepra laborantem accepiſſe a baptiſmate ſalutem priſtinam. Quid enim magis obvium, quid commodius, & ad Apoſtatam refellendum efficacius? Nihil tamen hujuſmodi reſpondiſſe S. Cyrillum, contentum dixiſſe, baptiſmum animi, non corporis morbis curandis a Chriſto Domino inſtitutum eſſe.

Gelaſium vero, qui Acta illa non recenſet inter Apocrypha, imo dicit *a multis Catholicis legi*, hoc indicare ſolum, nihil in eis reperiri alienum ab Fide Catholica, nullumque ab eorum lectione periculum Fidelibus metuendum. Inſuper poſſe ambigi, num Acta S. Silveſtri, quæ ſuperſunt, ea-

(28) Melchior Canus lib. 11. cap. 5. reſpon. ad 14. Gotfridus Viterbienſis, qui ſæculo XII. floruit, in Chron. part. 16. pag. 266. tom. 2. Scriptor. Rer. Germ. Piſtorii: *Quod autem de lepra ejus legitur, videtur apocryphum, quia in nullis libris authenticis, neque in Chronicis reperitur.*

Nicolaus Cardinalis de Cuſa lib. 3. De Concordantia Catholica cap. 2. pag. 782.: *Ego legi in* Vincentio Hiſtoriarum 24. lib. in fine, *ſecundum S. Hieronymum*, Conſtantinum *uxorem* Fauſtam, *& filium* Criſpum *crudeliter occidiſſe*, *& in extremo vitæ ab* Euſebio *Nicomediæ Epiſcopo baptizatum*, *in Arianam hæreſim declinaſſe*. A quo tempore, *inquit Hieronymus*, Eccleſiarum rapinæ & totius Orbis diſcordia ſecuta eſt uſque in præſens tempus. *Iſta libro* de Actibus Silveſtri, *quem* Vincentius *dicit a quodam*, *cujus nomen ignorat*, *e Græco translatum*, *ut eodem libro* cap. 9. *habetur*, *manifeſte contradicunt*. *Quis non crederet potius* Hieronymo *approbato*, *quam ignoti auctoris ſcripturis*, *quæ apocryphæ dicuntur*, *quando auctor ignoratur*?

eadem ſint, atque illa, quæ ab Gelaſio non improbantur. (29)

Hadrianum pariter in citata epiſtola eiſdem Actis uſum eſſe, quod ob qualemcumque antiquitatem conferre aliquid viderentur ad aſſerendam venerationem ſacrarum imaginum. Inde colligi, vera eſſe Catholicæ Fidei dogmata, quæ in Actis illis continentur; non vera item & certa eſſe geſta omnia, quæ ibidem exponuntur. Recitatam quidem in Concilio Oecumenico VII. Hadriani epiſtolam, at non eam inde vim habuiſſe, ut certam in omnibus fidem facere debeat. Nec enim hiſtorias, quæ in Conciliis leguntur, omnes etiam pro veris approbari. (30)

Neque Actis S. Silveſtri fidem conciliare Acta Liberii, in quibus *expreſſum habetur ex libro quodam, qui ibi citatur, Silveſtri, Conſtantinum a lepræ morbo in baptiſmo Crucis ſigno liberatum.* (31) Acta enim illa ex eadem officina; unde Acta Silveſtri, prodiiſſe, & multis *obſita mendis* dici a Baronio ad an. 324. §. 42. Et jure quidem ac merito. Qui enim id veriſimile eſſe, quod eſt in iiſdem Actis Liberii, nimirum ejus ætate miraculum Conſtantini per baptiſmum a lepra ſanati, ſi verum fuit, in Urbis & Orbis totius conſpectu patratum, ex hominum memoria ita deletum fuiſſe, ut Conſtantius ejus filius, ut eſt in eiſdem Actis, *indignaretur, quod Liberius illud ſparſiſſet in vulgus, ob eamque cauſſam gravia in eum comminaretur?* (32)

Neutris porro Actis pondus ullum addere Concilium Romanum, quod cap. 1. apud Lab. tom. 1. Conc.

(29) Baronius in Martyrologium Romanum 31. Decemb. *Gelaſio teſte*, cap. *Sancta Romana* 3. diſtinct. 15. *Acta Silveſtri incerto auctore ſunt ſcripta.*

(30) Vide Canum lib. 3. de locis cap. 5. quæſt. 4.

(31) Baronius ad an. 324. §. 42.

(32) Baronius ibidem.

1. Conc. pag. 1545. & 1546. hæc habet : *Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Conſtantinus baptizatus a Silveſtro Epiſcopo Urbis Romæ & mundatus fuiſſet a lepra*. Subdititium enim eſſe. Siquidem celebratum dici III. Kal. Julii anno 324. Conſtantino jam baptizato, ut autumant, præſente, quo anno toto, & menſibus aliquot anni ſuperioris Conſtantinus bello Liciniano occupatus in Oriente verſatus eſt. Præterea Photium ab hoc Concilio damnatum legi in ejuſdem Concilii præfatione, cum multo poſt Photius natus fuerit, nec ante Concilium Sirmienſe ejus hæreſis damnata. (33)

Falſis Silveſtri, Liberii, & Concilii Romani Actis deceptum Nicolaum I. epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem vocaſſe Silveſtrum *Magni Conſtantini baptizatorem*. (34) Ex iiſdem lacunis hauſiſſe Gregorium Turonenſem lib. 2. Hiſt. Franc. cap. 31., ubi de baptiſmo Clodovei loquitur ad hunc modum : *Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum deleturus lepræ veteris morbum* : prorſus ut nihil mirum ſit, Hadrianum I. Hincmarum, alioſque tum Græcos, tum Latinos de lepra Conſtantini veluti de re certa narraviſſe.

Euſebium ſecum non pugnare, nec ullo modo indicare, Conſtantinum multo ante mortem baptizatum fuiſſe, cum ſcribit lib. 4. De Vita Conſtantini cap. 22. : *Ipſe vero utpote ſacrorum myſteriorum particeps* : & cap. 57. ſubjungit : *Aderat jam magna Paſchalis feſti ſolemnitas, in qua Imperator vota Deo perſolvens una cum ceteris pernoctavit*. Ab Euſebio enim Conſtantinum non ideo vocari *ſacrorum myſteriorum participem*, quod bapti-

(33) Multa diſputant huic ſententiæ convenientia Cardinalis Noriſius in Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Lect. 8. pag. 659. tom. 4. & Pagius ad an. 324. §. 17. & 18.

(34) Apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 305.

ptizatus eſſet, & ad communionem Sacramentorum cum Fidelibus admiſſus, ſed quod myſteriorum, quæ Chriſtus Salvator operatus eſt ad ſalutem generis humani, doctrina inſtitutus eſſet; & fide ſua jam particeps. Deinde Conſtantinum non dici ab Euſebio *participem* abſolute, ut vertit Valeſius, ſed οἷά τινα μέτοχον ἱερῶν ὀργίων: *velut aliquem participem ſacrorum myſteriorum*. Ab eodem Euſebio ſubjici quidem; Conſtantinum in Feſto Paſchæ vota Deo perſolviſſe, & pernoctaſſe cum ceteris; at non exprimi, utrum in Eccleſia, an in Palatio, ubi *quotidie ſtatis horis ſe ſe includens, remotis arbitris ſolus cum ſolo colloquebatur Deo, & in genua provolutus ea, quibus opus haberet, ſupplici prece poſtulabat*. (35) Certe ab eodem Euſebio lib. 4. De Vita Conſtantini cap. 62. Conſtantinum ea loquentem induci; quæ ipſum oſtendant, numquam in Eccleſia una cum populo Dei preces ad Deum fudiſſe. Iſta enim eſſe verba ejus: *Si Deus vitæ, mortiſque arbiter hic me diutius vitam agere voluerit; idque ſemel decretum eſt, ut in poſterum una cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe, ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ*. Ad hæc *in quatuor Euſebii libris, quibus Conſtantini pietas & religio celebratur, nuſquam legi, Conſtantinum in Eccleſia cum Catechumenis* (nedum cum Fidelibus) *preces feciſſe, nec Sacramentum Catechumenorum* (nedum Fidelium) *percepiſſe. Cumque de Helena Auguſta matre Imperatoris Conſtantini id diſerte affirmet Euſebius; eam in Eccleſia cum reliquis mulieribus conſtitiſſe, numquam tamen de Conſtantino idem ab illo dictum inveniri. Quod ſi objiciatur, Conſtantinum Helenopoli in Marty-*

(35) Euſebius lib. 4. De Vita Conſtantini cap. 22. pag. 442.

tyrum templo diverſatum fuiſſe, & preces ad Deum fudiſſe: primum reſpondendum hæc in noſtris Codicibus non legi: deinde Eccleſias ingredi licuiſſe etiam Gentilibus, excepto Miſſarum tempore: quanto magis id licuerit Imperatori, qui ſe Chriſtianum profitebatur? (36)

Nicephorum lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 35. ſcribentem: *Eccleſia a Silveſtro eum Romæ baptizatum eſſe certo prædicat*, nihil conficere. Majorem enim quam Nicephoro fidem adhibendam eſſe Euſebio, Hieronymo, Ambroſio, aliiſque, qui ætate ſunt & auctoritate multo graviores. Et Nicephorum hoc loco fortaſſe intelligere Acta S. Silveſtri, quæ, ut dictum eſt, parum habent auctoritatis. Equidem legi in Breviario Romano in Vita S. Silveſtri, die poſtremo Decembris, Conſtantinum ab eodem S. Silveſtro baptizatum, & *baptiſmo ſanatum* a lepra; ſed Vitam illam quoque ex iiſdem Actis deſcriptam eſſe, & Cardinalem Vincentium Mariam Urſinum, poſtea Benedictum XIII., in Diſſertat. De reliquiis S. Bartholomæi art. 7. docere, *Maximæ quidem auctoritatis eſſe Breviarium Romanum in iis, quæ per ſeſe ad cultum Eccleſiaſticum attinent, minoris tamen ponderis eſſe in privatis factis, aut geſtis, quæ in Vita Sanctorum ex occaſione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non poſſit, ubi præſertim antiquiora monumenta adverſantur. Nec enim Eccleſia ipſa, quæ iis utitur, inconcuſſæ infallibiliſque veritatis judicat quæcumque Breviariis ſuis ſunt inſerta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occaſione ea mutaverit correxeritque.* (37)

Num

(36) Valeſius annotat. in cap. 61. ejuſdem libri 4. De Vita Conſtanti pag. 226.

(37) Apud Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 13. num. 8. pag. 80. & 82.

Idem

Num quis ita demum contradicat? *Numquamne antea, ex quo Chriſtianus eſſe cœpit, poſt viginti ſex annos Conſtantinus in morbum incidit, ut expiandi per baptiſmum peccata oportuerit eum iniiſſe conſilium? Vel quonam modo potuit intereſſe, & ſedem, ut ipſe ait Euſebius* lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 10., *cum Epiſcopis in ſacroſancto Niceno Concilio habuiſſe, ſi inter Catechumenos in Eccleſia tantummodo militabat? Laturi ne id eſſent beatiſſimi illi Catholicæ profeſſionis Antiſtites, quorum ingens erat numerus egregia ſanctitate, vigore diſciplinæ & eruditione præſtantium?* (38)

Quoad primum reſpondent, *Etſi in morbum forſan incidiſſet antea Conſtantinus, tamen quia lethalem non eſſe morbum intelligebat, baptiſmum in aliud tempus diſtuliſſe, quem devicto Maxentio in voto ſuſceperat.* (39)

Quoad ſecundum: *Nonne ſcribere Baronium* ad an. 314. §. 53., Conſtantinum eodem *anno* 214. *nempe decimo ante baptiſmum* (40) *interfuiſſe Synodo Arelatenſi ex omnium provinciarum Occidentis Epi-*

Idem Eminentiſſimus Auctor, qui nunc Chriſtianam rem Benedicti XIV. nomine tanta cum laude gerit, eodem loco proferens ſententias *plurimorum, qui de Hiſtoriis relatis in nonnullis Lectionibus ſecundi Nocturni Breviarii Romani dubitare viſi ſunt*, ita concludit: *Conſimilia demum habentur* in Confutatione diſſertationis Michaelis Anaſtaſii, *mira, qua pollet, eruditione compoſita a Domino Advocato Nicoli*, & Placentiæ typis impreſſa anno 1733. pag. 21. & ſequentibus, *ubi inter cetera notat, impune inter Eruditos adhuc diſputari, utrum Conſtantinus Imperator fuerit Romæ baptizatus a S. Silveſtro, ut habetur in Lectionibus Breviarii Romani, an in exitu vitæ ſuæ Baptiſmum receperit in quodam ſuburbio Civitatis Nicomedienſis* anno 340. *& ideo quatuor annis poſt obitum S. Silveſtri, ut ſcriptum reliquit Euſebius Cæſarienſis teſtis oculatus*, de Vita Conſtantini lib. 4. cap. 61. & 62.

(38) Baronius ad an. 324. §. 44. & 49.

(39) Natalis Alexander Diſſertat. 24. in Hiſt. Eccl. ſæculi IV. tom. 4. pag. 306.

(40) Secundum Baronii ſententiam.

Epiſcopis conflatæ? Quare ſi id minime religioni offi-cere Epiſcopi Occidentales credidiſſent, nec Orientales eo ſcrupulo tangi debuiſſe. Neque enim ſedere Imperatorem velut ſacrorum dogmatum magiſtrum, ſed ut auditorem; & decretorum per ſacras (41) *executorem*. (42) Accedere, quod in Concilium Nicænum admiſſi ſunt etiam *complures laici Philoſophi; & Dialectici*, teſte Socrate l. 1. c. 8. Rufino l. 1. Hiſt. Eccl. c. 3. & Gelaſio Cyziceno l. 2. cap. 13. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 175. Cur igitur non admiſſum Conſtantinum, qui *Synodum convocaverat, honorificis litteris Epiſcopos undique invitans, ut quantocius adeſſent? Qui aliis quidem curſus publici copiam præbuerat; aliis verò jumentorum uſum abunde ſubminiſtraverat. Quin etiam ſedem huic Synodo convenientiſſimam aſſignaverat Urbem Nicæam in Bithynia ſitam?* (43)

(41) Sacræ dicuntur Epiſtolæ, ſeu diplomata Principis.

(42) Cardinalis Noriſius in Appendice ad Hiſtoriam Donatiſtarum Lect. 8. pag. 659. tom. 4.

(43) Euſebius lib. 3. De Vita Conſtantini cap. 6. pag. 400. Et extremo cap. 10.: *Poſtquam Imperator ad caput ſubſelliorum venit, primum medius ſtetit. Poſitaque ante eum humili ſella ex auro fabrefacta, non prius aſſedit, quam Epiſcopi ei innuiſſent.*

Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. cap. 3. art. 4. §. 2. tom. 4. pag. 31.: *Cum Ariani in ipſo Concilii ingreſſu libellos ipſi* (Conſtantino) *adverſus Orthodoxos Antiſtites porrexiſſent, quo eis infenſum redderent Imperatorem, & ad expugnandam Catholicam Fidem faciliorem aditum ſibi aperirent, indicto die cunctos libellos comburi juſſit, hæc cedro digna proferens*: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos a vobis recte judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium; & veſtra jurgia, quæcumque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati eſtis Dii: & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in me-

M dio

dio autem Deos dijudicat. *Refert iſtud Rufinus lib. 4. Hiſtoriæ cap. 1.*

Addit Theodoretus lib. 1. cap. 11. Conſtantinum jure aſſeruiſſe, ſe ne verbum quidem Libellorum legiſſe: Quod Sacerdotum vitia non ſint populo aperienda, ne cauſa offendiculi inde arrepta, licenter peccare aggrediatur.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

De Hiſtoria Paphnutii.

Hiſtoriam Paphnutii, de qua nunc diſputatio inſtituitur, ita narrat Socrates lib. 1. cap. 11. *Viſum erat Epiſcopis*, qui Concilio Nicæno OEcumenico I. præſentes aderant, *novam legem in Eccleſiam inducere, ut quicumque in ſacrum Ordinem allecti eſſent, id eſt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab uxorum, quas, cum laici eſſent, matrimonii jure ſibi ſociaverant, concubitu abſtinerent. Cumque hac re in medium propoſita, ſingulorum ſententiæ rogarentur, ſurgens in medio Epiſcoporum conſeſſu Paphnutius vehementer vociferatus eſt, non eſſe imponendum Clericis & Sacerdotibus grave hoc jugum: honorabiles nuptias, & torum immaculatum eſſe dicens: ne ex nimia ſeveritate damnum potius inferrent Eccleſiæ. Neque enim omnes ferre poſſe tam diſtrictæ continentiæ diſciplinam; ac forſitan inde eventurum eſſe, ut cujuſque uxoris caſtitas minime cuſtodiretur. Caſtitatem autem vocabat congreſſum viri cum uxore legitima. Satis eſſe, ut qui in Clerum fuiſſent adſcripti, juxta veterem Eccleſiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent: non tamen quemquam ſejungendum eſſe ab ea, quam antehac, tunc cum eſſet laicus, legitime duxiſſet. Atque hæc dixit, ipſe non modo conjugii, ſed muliebris congreſſus penitus expers: quippe qui a puero in monaſterio educatus fuiſſet, & ob ſingularem caſtimoniam ab omnibus celebratus. Ceterum univerſus Sacerdotum cœtus Paphnutii ſermonibus aſſenſus eſt.*

Eamdem hiſtoriam *a Socrate mutuatus eſt* (1) So-

(1) Valeſius annotat. in Socratis Hiſtoriam Eccleſiaſticam lib. 1. cap. 11. pag. 6.

Sozomenus, & Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, quibus memoratam a Paphnutio legem imponere volebat Nicæna Synodus, addidit etiam Subdiaconos. (2) Quod idem poſtea fecerunt Gelaſius Cyzicenus lib. 2. cap. 32. (3) Caſſiodorus Hiſtoriæ Tripartitæ lib. 2. cap. 14. Suidas in Lexico, verbo *Paphnutius* pag. 63. tom. 3. & Nicephorus Calliſtus lib. 8. cap. 19. Socratem & Sozomenum deſcribentes. (4)

Num Socrates & Sozomenus vera narraverint, in

(2) Hiſtoriæ Eccl. lib. 1. cap. 23. Ejus verba ſunt. *Ceterum Synodus eorum, qui in Eccleſiis verſantur, mores corrigere ſtudens, leges quaſdam conſtituit, quæ vulgo* Canones *appellantur. Cumque hac de re inter ſe deliberarent, aliis quidem placebat legem ferri, ut Epiſcopi & Presbyteri, Diaconi item, ac Subdiaconi non cubarent cum uxoribus, quas, priuſquam ſacrarentur, duxiſſent. Verum Paphnutius Confeſſor ſurgens contradixit: nuptiaſque honorabiles vocans, & congreſſum viri cum uxore ſua caſtitatem eſſe dicens, conſilium dedit Synodo, ne hujuſmodi legem ferret. Rem enim eſſe toleratu difficilem: ac fortaſſe occaſionem incontinentiæ tum ipſis, tum uxoribus ipſorum inde ſubminiſtrandam. Porro autem veterem Eccleſiæ traditionem hanc eſſe, ut qui cælibes ad ſacrum Ordinem promoti eſſent, uxorem poſthac non ducerent, conjugati vero a ſuis uxoribus minime ſepararentur. Et hæc quidem ſuaſit Paphnutius, tametſi expers conjugii. Synodus vero conſilium ejus probavit, nec ullam ea de re legem tulit, ſed in cujuſque arbitrio, non autem ex neceſſitate id eſſe voluit.*

Errant Socrates & Sozomenus exiſtimantes, *hanc Traditionem ex Paphnutii interceſſione confirmatam a Synodo Nicæna. Certum eſt Sanctorum Epiphanii, & Hieronymi tempore necdum fuiſſe iſtam traditionem. Atque ita nequit eſſe Canon Apoſtolicus:* Chriſtianus Lupus in Scholio ad Can. 13. Concilii Trullani pag. 70. tom. 3. quamquam & hic, & in Scholio ad Can 3. Concilii Nicæni pag. 237. tom. 1. contendat, perperam & injuria *Pathnutii interceſſionem a quibuſdam abjici ut ſuppoſititiam, & Græculum figmentum.*

(3) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 246. Socratis, Sozomeni, & Gelaſii Cyziceni *narratio* apud Petrum de Marca lib. 1. de Concordia cap. 8. §. 4. *nulla ſuſpicione laborat, licet viris celeberrimis aliud videatur.*

(4) Vide inferius poſitam annotationem 31.

in diſceptationem vocatur. Contra enim, proque dicta ſunt & ſcripta multa. Nos iis magis accedimus, qui hiſtoriam illam ſubleſtæ fidei eſſe confirmant. *Namque in Quiniſextæ Synodi Canone* 13. *quamquam plura afferuntur ad confirmationem Regulæ, quam ibi ſtatuunt de non prohibendo uſu conjugii Clericis Majoribus ante Ordinationem ſuſcepti,* (5) *iſtius tamen hiſtoriæ nulla fit mentio, quæ ceteroquin plurimum eam ſanctionem firmaret, ac communiret.* (6) *Nec Rufinus, ex quo priora de Paphnutio hauſit Socrates, ullam hujus rei mentionem facit,* (7) *nec ullus alius ex veteribus ante Socratem, nec ullum veſtigium in Actis Concilii Nicæni exſtat.* (8) Imo can. 3. *Vetuit omnino Magna Synodus, ne liceat Epiſcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum, qui ſunt in Clero* συνείσακτον *cointroductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel ſororem, vel amitam, vel eas ſolas perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* (9) Quo in canone *cum expreſſe habeantur feminæ, quibuſcum permittuntur Clerici habitare, nec de uxore ulla prorſus mentio facta ſit, plane ipſa eſſe exploſa conſpicitur: quod enim ea in re dubitatum*

 eſſet,

(5) Apud Labbeum tom. 6. Conciliorum pag. 1148. & apud Harduinum tom. 3. pag. 1666.

(6) Auctor annotationum ad Gulielmi Eſtii commentaria in quatuor Libros Sententiarum lib. 4. diſt. 37. §. 6. pag. 148. tom. 2. part. 2.

(7) Valeſius annotat. in cit. cap. 11. lib. 1. Socratis pag. 6.

(8) Bellarminus lib. 1. De Clericis extremo cap. 20. pag. 146. tom. 2.

(9) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 30. & apud Harduinum tom. 1. pag. 323.

Dionyſius Exiguus apud eumdem Labbeum pag. 40. *vertit* mulierem ſubintroductam, *quaſi non* συνείσακτον, *ſed* παρείσακτον *ſcriptum fuerit in eodem Canone, quo poſtremo vocabulo uſus eſt Apoſtolus* ad Gal. II. 4. Muratorius in Anecdotis Græcis Diſquiſit. 1. De Syniſactis & Agapetis pag. 224.

eſſet, *plane uxoris nomen ante alias fuerat exprimendum*, *quod ſilentio omnino cenſeretur excluſum*. (10) Præterea quomodo Paphnutius *novam legem* vocaſſet, quam duodecim ante annis ſanxerat Concilium Eliberitanum, (11) quamque multo ante Origenes ex verbis Apoſtoli deduxerat? (12) *Vel quomodo* Nicænis Patribus *adverſari* idem *præſumſiſſet*, *cum conſtaret*, *nec ipſos Arianos ordinare conſueviſſe*, *quos noviſſent conjugio obligatos*? *quod Epiphanius agens adverſus Ebionæos* (13) *in Joſepho demonſtrat*. (14)

Ac-

(10) Baronius ad an. 325. §. 149.

Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19. pag. 143. tom. 2. *Nulla uxoris mentio fit*, *quæ tamen primo loco poni debuit*, *ſi cum ea habitare liceret*. *Item cur prohibetur Clericis cohabitatio mulierum*, *ſi uxorati eſſe poſſunt*? *Nonne uxores ancillas habere poſſunt in eadem domo*?

(11) Can. 33. apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 974. & apud Harduinum pag. 253. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis*, *Presbyteris*, *& Diaconibus*, *vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio*, *abſtinere ſe a conjugibus ſuis*, *& non generare filios*: *quicumque vero fecerit*, *ab honore Clericatus exterminetur*.

(12) In Numeros Hom. 23. §. 3. pag. 358. tom. 2. *Dicit Apoſtolus* (1. Cor. VII. 5.) *iis*, *qui in conjugiis ſunt*: Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis Orationi, & iterum in idipſum ſitis: *certum eſt*, *quia impeditur ſacrificium indeſinens iis*, *qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt*. *Unde videtur mihi*, *quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens*, *qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati*.

(13) Epiphanius Hær. 30. §. 5. pag. 129.

(14) Baronius ad an. 58. §. 21., ubi ſubjicit e veſtigio: *Certe ſi velimus* Socratem, *&* Sozomenum *non eſſe mentitos*, *de illis tantummodo totam illam agitatam eſſe controverſiam*, *dicendum eſt*, *qui cum ordinarentur inviti*, *conteſtati eſſent*, *non poſſe ſe continere*, *quibus ſic nihilominus ordinatis ſi Ancyranum Concilium haud diu ante proſpexerat*, *ut concederet eis ducere poſſe uxorem*: *quanto æquius indulſiſſe viſa eſt Nicæna Synodus*, *ut quam ante ſuſceptos Ordines habuiſſent*, *ſecum retinere poſſent*?

Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib.

Accedit, quod Euſebius, qui Nicæno Concilio interfuit, lib. 1. Demonſtrationis Evangelicæ extremo cap. 9. nullam faciens litteram de Hiſtoria Paphnutii affirmat, *eos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio, cultuque occupati, continere deinde ſe ipſos a commercio uxoris*. S. Epiphanius vero, qui anno tertio duntaxat & quadrageſimo poſt Nicænum Concilium vixit, hær. 59. §. 4. *Sacroſancta Dei Eccleſia*, inquit, *eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi ſit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſe ſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici canones accurate ſervantur*. Quia vero *nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi liberos ſu-*

lib. 2. cap. 40. §. 15. pag. 421. *Dicam* Socratis, *&* Sozomeni, *quibus auctoribus hæc circumferuntur, non tantum eſſe auctoritatis pondus, ut in re tanta, ſi quid ſoli dixerint, fidem extorqueant. Vera res fortaſſe fuerit, quæ refertur, & in eo tantum aberraverit* Socrates, *quod adjecit de ſuo. Potuit enim in Eccleſia Orientali ea fuiſſe tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut ſapientiſſimis Præſulibus ſatius viſum fuerit diſſimulare immedicabile malum, quam reſecando aſperare. Idem de Conciliis Ancyrano, Neocæſarienſi, Gangrenſi dixeris, nihil adverſus peſtem hanc ſtatuiſſe, quod curationis ſpem abjeciſſent omnem. Ubi vero* Socrates *dicit*, antiqua Eccleſiæ traditione *ſuperioribus Clericis ſolum prohiberi, ne matrimonium ineant, non autem initi uſum interdici: jam ad* Euſebium, *ad* Epiphanium, *ad* Hieronymum *appello, viros veterum conſuetudinum* Socrate *longe peritiores: Hoc igitur* Socrates *loquentem inducit* Paphnutium, *quod in ore numquam* Paphnutius *habuit. Potuit tunc cum Concilio* Paphnutius, *& ſequentibus ſæculis potuit cum eo Eccleſia Græca tota judicare, tolerandum id malum potius, quam aut Eccleſiam ſchiſmatis, aut ejuſmodi Clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris. Illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuiſſe, & degenerem conſuetudinem, qua priſci violarentur Canones, & Eccleſiæ purior atque ſancita ab Apoſtolis diſciplina turparetur.*

ſcipiebant, reſpondet, *non illud ex Canonis auctoritate fieri: ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere & connivere ſolet, ob nimiam populi multitudinem: cum ſcilicet qui ad eas ſe functiones applicent, non facile reperiuntur.* (15) *Quod ad ipſam quidem Eccleſiam attinet, ea, utpote a Sancto Spiritu bene ordinata atque conſtituta, quod decentius eſt omnibus in rebus conſiderans, ei rei ſtudere potiſſimum inſtituit, ut quæ divino numini miniſteria præſtantur, nulla re, quoad fieri poteſt, diſtrahantur.* Itane ſcripſiſſet Epiphanius, ſi ex indulgentia Nicæni Concilii, cujus recens adhuc memoria erat, Clericis licuiſſet matrimonio ante ſuſceptos ſacros Ordines contracto uti ad arbitrium?

Eodem, quo Epiphanius, ſæculo claruit S. Hieronymus, cujus ætate cum *ſupereſſent adhuc homines, qui Nicænæ Synodo interfuerant*, (16) quid in ea actum fuerit, diſcere atque cognoſcere facile potuit. Hic autem extrema epiſtola 48. ad *Tom. I. pag. 231.* Pammachium ſcribit in hunc modum: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudici.* *Tom. II. pag. 291.* Idem lib. 1. adverſus Jovinianum §. 34. *Certe confiteris*, ait, *non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioqui, ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* (17) Hoc nec diceret Hieronymus, nec

(15) Eodem ſenſu dictum eſt ab S. Hieronymo lib. 1. adverſus Jovinianum §. 34. pag. 291. tom. 2. *Eliguntur mariti in Sacerdotem, non nego: quia non ſunt tanti virgines, quanti neceſſarii ſunt Sacerdotes.*

(16) Idem S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos §. 20. pag. 193. tom. 2.

(17) Idem eodem loco ſubjicit: *Si Laicus & quicumque Fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali, Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt Sacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio.*

nec Jovinianus confiteretur, ſi aliquando Nicæna Synodus conceſſiſſet Majoribus Clericis, ut conjugio vel ad quoddam tempus uterentur. Neque Hieronymus loquitur tantum de conſuetudine Eccleſiæ Occidentalis. Namque ſub initium libri contra Vigilantium. *Quid facient*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Eamdem fuiſſe conſtitutionem Eccleſiæ Africanæ ſatis indicat Codex Canonum ejuſdem Eccleſiæ can. 3. & 4. (18) & Concilium Carthaginienſe II. can. 2., ubi: *Omnibus Epiſcopis placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtinerent, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, ipſi quoque cuſtodirent.* (19) *Quapropter cujus ſint fidei, quæ a Socrate, & Sozomeno, qui longe poſt Concilium Nicænum vixere, ſunt ſcripta, ex dictis quivis facile judicabit.* (20) Denique Socratis hac in re fides etiam ex eo imminuitur, quod tradit Photius, eum *in dogmatibus valde accuratum* non fuiſſe, (21) Sozomeni autem ex eo, quod ejus *Hiſtoriam*, ut ait S. Gregorius, *Sedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa* mentitur. (22) Pag. 389.

Hæc ſcripſimus ſecuti Baronium & Bellarminum. (23) Nunc ponamus ea, quæ Natalis Alexan-

(18) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1052. & apud Harduinum tom. I. pag. 867.

(19) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1159.

(20) Baronius ad an. 58. §. 21.

(21) In Bibliotheca Cod. 28. pag. 18.

(22) Lib. 7. epiſt. 34. ad Eulogium Epiſcopum pag. 883. tom. 2.

(23) Baronium ad an. 58. §. 21. & ad an. 325. §. 148. Bellarminum lib. de Conciliis cap. 18. & lib. 1. de Clericis cap. 20. pag. 18. & 146. tom. 2.

xander, contra eminentiſſimos ſcriptores dicit; nitamurque reſpondere ad ſingula. Is igitur Diſſertat. 19. in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. Propoſitione I. ſcribit adverſus utrumque hoc modo: *Verum illuſtriſſimorum & doctiſſimorum hominum exceptiones adverſus teſtimonium Socratis & Sozomeni nullius ſunt ponderis. Nam quod Socratem ſpectat; licet ille Novatianus fuerit, ſive faverit Novatianis, non tamen in eo verſatur errore, quem ipſis S. Epiphanius affingit; ut Laicos & Clericos in iis, quæ matrimonium ſpectant, pares faciat; ſiquidem Laicos nondum matrimonii vinculis adſtrictos uxorem ducere poſſe non negat: majores autem Clericos; qui uxorem ante ſacram Ordinationem non duxerunt, negat, matrimonium jure inire poſſe. Nec cælibatum Socrates evertit ſacrorum Miniſtrorum; illam Paphnutii hiſtoriam referendo: cum perpetuæ continentiæ lege teneri eos aſſerat, qui cælibes aut vidui ad ſacros Ordines promoti ſunt. Nec vero conſequens eſt, Socratem in Paphnutii hiſtoria mentiri; quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ leges peccavit: alioqui nihil certi in hiſtoria habebimus; quia nullus pæne hiſtoricus eſt, cui error aliquis exprobrari non poſſit.*

Tom. IV. pag. 255.

Quod etiam contra Sozomenum ex S. Gregorio objiciunt, fidem ejus in omnibus non elevat, ſed in iis tantum, quæ Eudoxii *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ invaſoris, &* Theodori Mopſueſteni *res geſtas ſpectant; ut conſtabit legenti integrum* S. Gregorii *locum*. In Hiſtoria Sozomeni, *inquit*; de quodam Eudoxio, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum arripuiſſe dicitur; aliqua narrantur: ſed ipſam quoque Hiſtoriam Sedes Apoſtolica recipere recuſat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiæ nimium laudat, atque uſque ad diem obitus ſui magnum doctorem Ec-

cle-

cleſiæ fuiſſe perhibet . (24) Reſtat ergo , ut ſi quis illam hiſtoriam recipit , Synodo , quæ piæ memoriæ Juſtiniani temporibus de Tribus Capitulis (25) facta eſt , contradicat : qui vero contradicere non valet, illam hiſtoriam neceſſe eſt, ut repellat. *Sanctiſſimi ergo Pontificis & Doctoris cenſura Hiſtoriam Sozomeni univerſim non perſtringit*, *adeoque veritati hiſtoriæ* Paphnutii *non incommodat. Quin imo cum Gregorius Magnus Sozomeni fidem auctoritatemque elevaſſet ex eo , quod* Theodoro Mopſueſteno *faverit, retuliſſet profecto, quod errore tanto de Paphnutio Confeſſore , & Concilio Nicæno impudenter ille confinxerat , aut a Socrate confictum retulerat , ſi hiſtoriam illam figmenti & fabulæ loco habuiſſet, cum tanti videri poſſit ad fidem Sozomeno derogandam.*

Quod

(24) Baronius ad an. 427. §. 29. *Hæc cum dicat* S. Gregorius *de* Sozomeno , *quæ apud* Sozomenum *hodie minime leguntur , putavit aliquis nimium ſibi ſapiens* S. Gregorium *errore lapſum, & quod eſſet apud* Theodoretum, *dixiſſe apud* Sozomenum *legi . Sed qui eum erroris arguit , erravit ipſe, cum non conſiderarit , multa deſiderari in hiſtoria* Sozomeni, *quæ exciderunt, & illa ipſa tempora, in quibus de* Theodoro Mopſueſteno *tractandi ſe ingerebat occaſio . Cum enim in ſuæ Hiſtoriæ præfatione ipſe teſtetur, ſe eam producere uſque ad decimum ſeptimum Conſulatum* Theodoſii, *viginti prope annorum res geſtæ in ea deſiderari certum eſt . Sed adverſus hominem audacter nimis carpentem* S. Gregorium *in Notis ad Romanum Martyrologium* die 23. Decembris *pluribus egimus.*

Baronio conſentit Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis cap. 20. pag. 137. Miræus in ſcholiis ad Sigebertum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 11. Gregorii cenſuram de Sozomeno agnoſcit etiam Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

Joannes Albertus Fabricius lib. 5. Bibliothecæ Græcæ cap. 4. pag. 122. vol. *6.* putat, *Theodoretum pro Sozomeno dicere* Gregorium *voluiſſe, cum in Theodorito iſta* (laudes nimirum Theodori Mopſueſteni) *legantur* V. 40. In Fabricii ſententia eſt Melchior Canus de Humanæ Hiſtoriæ auctoritate lib. 11. cap. poſtremo.

(25) Vide annotat. 3. & 11. ad Vigilium Pontif. LXI.

Quod pertinet ad Socratem, nec Baronius, nec Bellarminus Hiſtoriam Paphnutii expendentes, eum ideo rejiciunt, quod fuerit Novatianus, ſed ideo ſolum, quod longe poſt Concilium Nicænum natus ea ſcripſerit, quæ ſuperiorum ſcriptorum teſtimoniis minus conſentanea eſſe exiſtimantur. Num vero erraverit Epiphanius in Hiſtoria Novatianorum, in præſens non quæritur, illud certo conſtat non ſolum ex Epiphanio, ſed etiam ex Theodoreto, & Auguſtino, Novatianos damnaſſe ſecundas nuptias. *Nam ſi quis*, ait Epiphanius Hær. 59. §. 3. & 4., *poſt baptiſmum ſecundam uxorem duxerit, ab illis non amplius admittitur... Siquidem quæ Sacerdotio propter ſingularem functionis illius dignitatem præcipue tributa ſunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant.*
I. ad Tim. III. 2. *Illud quidem audierant*: Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, unius uxoris virum, continentem: *ſimiliter & Diaconum & Presbyterum:* (26) quod an ſit Laicos & Clericos in iis, quæ matrimonium ſpectant, pares facere, aliorum judicio relinquimus.

Quod ſi Socrates Paphnutii hiſtoriam referens ſacrorum miniſtrorum cœlibatum non evertit, certe concutit, cum *Nicænæ Synodi temporibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi perpetuam continentiam ſervarent ex Eccleſiæ diſciplina diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata,*

(26) Theodoretus lib. 3. Hæretic. Fabularum extremo cap. 5. *Hujus* (Novati) *ſucceſſores alia etiam dogmata adjecerunt. Eos enim, qui ſecundas nuptias inierint, a ſacris myſteriis repellunt.*

S. Auguſtinus De Agone Chriſtiano c. 31. §. 33. *Iſti* (Cathari ſeu Novatiani) *ſunt, qui viduas, ſi nupſerint, tamquam adulteras damnant, & ſuper doctrinam Apoſtolicam ſe prædicant eſſe mundiores.* Et hær. 38. Cathari *ſecundas nuptias non admittunt.*

ta; ut ipſe Natalis Alexander confirmat. (27)

Conſequens autem eſſe, *Socratem in Paphnutii hiſtoria mentiri, quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ leges peccavit*; perſuadere licet ex ipſiuſmet Natalis Alexandri ſententia. Siquidem ut refellat Sirmondum & Launoium teſtimonio Severi Sulpitii & Gregorii Turonenſis negantium, *Dionyſium Areopagitam unum eumdemque eſſe cum Dionyſio Epiſcopo Pariſienſi* reſpondet, Sulpitium *non tantæ auctoritatis eſſe in re hiſtorica ... maxime cum multos in errores intra unam aut alteram paginam lapſus ſit, & Gregorii Turonenſis hiſtoriam multis nævis & erroribus ſcatere; qui Auctoris ſimplicitati & credulitati condonandi ſunt*. (28) Præterea ut mendacem oſtendat Socratem, quod lib. 5. cap. 21. ſcripſerit, ab Victore Epiſcopo Romano damnatos Aſianos Paſcha Luna XIV. celebrantes; non modo Photium ſecutus ait, eum non fuiſſe *in dogmatibus valde accuratum*, ſed etiam addit, *in rebus hiſtoricis graviſſimos in errores impegiſſe, & putidiſſima mendacia*. (29) Parum ergo fidei etiam hiſtoriæ de Paphnutio a Socrate narratæ habendum eſt; tum quia in ea ipſum erraſſe, ſatis firma ſuſpicio eſt, tum etiam *quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ leges peccavit*.

Jam vero eſto: Sozomeni Hiſtoriam S. Gregorius nec univerſim rejicit, nec improbat in omnibus, ſed in multis duntaxat. Idcirco enim improbat, ut animadvertit Bellarminus, *quia multa mentitur*. (30) Atque in his multis Gregorius ponit falſam Sozomeni narrationem de quodam Eudoxio, & nimiam laudem, quam idem

(27) Differtat. cit. 19. propoſitione 2. pag. 256. tom. 4.

(28) Differtat. 16. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. pag. 168. & 170. tom. 3.

(29) Differtat. 5. in Hiſt. Eccl. ſæc. II. pag. 376. tom. 3. Lege annotationem 17. ad diſputationem V. & infra poſitam annotationem 31.

idem tribuit Theodoro Mopſueſteno. Cur autem non poſuerit hiſtoriam Paphnutii, ut inde quoque fidem Sozomeno derogaret, Deus ſcit. Ex eo tamen quod non poſuerit, non ſequitur eam eſſe veram: alioquin alia item, quæ ipſius Natalis Alexandri conſenſu ab Sozomeno falſa ſcribuntur, omnes veritatis numeros haberent, quia hoc loco a S. Gregorio non commemorantur. Nimirum dicit Natalis, erraſſe Sozomenum, tum quod negarit, Pontificem Romanum conſueviſſe in Eccleſia populum inſtituere, tum quod affirmarit, in Eccleſia Romana fuiſſe Presbyterum præpoſitum pœnitentibus, (31) quamvis ex hoc er-

(30) Lib. 1. De Clericis cap. 20. pag. 146. tom. 2.

(31) Natalis Alexander Diſſertat. 4. in Hiſt. Eccl. ſæc. II. pag. 349. tom. 3. *Caſſiodorus errata* Socratis, *&* Sozomeni *in ſua Hiſtoria Tripartita æque exſcripſit, ac ea, quæ veritati conſentanea ſunt: quod exemplo multiplici probari poteſt. Quis enim ignoret eruditus*, Sozomeni *ætate Pontificem Romanum in Eccleſia populum docuiſſe, cum id* S. Leonis *ſermones teſtentur? Scripſit tamen* Sozomenus *loco mox laudato*: (lib. 7. cap. 19.) In Urbe Roma nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet: *idque tranſtulit in ſuam Hiſtoriam* Caſſiodorus. *Idem* Sozomenus *lib. 7. cap. 16. agens de Presbytero pœnitentibus præpoſito, qui Epiſcopi vice Confeſſiones excipiebat, atque pœnitentiam imponebat, quem ab hoc officio removit* Nectarius *Conſtantinopolitanorum Archiepiſcopus, addit:* In Occidentalibus Eccleſiis & præcipue in Romana, hunc morem etiamnum ſtudioſe obſervari. *Erraſſe* Sozomenum *id affirmantem, Viri eruditi conſentiunt, &* Valeſius *probat in obſervationibus ad* Sozomenum. *Id tamen exſcripſit* Caſſiodorus. *Non igitur verior evadit* Socratis *narratio de Romanæ Eccleſiæ Quadrageſima, quia eam* Caſſiodorus *non expunxit, nec impugnavit. Id autem mirum de* Caſſiodoro *nemini videtur, qui animadverterit, conſilium ejus in ſcribenda Hiſtoria Tripartita aliud non fuiſſe, quam* de ſingulis Dictatoribus deflorata colligere, & cum Auctoris ſui nomine in ordinem collocare, *ut ipſe monet in ejuſdem Hiſtoriæ Præfatione.*

Contra Sozomenum diſputat etiam Queſnellus diſſertat. 1. de vita & rebus geſtis S. Leonis Magni ad an. 440. §. VIII.

errore æque, ac ex hiſtoria Paphnutii S. Gregorius Sozomeni auctoritatem imminuere prætermiſerit. Si igitur illa ſunt Natali Alexandro commentitia, fabuloſa item eſſe debet Hiſtoria Paphnutii, cum nihil perinde iſtorum Gregorius protulerit ad Sozomeni fidem infirmandam. Itaque tenendum eſt id, quod ait S. Hieronymus, *Non debere nos* Græcorum Scriptorum *auctoritati acquieſcere, quorum perfidiam & mendacia deteſtamur*. (32)

Pergit Natalis Alexander alias Baronii, & Bellarmini rationes oppugnare. *Nam* inquit, *præterquamquod Sancti Epiphanius, & Hieronymus octoginta circiter annis a Nicæni Concilii tempore ſunt remoti, quo temporis intervallo variari potuit diſciplina, ex eorum teſtimoniis non colligitur ſacrorum Miniſtrorum continentiam aliquo fuiſſe Canone præceptam in Eccleſia univerſa, ſed id referunt, quod ut plurimum non ex lege, ſed ex pietate obſervabatur. Quod non impedit, quominus intercedere Paphnu-*

VIII. ad XIII. Vide annotat. 2. ad eumdem S. Leonem in Vitis Pontificum, quas nos ipſi deſcripſimus, n. XLVII.

(32 Comment. in Ezechielem lib. 8. cap. 26. pag. 297. tom. 5.

Cabaſſutius in Notitia Conciliorum cap. 16. ad Nicænum Canonem 3. pag. 76. *Paphnutii vero inſtantiam continentiæ a nuptiis oppoſitam, cujus meminere Socrates & Sozomenus, cenſendum eſt, vel a Socrate primum confictam, a quo plurima de more ſuo hauſit ſine ullo delectu Sozomenus, vel potius a Græcis poſterius inſecutis, ſchiſmaticis, & continentiæ Clericalis adverſariis illic inſertam & ſuppoſitam: aut ſaltem ſi quid habet veri, nullam fuiſſe illius habitam a ſacro Concilio rationem. Non enim poſſet eruditus quiſpiam negare quanta diſtrictione primis quinque ſæculis univerſa ubique terrarum Eccleſia ſacro Clero conjugium interdixerit... Poſteriores quidem Græci, qui ſe ſchiſmate ab Eccleſia divulſerunt, matrimonii uſum Epiſcopis ſubtrahunt ac prohibent, ſed inferioribus Sacerdotibus permittunt, ſi jam fuerant tempore Ordinationis ſuæ conjugati: nova enim contrahere poſt Ordinationem connubia non permittunt, ut ex ſchiſmaticæ Synodi Quiniſextæ canone 12. liquet.*

phnutius Confeſſor potuerit , ne Patres Nicæni lege lata perpetuam continentiam Clericis indicerent , quam pia quadam conſuetudine duntaxat plurimis in Eccleſiis ſervabant . Nec obſtat ; quod S. Epiphanius ait ; Presbyteros , Diaconos , & Subdiaconos ab uxoris conſuetudine ſe continere ; ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur . *Non enim ſignificat his verbis , continentiam ab uxoribus ſuo tempore fuiſſe in Eccleſiâ ſacris Miniſtris aliquo Canone Concilii OEcumenici præceptam : & ſi id ſignificaret , contra hiſtoriæ leges peccaret ; quod ipſi non infrequens eſt . Nam Subdiaconos æque , ac majores Clericos ab ipſarum conſuetudine ſe continere aſſerit , ubi Canones vigent : cum tamen certum ſit S. Epiphanii temporibus Subdiaconatum non fuiſſe majoribus Ordinibus & ſacris annumeratum : ſiquidem S. Epiphanius a Pappo Epiſcopo Diaconus ordinatus eſt , prætermiſſo Subdiaconi gradu , & Epiphanius ipſe , eodem omiſſo , Paulinianum S. Hieronymi fratrem Diaconum conſecravit : Cum etiam aliunde certum ſit , continentiæ jugum Subdiaconis in Eccleſia ipſa Occidentali univerſa fuiſſe impoſitum Pelagii II. & S. Gregorii Magni temporibus .*

Etſi numero minus exacto anni computentur ; haud tamen verum eſt , S. Epiphanium & Hieronymum octoginta circiter annis a Nicæni Concilii tempore eſſe remotos . Namque alter *floruit ab anno* 361. *ad* 403. , alter vero *Presbyter inauguratus eſt anno circiter* 378. ut ipſe Natalis Alexander docet ; & Nicænum Concilium , conſentiente eodem Alexandro , anno 325. celebratum eſt . (33) Annis igitur circiter quadraginta S. Epiphanius & Hieronymus poſteriores ſunt Concilio Nicæno , quo exiguo temporis intervallo haud ita

(33) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. cap. 6, art. 28. pag. 156. & art. 31. pag. 168. & Diſſertat. 13. pag. 219. tom. 4.

ita facile potuit in re tam gravi variari Eccleſiæ diſciplina. Si autem, ut cenſet Natalis, Epiphanius, & Hieronymus *id referunt, quod ut plurimum non ex lege, ſed ex pietate obſervabatur*, quomodo idem Natalis eorum teſtimoniis probare contendit, *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos perpetuam continentiam ſervaſſe ex Eccleſiæ diſciplina diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata?* Uſus ſiquidem diuturnus conſuetudinem introducit, conſuetudo vero legem. Notum eſt enim illud Auguſtini: *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.* (34) Itaque nihil obſtat, quominus S. Epiphanius nomine *Eccleſiaſticorum Canonum* intellexerit veterem morem, juxta quem quaſi legem quamdam Majores Clerici *ab uxoris conſuetudine ſe continere* conſueverunt. Quamquam nihil prohibet, quominus reſpexerit Canonem III. Concilii Nicæni. Eo enim Clericis interdici etiam uxoris contubernium, colligit Ratramnus lib. 4. contra Græcorum Oppoſita cap. 6. *Nam quiſquis uxorem habet, non poteſt præter uxorem alias etiam mulieres in domo non habere, quibus uxoria neceſſitas, & cura domeſtica ſuppleatur. Ubi vero cunctarum interdicitur ſubintroductio feminarum, præter omnino perſonas, quæ careant omni ſuſpicione, manifeſtum eſt, quod interdicatur etiam uxoria pariter copula, quæ nullo modo poteſt fieri ſine reliquarum acceſſione feminarum.* (35)

Neque eſt, cur Natalis Alexander Epiphanio ſignificanti, *continentiam ab uxoribus ſuo tempore fuiſſe in Eccleſia ſacris Miniſtris aliquo Canone Concilii OEcumenici præceptam*, fidem ex eo detrahat,

N quod

(34) Epiſt. 36. alias 86. §. 2. & apud Gratianum Diſt. 11. cap. *in his rebus* 7.

(35) Apud Lucam Dacherium tom. 1. Spicilegii pag. 105.

quod ipſi non infrequens eſt contra hiſtoriæ leges peccare . Etenim eſt hoc contra regulam ipſiuſmet Alexandri aſſerentis, haud *conſequens eſſe*, *Socratem in Paphnutii hiſtoria mentiri*, *quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ leges peccavit*. (36)

Subdiaconatus autem nec ævo S. Epiphanii, nec poſt ad hoc uſque tempus ſacris Ordinibus annumeratus eſt apud Græcos, ut proinde juxta ſententiam Natalis Alexandri licuerit Pappo Epiſcopo S. Epiphanium ſacro Diaconatus Ordine initiare prætermiſſo Subdiaconi gradu, & Epiphanio ipſi licuerit, eodem omiſſo, Paulinianum Diaconum conſtituere. (37) Præterea *Subdiaconatum longo tempore poſt cælibatum illi ab S. Gregorio adnexum*, *majoribus Ordinibus fuiſſe adſcriptum*, docet Morinus, & ex Morino Vaneſpen, ita ut *ſæculo ſexto Subdiaconis lex continentiæ indicta fuerit*, *at demum tribus poſt ſæculis cœperit in aliquibus Eccleſiis ſacris Ordinibus annumerari*, *& junctim cum his inter Miſſarum ſolemnia*, *& ante Altare conferri : qui mos tandem*, *cum pleraſque Eccleſias occupaſſet*, *ſenſim in legem tranſivit*, *& ſæculo decimo tertio ab Innocentio III.* in Cap. 9. de ætate & qualit. Ordin. *probatus*. (38) Rata igitur auctoritas eſſe debet in teſtimonio Epiphanii, qui hæc inſuper habet in Expoſitione Fidei cap. 21. *Creari Sacerdotes ſolent*, *qui a ſuis ſe uxoribus continent*. Ad extremum *certe magis credendum eſt Epiphanio*, *& Hieronymo viris ſanctis*, *& qui vicini fuerunt temporibus Concilii Nicæni*, *quam Socra-*

(36) Diſſertat. 19. in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. tom. 4. pag. 255. Natalis Alexandri locum integrum in hac ipſa Diſputatione paullo ſuperius recitavimus poſt annotation. 23.

(37) Vide Morinum de Sacris Ordinationibus Part. 3. Exercitat. 11. cap. 2. & Exercitat. 12. cap. 5. §. 8.

(38) Morinus laudatus part. 3. exercitat. 12. cap. 5. Vaneſpen Juris univerſi part. 1. tit. 1. cap. 3. §. 2.

crati , & Sozomeno hæreticis ; & multo recentioribus . (39)

Duplicem præterea conjecturam objicit Natalis Alexander , ut probet , citato Can. 3. Concilii Nicæni *Clericis permitti prioris conjugis conſuetudinem . At id ejus conjectura eſt ; non Canonis ſententia* . (40)

(39) Bellarminus lib. 1. De Clericis extremo cap. 20. pag. 146. tom. 2.

Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 2. cap. 60. §. 17. pag. 422. *Potior ſane fides habenda eſt Epiphanio, Hieronymo, & Syneſio, quam Socrati, ubi de Orientali Eccleſia omnes æquabiliter teſtimonium ferunt* .

(40) Idem Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 2. cap. 60. §. 6. pag. 419.

DISPUTATIO XIV.

De Symbolo, Quicumque.

DE auctore Symboli, cujus initium eſt *Quicumque vult ſalvus eſſe*, & *Symbolum S. Athanaſii* appellatur in Breviario Romano, (1) longa & contentionis plena eſt diſputatio apud viros eruditos, quorum alii illud tribuunt S. Athanaſio Epiſcopo Alexandrinorum, alii abjudicant.

In his eſt etiam Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculi IV. cap. *6*. art. 8. num. 9., contra quem teſtimonium dicit Synodus Auguſtodunenſis in Gallia ſub Leodegario Epiſcopo anno *670*., ſeu *663*., ut placet Cointio, (2) celebrata. *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus ſymbolum, quod inſpirante ſancto Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur*. (3) Ex his *dubium non eſt, quin multis ante Synodum illam Auguſtodunenſem annis compoſitum eſſet, & jam olim per totam Eccleſiam celebre evaſiſſet. Numquam enim ſapientiſſimi Antiſtites id commiſiſſent, ut iſtam fidei formu-* *lam*

(1) Cujus auctoritatem contemnere non debet Natalis Alexander, qui Diſſertat. *16*. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. tom. 3. pag. 173. col. 1. ejuſdem Breviarii auctoritate pugnat contra negantes adventum S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias. *Reſpondeo* 2., ait, *in Breviario emendato juſſu* Clementis VIII. & Pii V. *unum eumdemque aſſeri* Areopagitam *Athenienſium Epiſcopum, ac deinde Pariſienſium, nominarique* S. Clementem *Pontificem Romanum, a quo miſſus eſt in Gallias*.

(2) In Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad an. *663*. §. 5. & 22. pag. 547. & 550. tom. 3.

(3) Apud Labbeum tom. VI. Conc. pag. 536. & apud Harduinum tom. III. pag. 1016.

lam omnium ordinum Clericis amplectendam, *&* irreprehenſibiliter, *ut ajunt*, recenſendam *Synodali edicto ſub condemnationis pœna præciperent*; *imo & illam e regione cum Symbolo Apoſtolico ponerent*, *niſi jam longo uſu recepta*, *approbata*, *& inter germanas magni Athanaſii lucubrationes numerata fuiſſet; quod niſi poſt plurimorum annorum ſeriem fieri vix potuit*. (4) Certe uſque ab anno 633. nonnulla ex hoc Symbolo profert Concilium Toletanum IV. cap. 1. (5) Theodulphus quoque Aurelianenſis Epiſcopus, qui octavo Chriſti ſæculo vixit, in Libro *De Spiritu Sancto* multa ex eodem Symbolo deſumit, ipſumque Athanaſio tribuit. (6) Ahytho etiam Baſileenſis Epiſcopus, qui claruit anno 811., in ſuo Capitulari cavet ac ſancit *quarto*, *ut fides S. Athanaſii a Sacerdotibus diſcatur*, *& ex corde omni ad Horam primam recitetur*. (7) Ratramnus item, ſeu Bertramus Corbejenſis Monachus, qui floruit ſæculo nono, lib. 2. contra Græcos cap. 3. ex *Beati Athanaſii libello de Fide* pauca quædam recitat. (8) Quid his proximus Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis? Nonne in *Capitulis ad Presbyteros Parochiæ ſuæ* præcipit, ut *ſermonem Athanaſii de Fide*, *cujus initium eſt*, Quicumque vult ſalvus eſſe, *memoriæ quiſque commendet*, *& ſenſum illius intelligat*, *& verbis com-*

(4) Paſchaſius Queſnellus Diſſertat. 14. in S. Leonis Magni Opera pag. 385. §. 12. num. 4.

(5) Apud Lab. tom. V. Conc. pag. 1703. & apud Harduinum tom. III. pag. 578. & 579.

(6) Inter Jacobi Sirmondi Opera varia tom. 2. pag. 702. & 703. edit. Venetæ.

(7) Apud Lucam Dacherium in Spicilegio Veterum Patrum tom. 1. pag. 584. editionis poſtremæ: apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 1523. & apud Harduinum tom. 4. pag. 1241.

(8) Apud eumdem Lucam Dacherium in Spicilegio Veterum Patrum tom. 1. pag. 71.

communibus enuntiare queat? (9) Nonne eadem habet Rhegino lib. 1. *De Eccleſiaſticis diſciplinis?* (10) Nonne eodem Symbolo ſub Athanaſii nomine in ſua *Definitione* (11) uſi ſunt Apocriſiarii, (12) quos Gregorius IX. anno 1233. Conſtatinopolim miſit Græcis in priſtinam cum Latinis concordiam reducendis? Nonne Eugenius IV. in *Decreto de unione Armenorum* anno 1439. *compendioſam illam Fidei regulam per beatiſſimum Athanaſium editam* commemorat? (13) Ut alios omittam, quos ordine recenſent Monachi S. Benedicti e Congregatione S. Mauri Diatribe in Symbolum, *Quicumque*, (14) ac Thomas Ittigius de Bibliothecis & Catenis Patrum cap. 3. nonne ejuſdem ſententiæ eſt S. Thomas in Summa Theologica locis pluribus? (15)

La-

(9) Operum tom. 1. pag. 710. & in libro De una & non trina Deitate contra Gotheſcalcum ibid. pag. 437. 452. 469. & 540.

(10) Pag. 29. num. 85.

(11) Apud Bzovium in Continuatione Annalium Baronii ad an. 1233. §. 2. & apud Baronium ad an. 340. §. 13.

(12) Vide annotationem 8. ad S. Agapetum I. Pontif. LIX.

(13) Apud Labbeum tom. 13. Conc. pag. 539.

(14) Tom. 2. Operum S. Athanaſii pag. 719. & Vincentius Ludovicus Gotti in Theologica Scholaſtico-Dogmatica tom. 4. in primam partem quæſt. 6. de perſona Spiritus Sancti pag. 301.

(15) Prima part. quæſt. 10. art. 2. *Sed contra eſt, quod dicit Athanaſius*: Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et quæſt. 29. art. 3. *Sed contra eſt, quod dicitur in Symbolo Athanaſii*: Alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Et quæſt. 36. art. 2. *Sed contra eſt, quod dicit Athanaſius in Symbolo:* Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Et quæſt. 42. art. 2. *Sed contra eſt, quod Athanaſius dicit, quod* totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt. Et 2. 2. quæſt. 1. art. 10. *Ad tertium dicendum, quod Athanaſius non compoſuit manifeſtationem Fidei per modum Symboli, ſed magis*

Latinis accedunt Græci, atque in his Manuel Calecas, qui etiam rationem affert, cur accedat. *Primum quia & Theologus Gregorius* (16) *in Athanaſii laudibus ipſius meminit dicens:* ſolus ille, vel cum paucis admodum, auſus eſt veritatem in ſcriptis confiteri, *& quæ illic addit. Deinde quod per omnes Occidentis Eccleſias Dominicis ſemper diebus pſallitur, atque adeo celebris eſt auctor, ut ne a pueris quidem ignoretur.* (17) Itaque juvat potius tenere, quod plures non antiquiſſimi quidem, ſed tamen veteres de Auctore hujus Symboli ediderunt, quam ſentire, quod viri eruditi multo recentiores nullo auctore antiquo, & rationibus non admodum firmis adducti exiſtimarunt. Rationes illas quidem probat, & *graviſſimas* appellat Natalis Alexander, easque exponit ad hunc modum.

Prima eſt, quod nullus Auctor Athanaſio coævus, aut ſuppar, ejus meminerit. Non S. Gregorius Nazianzenus in Oratione De laudibus S. Athanaſii,

 non

gis per modum cujuſdam doctrinæ, ut ex ipſo modo loquendi apparet. Sed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate ſummi Pontificis eſt recepta, ut quaſi regula fidei habeatur.

(16) *Theologi* nomine intelligit Nazianzenum, qui κατ' ἐξοχὴν *Theologus* vocatur.

(17) Lib. 2. contra Græcos Bibl. Patrum tom. 26. pag. 414. Idemque De principiis Fidei Catholicæ cap. 10. pag. 381. ejuſdem Bibliothecæ: Niſi eam quis fideliter crediderit, ſalvus eſſe non poterit, *ut Magnus Athanaſius in Confeſſione Fidei ad Julium Papam Romanum ſcripta adjecit; cujus plane etiam Gregorius Theologus in ejus Encomio mentionem faciens*, Solus ille, *inquit*, aut cum valde paucis auſus eſt veritatem ſcripto profiteri. *Hanc vocans* Veritatem, *quam is ad Julium Fidei Profeſſionem ſcripſit.*

Cum Caleca facit Demetrius Cydon Conſtantinopolitanus De proceſſione Spiritus Sancti cap. 6. apud Petrum Arcudium in Opuſculis Aureis Theologicis pag. 487. item Gennadius Scholarius in Expoſitione pro Oecumenica Synodo Florentina ſect. 5. Bibl. Patrum tom. 26. pag. 566.

non ullus Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, *qui primis ſæculis ſcripſerunt*, *non* Athanaſius *ipſe in Apologiis*. *Equidem S. Gregorius Nazianzenus aſſerit*, *S. Athanaſium* veritatem palam apertiſque verbis *circa Spiritus Sancti divinitatem*, primum & ſolum, aut cum admodum paucis promulgaſſe, & ſcripto confeſſum eſſe, & hanc Confeſſionem Joviano Imperatori obtuliſſe, donum vere regium & magnificum. *Sed hæc confeſſio non eſt Symbolum iſtud*, *quod* Athanaſianum *vocatur*, *ut quidam pertendunt*. *Quænam ergo*? *Epiſtola Synodica eſt ab Athanaſio ad Jovianum ſcripta nomine omnium Epiſcoporum Ægypti*, *Thebaidos*, *ac Lybiarum*: *qua & Nicænum Symbolum complectitur*, *& quadam ad jugulandam Pneumatomachorum recentem hæreſim*. *Poſſevinus in* Apparatu Sacro *aſſerit*, *S. Auguſtinum in Pſalmum CXX*. Athanaſiani *hujus Symboli meminiſſe*, *hancque velut Auguſtinianam ſententiam laudat ſuper illud*, Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem: De hoc Sole Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulcre locutus eſt: Filius Dei a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. *At hæc ſententia nequaquam Auguſtiniana eſt*, *nec ulla ſit apud S. Auguſtinum eo loci Athanaſii mentio*. *En verba S. Auguſtini*: Ergo alium Solem fecit Deus, qui oritur ſuper bonos & malos: iſtum, quem vident boni & mali: alius eſt autem ille Sol non factus, ſed genitus, per quem facta ſunt omnia.

Secunda ratio eſt, *quod S. Athanaſius in epiſtola ad Antiochenſes*, *procul ſe fuiſſe a condenda nova Fidei formula teſtetur*, *& Nicænæ Synodi Symbolum ſuis omnibus numeris abſolutiſſimum eſſe contendat*. *Neque illis temporibus novum componere Symbolum conveniens fuiſſet*. *Hoc enim Ariani*, *& Semiariani in Pſeudoſynodis agebant*.

Ter-

Tertia ratio petitur ex ſilentio S. Cyrilli Alexandrini, Epheſinæ Synodi, S. Leonis, & Concilii Chalcedonenſis, a quibus dubio procul contra Neſtorianam, & Eutychianam hæreſim laudatum fuiſſet iſtud Symbolum, ſi Sancti Athanaſii fuiſſet. Certe S. Cyrillus, Athanaſii ſucceſſorum unus, id non ignoraſſet, neque neglexiſſet illius auctoritatem ad refellendum Neſtorium validiſſimam. His addendum ſilentium Latinorum contra Græcos, poſt ſchiſma Photianum, uſque ad Gregorii IX. tempora, de proceſſione Spiritus Sancti diſceptantium. Si enim tunc pro certo creditum eſſet, id Symbolum eſſe S. Athanaſii, hoc telo pugnaſſent contra Græcos Schiſmaticos Occidentales, quod non leve pondus habuiſſet ob ſummam S. Athanaſii in utraque Eccleſia auctoritatem. At primi, quos hoc argumento uſos eſſe legimus, ſunt Apocriſiarii Gregorii IX. cum hæc controverſia duraſſet annis prope quingentis.

Quarta ratio petitur ex ſtylo, ſermoniſque contextu, qui nequaquam Græci hominis eſt, ſed Latini. Nec excipere juvat, potuiſſe S. Athanaſium Latine diſcere biennio illo, quo vixit Treviris, atque item dum profugus Mediolani, Aquilejæ, & Romæ egit. Nam parum veriſimile eſt, S. Athanaſium in ætate tam provecta, & longe aliis ac melioribus curis diſtentum, hunc laborem addiſcendæ peregrinæ linguæ ſubiiſſe, idque abſque neceſſitate. Nam & Romæ, & in Galliis copia virorum erat, qui Græce ſcirent, adeo ut Athanaſio ad mutuos ſermones lingua Latina non eſſet opus, cum illis in regionibus verſaretur. Et ſi Latine ſciviſſet, difficile creditu eſt, quod ita ſciviſſet, ut nullus in ſcriptione Latina ipſi excideret Græciſmus.

Quinta ratio ex eo ſumitur, quod in antiquis & probatæ fidei Codicibus MSS. pæne omnibus Operum S. Athanaſii hoc ſymbolum deſideretur.

Sexta. Qui illud S. Athanaſio tribuunt, non conve-

veniunt inter ſe, quando, & qua occaſione illud ediderit.

Hactenus Natalis Alexander. Verum rationes haſce fere omnes haud eſſe tales, quales eſſe affirmat ipſe, licet demonſtrare, in medium prolata ejuſdem Alexandri doctrina, verbiſque ipſis. Nam quod attinet

Ad primam, reſpondeo quod ipſe Diſſertat. 17. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. pag. 179. reſpondet Launojo appulſum S. Mariæ Magdalenæ, S. Marthæ, & S. Lazari in Provinciam neganti, quod nuſquam de eo meminerint Caſſianus, Salvianus, Victor Maſſilienſis, Eucherius Lugdunenſis, & Cæſarius Arelatenſis, itemque de eo ſiluerint Martyrologiorum Scriptores, inſuper S. Gregorius Magnus, S. Bernardus, & alii, qui ſermones in Feſto S. Magdalenæ ſcripſerunt: reſpondeo, inquam, *hæc argumenta futilia eſſe, quia negantia ſunt*. (18) *Licet enim in* S. Gregorii Nazianzeni Oratione de laudibus Athanaſii, & Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, qui primis ſæculis ſcripſerunt, *Operibus, quæ nunc exſtant, mentio* Symboli, Quicumque, *nulla facta ſit; fieri tamen poteſt, ut in iis, quæ perierunt, qualia fuiſſe quamplurima, notum eſt,* (19) *commemoratum fuerit. Sed etſi nullibi ejus meminiſſent, non ſequitur, quod* illud *penitus ignoraverint: ſiquidem neceſſe non fuit, ut omnes Scriptores Eccleſiaſticos nominarent, quos nove-*

ve-

(18) Idem Natalis Alexander Diſſertat. XI. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. tom. 3. pag. 142. col. 1. *Nec argumentum inficiale alicujus omnino ponderis eſt.* Et Diſſertat. 14. in Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. §. 25. tom. 7. pag. 634. col. 1. *Reſpondeo primo, argumentum iſtud plane futile, & nugatorium eſſe, quia negans eſt.*

(19) S. Athanaſii *Opera, quæ non exſtant*, recenſentur ab Gulielmo Cave in Hiſtoria Litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum pag. 124.

verant, aut eorum Opera citarent. (20) *Quod vero* Nazianzenus Symbolum *non nominaverit, ratio in promtu eſt. Quia de rebus* Athanaſii *præclare geſtis, quæ maxime ad auditores ſpectarent, eoſque ad pietatem movere poſſent, in Oratione agit. Unde prætermittit* Symbolum, *tamquam panegyrico dicendi generi minus conveniens. Certe Gregorius Thaumaturgus, qui Panegyricum Origeni dixit, nequidem ejus Opera nominavit, & S. Auguſtinus in Sermonibus, quos habuit in Natali* S. Cypriani, *ejus epiſtolas non memorat.* (21) Præterea *dormitare* Natalem Alexandrum *oportuit, cum hæc ipſi objectio venit in mentem.* Siquidem Nazianzenus ea in Oratione *nullum* S. Athanaſii *opus nominatim commemorat:* (22) *ſed ejus generatim commendat do-*

(20) Idem Natalis Alexander Diſſertat. 23. in Hiſt. Eccl. ſæc. I. tom. 3. pag. 238. col. 2. reſpondens iis, qui ſeptem Epiſtolas S. Ignatii nomine inſcriptas, ei abjudicabant, quod Auctores Eccleſiaſtici *nuſquam illarum meminerint*.

(21) Natalis Alexander Diſſertat. cit. tom. 3. pag. 239. col. 2. coarguens eos, qui negabant, memoratas S. Ignatii epiſtolas non eſſe ab eo editas, quod S. Joannes Chryſoſtomus *in egregia oratione, quam habuit de martyrio* S. Ignatii, *Epiſtolas nullas memorat, quæ tamen ad ejus commendationem maxime contuliſſent*.

(22) Excepta S. Antonii Vita, ad cujus ſimilitudinem dicit, ſibi fuiſſe in optatis vitam S. Athanaſii exponere, addens ſe nunc potiora tantum ejus geſta commemorare. Hæc ſunt verba ipſa Nazianzeni in citata Oratione Operum tom. 1. pag. 375. & 376. *Atque omnem quidem illius vitam ſermone proſequi ac laudibus efferre longius fortaſſe fuerit, quam hujus Orationis inſtitutum ferat, ac non tam encomii opus, quam hiſtoriæ: quam etiam, ut poſteris documento atque oblectationi futuram, peculiari ſcripto mandare comprimis optarem, quemadmodum ipſe D. Antonii vitam conſcripſit, monaſticæ nempe vitæ præcepta ſub narrationis ſpecie tamquam lata lege promulgans. Verum cum pauca ex multis illius rebus, quæque nunc nobis, ut notiora & inſigniora, ultro memoria ſuppeditat, commemoraverimus, plura iis, quibus ea cognita ſunt, relinquemus.*

doctrinam : cur igitur Symbolum ejus *celebraſſet? Si colligere liceret ex* Nazianzeni *ſilentio* Symbolum illud *non eſſe* S. Athanaſii *germanum opus*, *ex eodem ſilentio liceret inferre*, Orationem de Incarnatione Verbi, Contra Arianos Orationes V., Apologias, aliaſque ejus lucubrationes *non eſſe Opera* S. Athanaſii, *quia idem* Nazianzenus *ipſa ſingillatim non recenſet*. (23)

Qui

(23) Hoc modo, iiſdemque fere verbis Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. Diſſertat. 6. art. 16. tom. 7. pag. 409. col. 2. refellit Launojum, qui Summam Theologicam D. Thomæ eſſe negabat, quod Joannes XXII., *qui* S. Thomam Aquinatem *inter Cælites retulit*, *in Diplomate Canonizationis ipſius Summæ Theologicæ non meminiſſet*.

Idem Natalis ibidem pag. 407. aliud ejuſdem Launoji argumentum affert, ac rejicit hoc modo : Launojus (in Opuſculo, cui titulus : *Veneranda Romanæ Eccleſiæ circa Simoniam traditio*, obſervatione 8. pag. 522. & 523. tom. 2. part. 2.) *nititur argumento negativo*, *petito ex Auctoritate* Clementis VI. *Pontificis Maximi in Sermone*, *quem de* B. Thoma *recens numero Cælitum adſcripto habuit*. E multis laudationis piæ capitibus unum eſt multitudo librorum, quos Sanctus Doctor compoſuit. *Quorum catalogum cum ſumma diligentia*, *maximoque ſtudio conſcripſerit Pontifex ; in eo tamen* Summa Tripartita deſideratur. Quomodo, *inquit Launojus*, Opus tam grande, ſi B. Thomæ fœtus eſt, fugere potuit Clementis diligentiam, qui ſibi ſumſit Doctorem Sanctum a librorum, quos edidit, multitudine laudare? Quomodo tam inſigne Opus prætermiſiſſet, qui tot minuta Opuſcula recenſuit? Quis, quæſo, ſibi ſumeret Auguſtinum a librorum, quos ſcripſit, multitudine commendare, & libros *De Civitate Dei* omitteret in illorum Catalogo? &c.

Si hoc argumentum alicujus ponderis eſt, *ſequitur*, *aliquos Scripturæ Sacræ libros*, *quos multi ex Antiquis in Canonicorum numero non cenſuerunt*, *non fuiſſe habitos ut revera Canonicos*, *quamvis alii vel coævi vel ſuppares* Patres, *Pontifices*, *aut Concilia eos in Canonem retulerint*. *Sequitur*, *libros* De Prædeſtinatione Sanctorum, & de dono Perſeverantiæ *non eſſe* S. Auguſtini, *quia* Poſſidius *Calamenſis Epiſcopus*, *qui cum Sanctiſſimo Doctore quadraginta ferme annis familiariter & dulciter vixit*, *eos diſerte & nominatim non recenſet*, *ſed ſolum confuſe indicat his verbis* : Reſponſio Objectis Hilarii

li-

liber unus. *Sequitur*, *librum* De Fide contra Manichæos, *quem nemo* Auguſtino *abjudicavit*, *quia nullus exſtitit*, *quem argumentum* Launojano *ſimile ad dubitandum de re evidenti & ab omnibus confeſſa impelleret*, *non eſſe* S. Auguſtini, *quia hunc librum in Indiculo non recenſet* Poſſidius.

Addo etiam hoc, etſi declinet a propoſito, ut appareat, nihil eſſe indoctius, quam quod generatim affirmari ſolet a Criticis, *neminem de hac*, *vel illa re meminiſſe*. Neque enim verum eſt, quod aſſerit Natalis Alexander, neminem abjudicaſſe Auguſtino Librum *De Fide contra Manichæos*. Siquidem abjudicavit Bellarminus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* pag. 128. tom. 7. Liber de Fide contra Manichæos *non videtur eſſe* S. Auguſtini, *quia non ſit ejus mentio in* Retractationibus, *nec in Indiculo* Poſſidii, *& quia utitur phraſibus inſolitis* Auguſtino. Addit Labbeus ibidem pag. 133. num. 14. *Profecto mirum nulli eſſe debet*, *quod Liber* De Fide, ſeu Unitate Trinitatis contra Manichæos *non ſit in* Retractationibus, *neque in* Indiculo, *cum ſit* Evodii *Epiſcopi Uzalenſis*, *ut evicit* Sirmondus *noſter cap.* 1. Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ *ex fide MSS. Codicum præcipue Corbejenſis*.

Bellarmino, & Labbeo, quod maxime mirum debet videri, omnino conſentit ipſe Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. Sæc. V. cap. 4. §. 6. pag. 111. & 112. tom. 5. *Liber* De Fide, ſive de Unitate Trinitatis contra Manichæos *non videtur eſſe* S. Auguſtini, *cum nec ipſe in* Retractationibus, *nec* Poſſidius *in Indiculo ejus meminerint*, *nec ſtylus cum* Auguſtiniano *prorſus conveniat*, *& MSS. nonnulli Codices*, *præſertim Corbejenſis*, *illum* Euodio *Uzalenſi Epiſcopo tribuant*, *ut teſtatur P. Sirmondus* Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ cap. 1.

Idem Natalis Diſſertat. 12. in Hiſt. Eccl. Sæc. I. pag. 142. tom. 3. *Quid quod* S. Lucas *nec Evangelii a ſe conſcripti meminit? nec tamen inde inferri poteſt*, *Evangelium a* S. Luca *non eſſe conſcriptum*. At S. Lucas ita incipit librum, quem confecit de Actis Apoſtolorum: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus*, *o Theophile*, *quæ cœpit Jeſus facere & docere uſque in diem qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum*, *quos elegit*, *aſſumtus eſt*. Quem ſermonem eſſe ejuſdem S. Lucæ Evangelium, conſentiunt interpretes.

Idem Natalis diſſertat. 20. in Hiſt. Eccl. ſæc. III. quæ eſt *de lapſu Marcellini Romani Pontificis*, *& Sinueſſana Synodo* pag. 731. tom. 3. *Nulla apud quoſvis Scriptores ſive profanos ſive Eccleſiaſticos Sinueſſanæ Civitatis occurrit vel levis memoria*. *Ficta igitur Civitas eſt*, *& commentitia Synodus*. At de ea Civitate Livius lib. 10. cap. *In ſaltu Veſtino Sinope* di-

Qui vero *pertendunt*, S. Gregorium Nazianzenum in Oratione memorata loqui de Symbolo Athanaſiano, *eorum non minor eſt auctoritas*, (24) quam eorum, qui inficiantur: Utrique enim recentes admodum ſunt, ideoque utriſque perinde credi poteſt.

Neque unus eſt Poſſevinus; qui Auguſtinum *aſſerit* in Pſalmum CXX. meminiſſe hujus Symboli; quamvis nulla ibi fiat mentio Athanaſii: Namque id aſſerit etiam Hieronymus Torrenſis extrema Præfatione ad Confeſſionem Auguſtinianam ex verbis Auguſtini contexta, Bellarminus l. 2. De Chriſto cap. 25. aliique; & *Pariſienſes, ac Venetæ antiquiores editiones id inſertum habent*: (25) Quod vel inde veriſimile fit, quod alia quoque S. Auguſtini *ſcripta verbis quibuſdam atque ſententiis ejuſdem Symboli apparent interdum conſperſa*. (26)

Ad

dicitur Græca Urbs fuiſſe, Sinueſſa deinde à Romanis colonis appellata. Plinius lib. 3. cap. 5. *Oppidum Sinueſſa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopem dixere vocitatam*. Horatius lib. 1. Sat. 5. v. 40. *Plotius & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque Occurrunt*. Martialis lib. 6. epigram. 42. *Non mollis Sinueſſa*. Omitto alios, qui ejuſdem Urbis mentionem fecerunt.

Natalis Alexandri diſcipulus Hyacinthus Serry Exercitat. 34. §. 4. pag. 235. Magi Chriſti adoratores *tres vulgo fuiſſe creduntur. Ex antiquis Eccleſiæ Patribus unus Leo Magnus nobis numerum hunc definivit paſſim in Sermonibus de Epiphania... ſilent ceteri Patres*. At S. Maximus Taurinenſis hom. 3. de Epiphania Domini, quæ eſt in Bibliotheca Patrum tom. 6. pag. 10. *Et bene, Cariſſimi, uno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi: quia in uno Chriſto Jeſu, qui omnium credentium via eſt; inſeparata ab eis erat Trinitas adoranda*. Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ De Chriſto cap. 3. annotat. 8.

(24) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. I. Diſſertat. 9. tom. 3. pag. 130. col. 1.

(25) Monachi S. Benedicti e Congregatione S. Mauri annotat. ad hunc S. Auguſtini locum.

(26) Baronius ad an. 340. §. 12.

Ad ſecundam reſponſio ſuppetit ex verbis ipſis S. Athanaſii in memorata epiſtola ad Antiochenſes, ubi ita ſcribit tom. 1. part. 2. pag. 772.: *Quam igitur nonnulli jactant tabellam, quaſi in Sardicenſi Synodo de Fide compoſitam, ne legi quidem omnino, aut proferri ſinatis: nihil quippe ejuſmodi definivit Synodus. Quamvis enim nonnulli poſtularint, ut quædam de Fide ſcriberentur, quaſi aliquid Nicænæ Synodo deeſset, atque id obtinere temete conati fuerint; Synodus tamen Sardicæ coacta rem indigne tulit, ſancivitque, ut nullum ultra de Fide ederetur reſcriptum, ſed ſufficeret Fides a Patribus Nicææ promulgata, quippe quæ in nullo deficeret, ſed plena pietatis eſset: ſtatuitque, ne altera ederetur Fidei profeſſio, ne quæ Nicææ conſcripta fuerat, imperfecta reputaretur; neve occaſio iis daretur, qui ſæpenumero de Fide ſcribere ac definire volunt. Unde ſi quis illud aliudve proponat, compeſcite homines, atque ad ſtudium pacis potius hortamini: nihil enim in iſtis agnoſcimus, quam ſolum contendendi ſtudium*. Itaque S. Athanaſius teſtatur, procul ſe fuiſſe a condenda Fidei formula nova, hoc eſt diverſa a Nicæna, non autem a condenda conſona Nicænæ. Synodus enim Sardicenſis iis duntaxat vetuit alteram Fidei formulam condere, qui ideo conderent, quod putarent, Nicænam eſſe imperfectam, quique ſtudio contentionis elati occaſionem captarent ſæpe ſcribendi de Fide. Et quidem qui rem aliquam faciunt, ut eam opponant rei, quam eſſe imperfectam putant, utique ab ea diverſam faciunt, & qui ſtudio contendendi efferuntur, diverſi ſunt ab iis, quibuſcum contendunt. Contentio enim eſt eorum, qui contraria ſentiunt. Porro S. Athanaſius Nicænum Symbolum numeris omnibus abſolutum eſſe prædicabat ac defendebat, nulloque contentionis ſtudio efferebatur, ideoque licuit ei Fidei formulam

ede-

edere, quandoquidem non edidit, ut perficeret Nicænam, quam jam perfectam eſſe ſentiebat, ſed ſolum ut eam magis ac magis explicaret, & in aperto poneret. Et ſane idem S. Athanaſius Catholicam Fidem expoſuit in Opuſculo, quod inde inſcribitur *Expoſitio Fidei*, ac incipit: *Credimus in unum Deum*: quod tamen & Natalis Alexander, & alii, qui Symbolum Athanaſio abjudicant, tamquam verum ac genuinum Athanaſii opus recipiunt, quamvis ipſe Athanaſius citata epiſtola ad Antiochenſes ſcripſerit, procul ſe fuiſſe a condenda nova Fidei formula. Cur igitur iidem inficiantur, S. Athanaſii eſſe Symbolum, in quo Catholicam Fidem perinde exponit? Erat autem illis temporibus minus conveniens novum componere Symbolum animo contendendi & adverſandi, quod Ariani, & Semiariani in Pſeudoſynodis agebant, non autem animo eamdem Fidem exponendi, quod faciebat S. Athanaſius. (27)

Ter-

(27) Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad an. 663. §. 22.: *Symbolum S. Athanaſii*, *ut* Petrus Delalande *obſervavit*, *olim ſolebat vocari* Fides Athanaſii, *vel* ſermo de Fide, *ſeu* Fidei Catholicæ, *aut* Expoſitio Fidei Athanaſii. *Atque hanc priſcam & veram fuiſſe appellationem oſtendunt Græci*, *qui* ἔκθεσιν, *vel* ὁμολόγησιν τῆς καθολικῆς πίστεως *interpretati ſunt*.

Joſephus Maria Thomaſius in notis ad Pſalterium pag. 769., ubi profert Symbolum, *Quicumque*: *Omiſſis*, inquit, *nonnullorum conjecturis ac divinationibus de auctore hujus Symboli*, *ex longa præſcriptione multorum ſæculorum*, *& inſcriptionibus veterum codicum diligentius videndum*, *num hæc plenior explicatio Nicænæ Fidei ſit velut Hypomneſticon quoddam ſive commonitorium ad Catholicorum inſtructionem contra varias hæreſes & Græce & Latine primo confectum de iis*, *quæ de Trinitate & Incarnatione*, *tum voce diſputata*, *tum ſcripto decreta ſunt in Concilio Alexandrino ſub Juliano Auguſto* (anno 362.) *præſidente S. Athanaſio*, *præſentibuſque ex Latinis S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi*, *ac duobus Diaconis Luci-*

ſeri

Tertia ratio ſimilis eſt primæ, ideoque facillime diluitur tum ex iis, quæ ex Natali Alexandro dicta ſunt in confutatione rationis primæ, tum etiam ex iis, quæ idem Natalis ſubjicit Diſſertat. 22. in Hiſt. Eccleſ. ſæc. I. tom. 3. pag. 227. col. 2. Ibi enim ait, *hujuſmodi argumenta, quæ ex Auctorum ſilentio repetuntur, nec niſi negativa probatione conſtant, ad veritatis fidem faciendam infirma vulgo ab eruditis exiſtimari.* (28) Ita videlicet eos refellit, qui Libros S. Dionyſii Areopagitæ nomine inſcriptos opus ejus eſſe negabant, ſimul quod *Sanctorum Patrum nemo, qui poſt ſecuti ſunt, ex iis libris ſententias aut teſtimonia citavit*, ſimul quod *Euſebius Pamphili Sanctorum Patrum ſcripta enumerans nullam horum fecit mentionem*. Ad eumdem modum idem Natalis haud recte concludit, Symbolum non eſſe Athanaſii, quod Cyrillus Alexandrinus, Epheſina Synodus, S. Leo, & Concilium Chalcedonenſe contra Neſtorianam & Eutychianam hæreſim illud non citaverint, aut quod nulli longo inde temporis intervallo ejus auctoritate contra Græcos Schiſmaticos uſi fuerint.

Præterea *quis neſcit*, ut alio loco aſſerit idem Natalis Alexander, *quam ſæpe viri doctiſſimi ſuis in Operibus ea prætermiſerint, quæ argumentum,*

O *quo*

ſeri Epiſcopi inſulæ Sardiniæ. Certe quæ Rufinus lib. 10. *Hiſt. Eccl. cap.* 29., *& epiſtola ipſa ejuſdem Concilii apud S. Athanaſium* epiſt. ad Antiochenos *ſcribunt, ſi conſiderentur attentius, verbatimque expendantur, pæne totum Symbolum hocce ſummatim repræſentare videntur.* Vide Baronium ad an. 362. §. 176. & ſeq. Labbeum tom. 2. Conc. pag. 509. & Harduinum tom. 1. pag. 730., quibus locis agunt de memorato Concilio Alexandrino, & epiſtolam S. Athanaſii ad Antiochenos recitant.

(28) De duplici genere argumenti, uti vocant, *negativi*, dixi in cap. 19. Hiſtoriæ Familiæ Sacræ, annotat. 18. de quo agit etiam Lambertinus lib. 3. de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. cap. 10. num. 3. pag. 65.

quo de agebant, ut ſcriberent, poſtulabat? (29) Quamvis igitur S. Cyrillus, Leo, & alii memoratas hæreſes Symbolo Athanaſii non oppugnaverint, nihil id obſtat, quominus genuinum S. Athanaſii opus eſſe Symbolum, credamus.

Quarta ſic refellitur. Primum Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæc. IV. cap. 6. art. 8. num. XI. agens de Libro S. Athanaſii *De Virginitate*, ſive *De Meditatione*, docet, *ſtylum Patrum non eſſe in omnibus Operibus eumdem, ſed alium in Orationibus, alium in Operibus polemicis, alium in epiſtolis*. (30) Quidni alium etiam in Symbolis? Deinde *in tam brevi, & hujus generis ſcriptiuncula, qualis eſt hæc Fidei profeſſio, vix locus ſit conferendo ſtylo cum ceteris Athanaſii lucubrationibus*. (31) Poſtea *Latini non minus, quam Græci ſermonis Athanaſium fuiſſe peritum, Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri antiquiſſimi in ſuo libello precum fatentur, cum ab ipſo in Græcam linguam translatos Luciferi Calaritani Epiſcopi libros affirmant*. (32)

De-

(29) In Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. Diſſertat. 6. art. 16. tom. 7. pag. 408. col. 1.

(30) Idem in Hiſt. Eccl. ſæc. VI. cap. 4. art. 16. num. 4. pag. 417. tom. 5. *Quis neſcit, varium eſſe ſtylum pro varietate Tractatuum, ac materiarum? Certe Sanctus ipſe Gregorius fatetur, ſe eodem ſtylo Moralium libros non ſcripſiſſe*. Lib. 11. cap. 1.

Mabillonius de Studiis Monaſticis cap. 13. *Unius etiam, & ejuſdem Auctoris ſtylus multifarius quandoque dignoſcitur: in aliquo namque interdum Opere qua elegantior, quave neglectior apparet, quemadmodum in Patrum homiliis ſæpe notatur. Præterea unus idemque Auctor jam ætate confectus, videtur ſibi ipſi, cum adhuc junior eſſet, plerumque diſſimilis*.

(31) Queſnellus Diſſertat. 14. in S. Leonis Magni Opera pag. 387. §. 3.

(32) Muratorius in Diſquiſitione De Symboli, *Quicumque* auctore, tom. 2. Anecdotorum pag. 220., ubi hæc item habet: *Nam quod alii in hujus opinionis confirmationem adu-*

Denique falſum eſt, quod ait Natalis Alexander, ſtylum ſermoniſque contextum nequaquam Græci hominis eſſe, ſed Latini, nullumque in ſcriptione Latina auctori excidiſſe Græciſmum. Norunt enim Græce docti Græcos dicendi modos, qui continentur in his Symboli verbis: *Ita ut* per omnia; *ſicut jam ſuprà dictum eſt, & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda ſit. Eſt ergo fides recta, ut credamus &* confiteamur, quia *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt. Æqualis Patri* ſecundum divinitatem, *minor Patre* ſecundum humanitatem. *Ad cujus adventum omnes homines* reſurgere habent *cum corporibus ſuis*. Nimirum Græcæ dictiones ſunt: *per omnia*: *confiteamur*, *quia*: *ſecundum divinitatem*, *ſecundum humanitatem*: & *reſurgere habent*. Latini enim dicunt *omnino*, & verbum *confiteor* uſurpant cum infinito: dicunt *quoad divinitatem*, *quoad humanitatem*, & *reſurgere debent*: nam *habeo* a Latinis adhibetur quidem pro verbo *poſſum*, numquam pro *debeo*.

Quod ſpectat ad rationem quintam. Ego qui-

O 2 dem

ducunt, videlicet Latinum, non Græcum, Symboli ſcriptorem fuiſſe, e ſtylo, aliiſque conjecturis rem dijudicantes, parum ad hujuſmodi contentionem dirimendam momenti affert.

Bollandiani die 2. Maji cap. 10. §. 111. pag. 203. *Unum pro certo habemus, Athanaſium, qui libros* Luciferi *ad* Conſtantium *Latine ſcriptos* in Græcum ſermonem *tranſtulit*, *uti infra dicetur num.* 304. *Latinæ linguæ non minus quam Græcæ peritum fuiſſe: ideoque conſiderantes, quod apud antiquos Græcos nullum exſtet veſtigium Typi cujuſquam, ſeu Fidei formulæ ab Athanaſio editæ; nihil dubitamus, quin Symbolum prædictum, ſi vere ab* Athanaſio *ſcriptum aliquando fuit, Latine primitus ſcriptum ab eo fuerit; ſed ab alio diu poſtea Græce redditum quale nunc inter opera reperitur. Ipſe quidem in omnibus ſuis ad Orientales ſcriptis hoc potiſſimum agit, ut præter editam Nicænæ Fidei formulam, nullam aliam requirant vel ſuſcipiant: ſed cum Latinis videri poſſet aliter agendum, cenſuiſſe, imo conveniſſe, ut iis diſtincte ac clare ipſorummet lingua explicaret, doctrinam ſuam prorſus eamdem eſſe.*

dem ambigam, dici ne jure queat, *in antiquis & probatæ fidei Codicibus MSS. pæne omnibus Operum S. Athanaſii hoc ſymbolum deſiderari*. Etenim Monachi e Congregatione S. Mauri in Diatribe citata tom. 2. Operum S. Athanaſii pag. 721. Manuſcriptos Codices amplius duodecim numerant Symbolum iſtud exhibentes, atque ex eorum *inſcriptionibus* colligunt *ab annis plus mille Athanaſio fuiſſe adſcriptum*. Quibus Codicibus Bodlejanum & Lipſienſem addit Michael Lequien Diſſertat. 1. Damaſcenica §. 17.

Etſi vero deſideraretur iu Codicibus pæne omnibus, qui Athanaſii opera continent, non eo tamen evinceretur, illud non eſſe ab Athanaſio compoſitum. Antiqui enim Codices MSS. in dies ex tenebris eruuntur, quorum ope & edita ſanctorum Patrum Opera vera ac legitima eſſe magis ac magis probantur, & numquam antea cognita in lucem proferuntur. Itaque diligentiſſimus antiquitatis indagator Bernardus Montfauconius, qui *anecdota* non pauca S. Athanaſii Opuſcula publici juris fecit, *bene multa adhuc latere, nihil ambigit, eruditoſque non ſine ſpe amplæ ſegetis, inveſtigandi laborem adire peroptat*. (33) Quidni igitur olim proferatur etiam Codex ille *antiquus & probatæ fidei*, quem Natalis Alexander deſiderat?

Ad extremum non video, quare Natalis Alexander, qui uno præſertim fretus Codice Bigotiano putat, Epiſtolam ad Cæſarium Monachum eſſe S. Joannis Chryſoſtomi, (34) idem neget, Sym-

(33) Præfatione in Opera S. Athanaſii, quæ primum ab eo publicantur, tom. 2. Collectionis Novæ Patrum & Scriptorum Græcorum pag. 1.

(34) Ecce verba ipſa Natalis Alexandri in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. cap. 6. art. 29. num. VIII. pag. 163. col. 1. *Epiſtola ad* Cæſarium, *quam* Petrus Martyr *Calviniſta in Anglia, diſ-*

Symbolum eſſe S. Athanaſii, quod in pluribus Codicibus MSS. legitur.

Ad ſextam *reſpondeo* cum ipſo Natali Alexandro; *negando conſequens. Quid enim refert ad rei veritatem, quo tempore facta ſit?* (35) Nempe *Hiſtoriæ falſitas colligitur ex Auctorum diſſenſu, ſi in Hiſtoriæ ſubſtantia & præcipuis capitibus diſſentiunt,* non item *ſi in circumſtantiis duntaxat quibuſdam recenſendis. Enimvero ſæpiſſime contingit, ut conſtet*

O 3 de

diſputans adverſus Catholicam Fidem de Tranſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia, proferebat, quamque obtrudebat Pleſſæus Mornæus *in libro peſtilentiſſimo contra Sacrificium Miſſæ, diu viſa eſt Eruditis non eſſe* S. Joannis Chryſoſtomi, *quod nullis in MSS. reperiretur, nullis in Bibliothecis exſtaret, ne quidem memoraretur a* Geſnero, Simlero, & Friſio, *quamvis ipſi a Romanæ Eccleſiæ communione alieni eſſent, & Petri Martyris Symmyſtæ, & in Codices MSS. celeberrimarum Europæ Bibliothecarum inquiſiviſſent. Verum hujus exemplar MS. epiſtolæ in linguam Latinam verſæ V. C.* Emericus Bigotius *in Bibliotheca FF. noſtrorum Dominicanorum Florentiæ invenit. Sed & ejuſdem Epiſtolæ fragmenta citata leguntur ab Auctoribus Græcis,* quos e veſtigio Natalis nominat.

Nihilominus *epiſtolam hanc magno Chryſoſtomo abjudicandam* eſſe docet Michael Lequien Diſſertat. 3. Damaſcenica: quem ſequitur Montfauconius Monito in eamdem Epiſtolam pag. 736. tom. 3., atque alias rationes adjicit, cur *omnino ſibi ſpuria eſſe videatur.* Operum S. Joannis Chryſoſtomi tom. 3. pag. 737. Præter hos vide etiam Henrici Caniſii Lectiones Antiquas, editas a Jacobo Baſnage tom. 1. pag. 226. ac Thomæ Ittigii tractatum de Bibliothecis & Catenis Patrum cap. 3. §. 30. pag. 417.

(35) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. I. Diſſert. XI. tom. 3. pag. 142. col. 2. refellens hoc adverſariorum argumentum: *Objicitur quarto: Non conveniunt inter ſe Auctores Catholici de tempore, quo Symbolum ab Apoſtolis editum eſt; ergo non eſt vere Apoſtolicum.*

Tillemontius (annotat. 110. in S. Athanaſium tom. 8. pag. 732.) inquit, *pauciſſima ſunt Athanaſii Opera, quæ quo tempore conſcripta fuerint, aſſignari valeat,* Montfauconius Animadverſione 22. in Vitam & Scripta S. Athanaſii pag. XLIX. tom. 2. Novæ Collectionis Patrum & Scriptorum Græcorum.

de veritate, de modo aut tempore non conſtet. Quid certius Chriſti morte apud Chriſtianos? Quid tempore, quo mortem ſubiit, incertius, ſi Veterum diſcordes ſententiæ audiantur? (36) Quamvis igitur Auctores diſſentiant de tempore & occaſione editi ab Athanaſio Symboli, non inde ſequitur, ut illud Athanaſius non ediderit.

Quid ſi Natalis Alexander eam inſuper rationem ſubjiciat, quam addunt alii, vocem ὁμοούσιον, *conſubſtantialem* adverſus Arianos tanto animi ardore propugnatam ab Athanaſio, atque id temporis habitam veluti teſſeram Catholicorum, in Symbolo non inveniri, eoque Symbolum non eſſe S. Athanaſii? Profecto aſſentiar, alterum alteri conſequens eſſe, *ſi* vox illa, ut verbis Natalis Alexandri utar hoc etiam loco, *non inveniatur* in Symbolo *nec quoad ſonum, nec quoad ſenſum, nec expreſſe, nec æquivalenter, & ſi* eidem Symbolo *repugnet*: minime autem aſſentiar, *ſi* ei *non repugnet, imo in* eo *inveniatur quoad ſenſum & æquivalenter. Porro vox* ὁμοούσιον *æquivalenter & quoad ſenſum legitur* (37) in Symbolo, fuſius tamen ac latius explicata. Quid enim aliud, quam *conſubſtantialem* Patri filium ſignificant verba illa: *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas?* Omitto cetera, quibus S. Athanaſius divinarum perſonarum unam omnium eſſentiam & poteſtatem explicatius confitetur.

(36) Natalis Alexander Diſſertat. 13. tom. 3. pag. 149. col. 1. ubi iis reſpondet, qui negabant, Petrum Romam profectum, quod *diſſentirent Auctores in Epocha adventus S. Petri Romam*.

(37) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. IV. Diſſertat. 4. tom. 4. pag. 224. col. 1.

Cui Symbolum, *Quicumque* ii adſcribant, qui negant eſſe S. Athanaſii, dictum eſt annotat. 3. ad S. Julium I. Pontif. XXXVI.

DIS-

DISPUTATIO XV.

De Monaſtico inſtituto S. Gregorii Magni.

S. Gregorium I, antequam Pontifex fieret, Monachum fuiſſe, nemini dubium eſt. Cujus inſtituti Monachus fuerit, in controverſiam atque diſceptationem vocatur. Sunt qui S. Equitii, ſunt qui S. Benedicti regulam eum profeſſum eſſe contendant. (1) In animo eſt, ea, quæ in utramque partem dici ſolent, complecti, ut aliorum ſit de re tota judicium.

Hæc tradunt, qui S. Gregorium Equitianæ profeſſionis fuiſſe, exiſtimant: illum *inſtituto ab ſe in Urbe S. Andreæ monaſterio, non ex proxime poſitis Caſinatibus Monachis, ſed ex provincia Valeria monaſterio S. Equitii petiiſſe primum Abbatem, idque apparere* ex duplici Gregorii ipſius teſtimonio. Nam lib. 4. Dialog. cap. 21. hæc habet: *Vitæ venerabilis Valentius* (vel Valentio, ſeu Valentinus) *qui poſt in hac Romana Urbe mihi, ſicut noſti, meoque monaſterio præfuit, prius in Valeria provincia ſuum monaſterium rexit.* Provinciæ autem Valeriæ Monaſteria S. Equitii inſtitutis formata fuiſſe, idem S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. docet his verbis: *Qui nimirum* Equitius *pro ſuæ magnitudine ſanctitatis multorum in eadem provincia* (Valeria) *Monaſteriorum pater exſtitit. Sed & ex alio ejuſdem* capitis 4. loco idem colligi, *dum S. Equitii poſt obitum edita miracula recenſet, dumque ex relatione ejuſdem Valentii ſui Abbatis, quæ narrat, ſe accepiſſe, teſtatur*: ubi ait: *Silere non debeo, quod de hoc viro Abbate quondam meo*

O 4

(1) Vide annotat. 2. ad Vitam S. Gregorii Magni, Pontif. LXVI.

meo reverendiſſimo Valentio cognovi. (2) Addunt, S. Gregorium ne leviter quidem innuere, ſe ex S. Benedicti alumnis fuiſſe, quamvis ejuſdem S. Benedicti vitam in Dialogis expoſuerit, ejuſque diſcipulos nominarit, a quibus illam accepit, & quamvis ejuſdem regulam ceu *diſcretione præcipuam*, *ſermone luculentam* laudaverit. Eumdem extrema epiſtola 50. lib. 1. ad Anthemium Subdiaconum vetare, ne pueri ante annum duodevigeſimum includantur Monaſterio, cum tamen pueros minores annis duodeviginti S. Benedictus recipiat. (3) Eumdemque tyronibus probandis biennium conſtituiſſe, (4) cum S. Benedictus annum duntaxat conſtituerit. (5)

Ad hæc reſpondent adverſarii, ex recitato duplici Gregorii teſtimonio nihil certi poſſe concludi. Gregorium enim, licet *Valentium* ſibi ac Monaſterio ſuo præfuiſſe *dicat*, *nuſquam tamen eum Abbatem primum fuiſſe affirmare*: (6) & S. Equitii miracula ab ejus diſcipulis in cœnobio aliquo Va-

(2) Baronius ad an. 581. §. 8. & 9.

(3) Regula S. Benedicti cap. 37. *Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet & infantium, tamen & regulæ auctoritas eis proſpiciat*.

(4) Lib. 10. epiſt. 24. ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum: *Monaſteriis omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, ut eos, quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare*.

(5) Regulæ cap. 58. *Poſt ſex menſium circulum relegatur ei* (Novitio) *regula, ut ſciat ad quod ingrediatur, & ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem: & ſi habita ſecum deliberatione promiſerit, ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipiatur in Congregatione*.

(6) Mabillonius Diſſertat. de Monaſtica Vita S. Gregorii Papæ I. part. 2. cap. 12. Extat inter ejus Opuſcula ad calcem Veterum Analectorum pag. 499. edit. Pariſien. an. 1723. in fol.

Valeriæ propinquo degentibus, quin ab ipſa fama accipere potuiſſe, ac poſteris mandare.

Ex eo autem quod S. Benedicti vitam ſcripſerit, ejuſque regulam commendarit, colligi, ipſum fuiſſe eidem S. Benedicto, ejuſque inſtitutioni addictum. Non enim facile creditu eſſe, Gregorium tam multa de S. Benedicto, deque legibus ejus prædicaſſe, & aliam ſibi ſuoque Monaſterio regulam propoſuiſſe, quam regulam *diſcretione præcipuam*, *ſermone luculentam*.

Gregorii vero vetitum de pueris ante duodeviceſimum ætatis annum non recipiendis, non pertinere ad cœnobia omnia, ſed tantum ad ea, quæ in inſulis quibuſdam Tyrrheni maris condita erant, idque ſatis innuere Pontificem ſcribentem: *Quia dura eſt in inſulis congregatio Monachorum, etiam pueros in eiſdem Monaſteriis* (inſulæ Eumorphianæ) *ante decem & octo annorum tempora ſuſcipi prohibemus. Hoc & in Palmaria aliiſque inſulis te per omnia volumus cuſtodire*. Nempe durum ibidem fuiſſe & aſperum vivendi genus, ſive propter inſalubrem aerem, ſive ob aliam cauſſam: ideoque vetaſſe Gregorium, ne pueri ætatis nondum maturæ, ac nondum ad Cæli craſſitudinem & gravitatem tolerandam aptæ Monachi in inſulis illis fierent.

Decretum quoque de tyronibus per biennium exercendis ac probandis ſpectare ſolum ad provinciæ Neapolitanæ Monaſteria: quandoquidem ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum Gregorius ſcribit, ac novi decreti rationem reddit hoc modo: *Pervenit ad nos, Mauricium quemdam, qui nuper in Monaſterio Barbaciani converſus eſt, ablatis ſecum aliis Monachis, fuga de eodem Monaſterio diſceſſiſſe. Qua in re prædictum nobis Barbacianum hæc præcipitatio vehementer accuſat, qui temere ſæcularem hominem, & non ante probatum tonſuravit.*

Hanc

Hanc Monachorum fugam Gregorio cauſſam præbuiſſe decernendi, ut in poſterum tyronum animus per biennium exploraretur. Deinde S. Benedictum, *etſi probationis Novitiorum tempus ultra annum non protrahat, minime tamen vetare, ulterius protendi: quapropter in pleriſque congregationibus Benedictinis arctioris obſervantiæ fratrum converſorum probationi biennium impendi, & Monachos choro addictos aliquando juſtis de cauſſis ultra annum probari, illæſo S. Benedicti, ejuſque regulæ honore.* (7)

Qui vero S. Gregorium Ordini Benedictino vindicant, fundamentum ipſum ſententiæ Baronii convellere adnixi, ita diſputant, Regulam unam S. Benedicti in provincia Valeria viguiſſe, cum Valentius in ea Monaſterium regeret, teſte Fundano Abbate in epiſtola ad Simplicium Caſini Abbatem tertium a D. Benedicto, in qua ſcribit, eo tempore *omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum Italiæ provinciarum monaſteria*, dimiſſis peculiaribus regulis, Benedictinam ſervare decreviſſe.

Inſuper Gregorium, cum loco ſupra memorato dixit Valentium *in Valeria provincia ſuum Monaſterium rexiſſe*, voce illa *ſuum* ſignificare voluiſſe Monaſterium non ab Equitio, ſed ab ipſo Valentio conditum.

Ad hæc Bonifacium IV. in Synodo Romana, anno 610. ſexto poſt Gregorii mortem, adverſus eos, qui Sacerdotalibus muneribus Monachos arcebant, ita concludere ex opinione Mabillonii. *Si licuit Gregorio & Auguſtino Monachis ad Pontificatus apicem contendere, quia Benedictus Monachorum præceptor id ſuis non interdixit; conſequens* vi-

(7) Auctor Vitæ S. Gregorii lib. 1. cap. 3. pag. 208. tom. 4. Operum ejuſdem S. Gregorii edit. Monachorum e Congregatione S. Mauri.

videtur, utrumque ejus regulæ paruiſſe, ex cujus præſcripto quid ipſis licitum fuerit, expenditur. (8)

Joannem quoque Diaconum in Vita S. Gregorii lib. 4. cap. 80. & 82. probare, eumdem Gregorium ſectatorem fuiſſe S. Benedicti, tum ex forma baltei, qui in detectione corporis S. Gregorii, Gregorio IV. Pontifice facta, conſpectus eſt; tum ex vitæ genere, quod ſuo tempore Monachi in Anglia profitebantur. *Porro* ajebat, *in exilitate baltei, quæ unius pollicis menſuram numquam excedit, ſpeciem propoſiti regularis olim a S. Benedicto ſtatuti, cujus ipſe vitam deſcribens, in Dialogo regulam quoque laudaverat, tum ſervaſſe luce clarius manifeſtat... Quod vero Monachi, qui a Gregorio in Saxoniam miſſi,* (9) *S. Benedicti regulæ fuerint man-*

(8) Diſſertat. cit. cap. 10. pag. 508. Verba autem Bonifacii IV. habentur apud Gratianum XVI. quæſt. 1. cap. 25. & apud Labbeum tom. V. Conc. pag. 1618. *Sunt nonnulli fulti nullo dogmate audaciſſime quidem, zelo magis amaritudinis, quam dilectione inflammati, aſſerentes, Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per Sacerdotali officio divinitus injunctam poteſtatem. Sed omnino labuntur. Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ compar Sedis beatiſſimus Gregorius monachico cultu pollens ad ſummum nullatenus apicem conſcenderet. Quoniam quidem hæc oſtiatim fungendi, ligandi, ſolvendique poteſtas a Deo ſumma conceditur. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum prædicator egregius, ac Pannonienſis Martinus, cujus ſanctitatis fama longe lateque diffuſa totus perſonat mundus, alii quoque jam plurimi ſanctiſſimi pretioſiſſimo monachorum habitu fulgentes, nequaquam anulo Pontificali ſubarrarentur, ſi quia monachi fuerunt, prædicti uti probiberentur. Neque enim Benedictus Monachorum præceptor almificus bujuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor: ſed eos ſæcularium negotiorum edixit expertes fore ſolummodo.*

(9) *Saxoniam vocat Angliam, quod Germaniæ gentes duæ Angli & Saxones Magnam Britanniam junctis viribus perdomuiſſent.* Thomaſſinus de Vet. & Nova Eccleſiæ diſciplina Part. 1. lib. 3. cap. 24. §. 15. pag. 707.

mancipati, *inter alia etiam illud oſtendit*, *quod ex ipſius diſcipulis vix poteſt in illis partibus Monachus aliquis inveniri*, *a quo non obſervetur*, *tam in propoſito*, *quam in habitu regula Benedicti*.

Adverſus hæc reſpondent alii, epiſtolam Fundani Abbatis haud tanti eſſe faciendam, cum ejus auctoritas in dubium vocata fuerit. (10)

Item *parum intereſſe ad controverſiam dirimendam*, *ſive ſuum*, *ſive S. Equitii monaſterium rexerit Valentio*. *Quod Caſſianus lib.* 2. De inſtitutis Cœnobiorum *cap.* 2. *centum annis ante dixerat*; tot propemodum in Occidente typos & regulas ſe vidiſſe uſurpatas, quot monaſteria cellaſque conſpexerat: *hoc uſque ad illa Valentionis*, *& S. Gregorii tempora videtur obſervatum*, *ut fundatores cœnobiorum regulas ſuis monachis pro diverſitate morum atque ingeniorum diverſimodas præciperent*. *Ita S. Romanus*, *qui S. Benedicto in ſpecu Sublacenſi latitanti ſervivit*, in monaſterio ſub Theodati Patris regula degiſſe *traditur a S. Gregorio in S. Benedicti Vita ad XXI. Martii elucidanda*. (11)

A Bonifacio autem IV. in Romana Synodo Benedicti exemplo non indicari, Gregorium, & Auguſtinum *ejus regulæ paruiſſe*, ſed ipſis quoque aditum patuiſſe ad Eccleſiaſticas dignitates, quandoquidem nec Benedictus, religioſiſſimus Monachorum præceptor, ſuis prohibuit ad Pontificatum conſcendere. Præterea ibidem Benedictum a Bonifacio IV. commendari *ut præcipuum magiſtrum Monachorum*, *non horum*, *aut illorum*, *non aliquorum proprie ſuorum*, *ſed ſimpliciter Monachorum*: *quod omnia adhuc Monachis tunc communia eſſent*. *Hinc*

(10) Ab Antonio Gallonio in Libro Apologetico pro aſſertis in Annalibus Eccleſiaſticis De Monachatu S. Gregorii Papæ, adverſus Conſtantinum Bellottum Monachum Caſinatem.

(11) Bollandus die 12. Martii tom. 2. pag. 123. §. 3. num. 9.

Hinc & eodem Concilio nominari Gregorium Romæ, Benedictum Italiæ, Martinum Galliæ, Auguſtinum Angliæ, ut ſplendidiſſima lumina Monaſtici Ordinis, ſine ullo inter ipſos diſcrimine. Hinc ipſum Bonifacium IV. in epiſtola ad Ethelbertum Regem Angliæ, magnopere approbare ejus conſilium inſtituendæ Congregationis Monachorum in Cantuarienſi Monaſterio, quod olim conſtruxerat Auguſtinus: Monachorum regulariter viventium habitationem, Monachorum gregem. *Nec in mentem veniſſe illi exprimere, cujus Ordinis, & cujus regulæ profeſſores futuri eſſent illi Monachi. Hinc Bedam Monaſterii quidem Cantuarienſis, ab Auguſtino Gregorii diſcipulo conſtructi, mentionem feciſſe: ſed nec eo loco, nec ullo quovis alio vel regulam, vel inſtitutum B. Benedicti commemorare, cum ſexcentis locis de Monachis agat.* (12)

Denique, cum illa ſcriberet Joannes Diaconus, *elapſos fuiſſe trecentos annos a condito S. Gregorii monaſterio Romano, ejuſque in illo ſuſcepto monaſtico habitu: ante quod tempus maxime ſub Ludovico Pio Imperatore, relictis aliis inſtitutis, in pluribus monaſteriis regulam S. Benedicti aſsumtam fuiſse: & quæri poſse, an idem in Anglia factum fuerit. A variis multa in utramque partem congeri. In Concilio Epiſcoporum Angliæ anno* 747 *Cloveſhoviæ ſub Cuthberto Archiepiſcopo Cantuarienſi habito, plurima præſcribi Abbatibus & Abbatiſſis, atque eorum ſubditis* de moribus & habitu monaſteriali, & eorumdem honeſtate, lectionis ſtudio per ſingula monaſteria, ac vita regulari, *nulla S. Benedicti, ejuſque regulæ facta mentione.* (13) Joannem Diaconum *ſecutos eſse quotquot de* Gregorii *monaſtica diſtinctione ſcripſerunt Auctores recentiores*, ait Mabil-

(12) Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 3. cap. 24. §. 15. pag. 707.

(13) Bollandus loco memorato pag. 124. num. 11.

billonius in Diſſertat. De monaſtica Vita Gregorii Papæ I. part. 2. extremo cap. 10. Cum igitur Joannes Diaconus teſtis idoneus non habeatur, multo minus idoneos teſtes habendos eſſe ejus ſectatores, quos idem Mabillonius in medium adducit, ut S. Gregorium ſuum eſſe confirmet. Utriuſque autem partis rationes ejuſmodi eſſe, quæ diſputando huc illuc trahantur, nec ullam afferant perſuadendi neceſſitatem:

DISPUTATIO XVI.

De precibus S. Gregorii Magni pro Trajano.

S. Gregorius Magnus *perfectiſſimus & acceptabilis Deo Sacerdos, cum quodam die per forum Trajani, quod opere mirifico conſtat eſſe extructum, procederet, & inſignia miſericordiæ ejus conſpiceret, inter quæ memorabile illud comperiret: videlicet quod cum idem Orbis Princeps in expeditionem circumvallatus militum cuneis pergeret, ibidem obviam habuerit vetuſtiſſimam viduam, ſenio ſimulque dolore ac paupertate confectam, cujus lacrimis atque vocibus ſic compellatur:* Princeps piiſſime Trajane, ecce hic ſunt homines, qui modo mihi unicum filium, ſenectutis ſcilicet meæ baculum, & omne ſolatium occiderunt, meque una cum eo volentes occidere, dedignantur etiam mihi pro eo rationem aliquam reddere. *Cui ille feſtinato, ut res exigebat, pertranſiens:* Cum rediero, *inquit*, dicito mihi; & faciam tibi omnem juſtitiam. *Tum illa:* Domine, *inquit*, & ſi tu non redieris, ego quid faciam? *Ad quam vocem ſubſtitit, & reos coram ſe adduci fecit. Neque, cum ſuggereretur à cunctis accelerare negotium, greſſum a loco movit, quouſque & viduæ a fiſco, quod juridicis ſanctionibus decretum eſt, perſolvi pro re fecit, demumque ſupplicationum precibus & fletibus ſuper factis ſuis pœnitentes viſcerali clementia flexus, non tam poteſtate, quam precatu & lenitate vinctos prætorialibus catenis abſolvit. Hujus rei gratia compunctus venerabilis Pontifex cœpit lacrimoſis gemitibus ſecum inter verba precantia; hæc ſiquidem prophetica & Evangelica revolvere oracula:* Tu, Domine, dixiſti: Judicate pupillo, defendite viduam: & venite & *Iſa. I. 17.*

ar-

arguite me. *Et alibi*: Dimittite, & dimittetur vobis: ne immemor ſis, quæſo peccator ego indigniſſimus, propter nomen gloriæ tuæ, & fidiſſimæ promiſſionis tuæ in hujus devotiſſimi viri facto, pietati tuæ humiliter ſupplico. *Perveniensque ad ſepulcrum B. Petri, ibi diutius oravit & flevit, atque veluti ſomno correptus in extaſim eſt raptus: quo ſe per revelationem exauditum diſcit, & ne ulterius jam talia de quoquam ſine baptiſmate ſacro defuncto præſumeret petere, promeruit caſtigari.* (1) Hæc Paulus Diaconus in Vita S. Gregorii Magni, cap. 27. neminem compellans, a quo acceperit. Eadem narrat Joannes Diaconus in Vita ejuſdem S. Gregorii lib. 2. cap. 44. initio profeſſus, eadem *legi penes Anglorum Eccleſias*, ſubjiciens poſtea, Gregorii *precibus Trajani animam ab inferni cruciatibus liberatam, legi apud Saxones*. (2)

Sed

(1) *Si promeruit caſtigari*, quomodo exauditus fuit? Numquid Deus vota ejus audit, quibus promeretur, ut pœna a Deo afficiatur?

(2) Vita S. Gregorii tum a Paulo, tum a Joanne Diacono ſcripta habetur Tom. 4. Operum ejuſdem S. Gregorii edit. Monachorum pag. 14. & 59. 60.

Ex recentioribus *dixerunt alii, Trajanum ad vitam revocatum a S. Gregorio, & baptizatum, rurſumque vita functum abiiſſe in Cælum: Alii, non revixiſſe corpus, ſed clanculo animam a Gregorio baptizatam: alii nequaquam ab inferis liberatam, ſed pœnis, ut dicunt, alleviatam, atque ita fabulas fabulis addidere, ut ridiculum etiam illud demum ſit superadditum de Trajani cranio cum vivida adhuc lingua reperto, qua ipſam miſeriam deplorans, ad commiſerationem S. Gregorium commoverit, & ad preces pro ipſo ad Deum fundendas.* Baronius ad an. 604. §. 45.

Præterea, ut obſervat Joannes Nicolai in annotat. ad S. Thomam in Supplem. quæſt. 73. art. 5. ad 5.: *Sunt qui dicant, quod Gregorius mortaliter peccavit ſic orando, & propterea gravi capitis morbo per totam vitam vexatus eſt, quamvis obtinuerit, quod oravit. Quid abſurdius? an criminali & mortali oratione, qua meruiſſet ipſe damnationem, liberare*

da-

Sed Scriptorem utrumque refellit ipſe S. Gregorius. Nam lib. 7. epiſt. 15. ita ſcribit ad Gregorium Presbyterum, & Theodorum Diaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: *Agnovi, quod dilectio veſtra dixiſſet, Jeſum Chriſtum ad inferos deſcendentem omnes, qui illic confiterentur eum Deum, ſalvaſſe atque a pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo, ut Caritas veſtra longe aliter ſentiat. Deſcendens quippe ad inferos, ſolos illos per ſuam gratiam liberavit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. Conſtat autem, quia poſt Incarnationem Domini nullus etiam ex his ſalvari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent, quia ſcriptum eſt*: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. *Ad Tit. I. 16.* Poſtquam vero eos, qui aliter ſentirent, eſſe hæreticos aſſeruit, ſecutus Philaſtrium & Auguſtinum, ſubdit in hunc modum. *Hæc itaque pertractantes nihil aliud teneatis, niſi quod vera fides per Catholicam Eccleſiam docet: quia deſcendens ad inferos Dominus illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuit, quos viventes in carne per ſuam gratiam in fide & bona operatione ſervavit. Quod enim per Evangelium dicit*: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum, *Joan. XII. 32.* *omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum poſt mortem non potuit, qui ſe a Deo male vivendo ſeparavit.* Iſta Gregorius *cum doceat, quis adeo imprudens dixerit, tentaſſe ipſum precibus obtinere, quod nec a Chriſto ipſo ad inferos deſcendente fuiſſe factum aſſeruit, & ſecus ſentire eſſe hæreticum prædicavit?* (3)

Idem S. Gregorius lib. 34. Moralium cap. 19.

P &

damnatum potuerit? Sunt qui divino ad id inſtinctu motum dicant. Sed cur contra communem legem talis inſtinctus abſque ullo fingatur fundamento? An reprehenſus quod oraverit, ut indicatur ſupra, & inſtinctu divino ſic oravit?

(3) Baronius ad an. 604. §. 38.

& lib. 4. Dialog. cap. 44., ubi eadem repetit, quæ dixerat in Moralibus, eſt in ea ſententia *ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus impiiſque defunctis*. (4) Verus hic cum eſſet ſenſus Gregorii, quis eum credat pro Trajano infideli, atque impio tortore Chriſtianorum (5) oraſſe? Itaque ut Gregorii oratio, ita Trajani ab gehenna liberatio fabuloſa.

Eamdem ob cauſſam fabuloſa quoque habenda eſt narratio Pauli, & Joannis Diaconi, & flocci facienda eorum auctoritas, quippe auctoritati ipſius S. Gregorii contraria. Et vero Joannes ipſe Diaconus fatetur, ob teſtimonium S. Gregorii poſtremo loco recitatum *maxime dubitari* de liberatione ea. Quare fidem quærit narrationi ſuæ, ſimul *quia non legitur pro Trajano Gregorium exoraſse*, *ſed tantum fleviſse*; ſimul *quia non legitur Gregorii precibus Trajani anima ab inferno liberata*, *& in Paradiſo repoſita*: *ſed ſimpliciter dicitur ab inferni ſolummodo cruciatibus liberata*. *Quod videlicet poteſt videri credibile*, *quippe cum ita valeat anima in inferno exiſtere*, *& inferni cruciatus per Dei miſericordiam non ſentire*, *ſicuti unus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere*; *ſic per Dei*

(4) Utrobique Gregorius iiſdem ferme verbis quærit: *An ſemper ardeant*, *qui gehennæ incendiis deputantur*, concludens eos, qui ſemel illuc detruſi fuerint, afficiendos eſſe cruciatu ignis ſempiterno. Memorato loco Dialogorum hæc habet: *Omnipotens Deus ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur. Sed iniqui omnes æterno ſupplicio deputati*, *ſua quidem iniquitate puniuntur*, *& tamen ad aliquid ardebunt*, *ſcilicet ut juſti omnes & in Deo videant gaudia*, *quæ percipiunt*, *& in illis reſpiciant ſupplicia*, *quæ evaſerunt*, *quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ debitores ſe eſſe cognoſcant*, *quanto in æternum mala puniri conſpiciunt*, *quæ ejus adjutorio vicerunt*.

(5) Vide Diſputationem IX. De Martyrum multitudine in primævis Chriſtianorum perſecutionibus, & annotat. 6. ad S. Clementem I. Pontif. IV.

Dei juſtitiam cunctos non valet æqualiter exurere: Nam unuſquiſque quantum meruit culpa, juſto Dei judicio tantum ſentietur & pœna. Verum S. Gregorii rationes ac teſtimonia ex divinis litteris ab eo prolata contra Origeniſtas (6) non ſolum probant æternam damnatorum in inferno manſionem, ſed etiam exuſtionem: & fletus ac lacrymæ coram Deo fuſæ alicujus rei obtinendæ gratia, preces ſunt efficaciſſimæ: quod ipſe Joannes Diaconus imprudens ibidem docet hac ratione: *Sic enim cum non oraverit Gregorius, plangendo potuit exaudiri; ſicuti Moyſes cum dolendo taceret, potuit clamaſſe videri; cui Dominus tacenti labiis:* Quid clamas, *inquit*, ad me? *Nimirum Deus omnipotens corda reneſque ſcrutatur, & frequenter ea miſertus concedit, quæ homo quamvis ut carnalis deſiderat, tamen petere non præſumit. Unde Pſalmiſta:* Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: & deſideria cordis eorum audivit auris tua. (7) Hæc Joan- *Exod. XIV. 15.* *Pſal. X. 17.*

(6) Origeniſtæ, atque ipſe forſitan Origenes, negabant, æternam fore Dæmonum, & hominum impiorum damnationem.

(7) S. Gregorius lib. 22. Moralium cap. 17. num. 43. pag. 718.: *Vera poſtulatio non in oris eſt vocibus, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud ſecretiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Æternam etenim vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacemus. Si vero deſideramus ex corde, etiam cum ore conticeſcimus, tacentes clamamus. Hinc eſt, quod in eremo populus vocibus perſtrepit, & Moyſes a ſtrepitu verborum tacet: & tamen ſilens aure divinæ pietatis auditur, cum dicitur:* Quid clamas ad me? *Intus ergo in deſiderio eſt clamor ſecretus, qui ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum conditoris replet. Hinc eſt, quod Anna ad Templum pergens ore quidem tacuit, & tamen tot ſui deſiderii voces emiſit. Hinc in Evangelio Dominus dicit:* Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. *Clauſo quippe oſtio petit in cubiculo, qui tacente ore, in conſpectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abſcondito, cum* per *I. Reg. I. 13.* *Matth. VI. 16.*

Joannes Diaconus *in his multum laborans, ut dubium quod aſſerit factum, quoquo modo fieri potuiſſe demonſtret. Qui ſi de re geſta fortiora nanciſci teſtimonia potuiſſet, minime quidem prætermiſiſſet afferre, dum labantem molem nullo fundamento ſubnixam, ut potuit, ſtuduit ſuffulcire.* (8)

Neque vero Joannes Damaſcenus narratam ab Joanne Diacono hiſtoriam auctoritate ſua confirmat. Etenim Orationem *De iis, qui in fide dormierunt*, in qua mentio eſt tum de Falconilla precibus S. Theclæ, tum de Trajano precibus S. Gregorii ab inferno liberatis, (9) eſſe Damaſceno ſup-

per ſancta deſideria ſilenter clamatur. Unde recte quoque per Pſalmiſtam dicitur: Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.

S. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 37. §. 14.: *Ipſum deſiderium tuum oratio tua eſt: & ſi continuum deſiderium, continua oratio. Non enim fruſtra dixit Apoſtolus:* Sine intermiſſione orantes.... *Si non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare. Continuum deſiderium tuum continua vox tua eſt.*

(8) Baronius ad an. 604. §. 43.

(9) In citata Oratione ita habetur §. 16. pag. 590. & 591. tom. 1. edit. Lequien: *Gregorius Dialogus*, (ſic a Græcis vocabatur ſanctiſſimus & doctiſſimus Pontifex Gregorius ob Dialogorum libros, quos conſcripſit) *ſenioris Romæ Epiſcopus, cum per ſtratam viam aliquando graderetur, dedita opera conſiſtens intenſiſſimas preces pro Trajani delictorum condonatione ad animarum amantem Dominum fudit, moxque hujuſmodi vocem divinitus emiſſam audivit:* Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignoſco. Tu vero poſthac cave, ne preces mihi pro impiis offeras. *Quodque hoc verum ſit, atque ab omni criminatione alienum, totus Oriens, Occidenſque teſtatur. En hoc praſtantius eſt, quam quod de Falconilla refertur. Hæc enim nullius præter cultum idolorum ſceleris conſcia erat: hic contra plurimos martyres dirilſima morte affecerat.* De Falconilla differit ejuſdem Orationis Auctor ſuperiori §. 9. pag. 585.

Billius in ſcholiis ad eamd. orationem pag. 356.

Perperam *Oriens & Occidens, atque univerſus Orbis rei geſtæ teſtis adducitur, Nam Joannes Diaconus, qui ſub Joanne VIII. trecentis ferme poſt annis ab ipſo Gregorio vixit, ac ſcripſit* in.

ſuppoſitam, Damaſcenus ipſe demonſtrat. Siquidem lib. 2. De Fide Orthodoxa extremo cap. 4. *Sciendum*, inquit, *illud hominibus mortem præſtare, quod lapſus Angelis. Poſt lapſum enim nulla ipſis pœnitentia eſt; uti nec hominibus poſt mortem*. Et in Dialogo contra Manichæos §. 65.: *Poſt mortem vero nec converſionis, nec pœnitentiæ locus eſt: non quod Deus pœnitentiam non ſuſcipiat (neque enim ſe ipſum negare poteſt, nec miſericordiam ſuam abjicit) ſed conditio animæ eſt, quæ converti nequeat .... Sicut enim Dæmones poſt lapſum non reſipiſcunt, neque etiam Angeli nunc peccant, ſed utrique hoc habent, ut nulla in ipſos mutatio cadat; ſic homines poſt obitum converſionem nullam admittunt*. Quomodo ſententia hæc cum ejus opinione cohæreat, qui Orationem memoratam elucubravit, ut verbis utar Michaelis Lequien diſſertat. 5. ex Damaſcenicis §. 3., *non capio: niſi forſan ad abſolutam Dei potentiam confugiatur*. *His addò quæcumque alia Cl. Allatius* in Diatriba de Scriptis Joannis Damaſceni, *ſagaciſſimo prorſus criterio, a Damaſceni ſtylo, dictione, methodo, & ingenio in ea diſcrepare obſervavit, ut parentis alterius fœtus injuria nulla cenſeatur*. (10) *Quod quidem a Combefiſio olim approbatum obſervavi in præmonitionibus ad eam Orationem. Ceterum hic auctor,*

P 3 qui-

in Urbe vitam ipſius, ubi ad locum hunc devenit, ut narraret rem adeo celebrem, ſcriptoque firmatam, conſignatamque certis teſtibus poſteris eam relinqueret, hæſiſſe plane viſus eſt in ſalebris, dum nihil habuit, quod ad rem teſtandam ex Archivo Romano peteret, vel ex aliis Italiæ locis, aut Galliarum, Hiſpaniarumve, aut aliarum provinciarum Eccleſiis adducere poſſet: ſed migrandum ipſi fuit ad diviſos penitus toto Orbe Britannos, ex Anglicana, inquam, Eccleſia accerſere teſtes. Vides igitur hyperbolem illam de Occidentis & Orientis teſtificatione, ceu bullam levem inflatam vento, ſui inanitate diſruptam evanuiſſe. Baronius ad an. 604. §. 41.

(10) Multa huc pertinentia habet Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. II. Diſſertat. 1. pag. 317. & 318. tom. 3.

quicumque tandem ſit, ab erroris ſuſpicione liberari poſſit, propter illa, quæ S. Thomas pro ejus defenſione ſcripſit. (11)

Ex Pſeudo-Damaſceni Oratione, ut obſervat Jacobus Billius, *acceptam fabulam Græci tranſtulerunt in ſuum Euchologium*, (12) cui proinde haud major præbenda fides eſt: præſertim cum Græca Eccleſia, ex quo diſſociatur a Latina, in errores alios momenti longe majoris impegerit. Quamquam Euchologium editum a Jacobo Goar hæc generatim habet de pœnis inferni in *Officio funereo in*

(11) In I. Sent. diſt. 43. quæſt. 2. art. 2. ad 5. pag. 135. & in IV. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. ad 5. pag. 223.: *Dicendum, quod de facto Trajani hoc modo poteſt probabiliter æſtimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſſionem peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem a pœna, ſicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculoſe a mortuis ſuſcitati, quorum plures conſtat idololatras & damnatos fuiſſe. De omnibus enim ſimiliter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecundum præſentem juſtitiam propriorum meritorum: ſecundum autem ſuperiores cauſſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter diſponendum.*

Vel dicendum ſecundum quoſdam, quia anima Trajani non fuit ſimpliciter a reatu pœnæ æternæ abſoluta, ſed ejus pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, ſcilicet uſque ad diem judicii, nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per ſuffragia, quia alia ſunt, quæ lege communi accidunt, & alia, quæ ſingulariter ex privilegio aliquibus conceduntur: ſicut alii ſunt humanarum limites rerum, alia divinarum ſigna virtutum, *ut Auguſtinus dicit in lib.* De cura pro mortuis agenda cap. 16. §. 19.

Eadem repetit in Supplemento Tertiæ Partis quæſt. 73. art. 5. ad 5. Vide annotat. 17. ad S. Gregorium Magnum, Pontif. LXVI.

(12) In ſcholiis ad eamdem Pſeudo-Damaſceni Orationem pag. 356.

Verba Euchologii cap. 96. ſunt hæc apud Baronium ad an. 604. §. 46.: *Quemadmodum Trajanum per intentam ſervi tui Gregorii Dialogi interceſſionem flagro ſolviſti; exaudi etiam nos te orantes non pro idolorum cultore, ſed pro fideli ſervo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocarit.*

in *Sacerdotem vita functum* pag. 458: *Non eſt in inferis pœnitentia, nulla ibi relaxatio*: & pag. 460: *Verum judicium ibi plurimum, nec ullus inferno eripitur*. Quomodo igitur ab inferis liberatus Trajanus, ſi nulla in inferis eſt relaxatio, & nullus inde eripitur?

Tandem quæ a S. Brigitta, & Mathilde dicuntur de Trajano, nullo modo probant, eum ab gehenna liberatum. Nam Mathildes nihil affirmat, dum ait, *nolle Deum, ut ſciant homines, quid ipſe ſtatuerit de anima Trajani*. (13) Brigitta vero aſſerens illum *elevatum ad altiorem gradum*, haud clare aperit ſententiam ſuam. (14)

(13) In Annalibus Baronii ad an. 604. §. 46.

(14) Lib. 4. Revelationum cap. 13., ubi *hiſtoriam de Trajani ab inferis liberatione admittendam eſſe*, contendit Durantus Epiſcopus Feretranus.

Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. ult. §. 15.: *Quæres quarto, quid dicendum ſit de revelationibus privatis a Sede Apoſtolica approbatis, ex. gr. B. Hildegardis, & ſanctarum Brigittæ, & Catharinæ Senenſis. Porro* lib. 2. cap. 32. num. 11. *diximus, prædictis Revelationibus, etſi approbatis, non debere nec poſſe a nobis adhiberi aſſenſum Fidei Catholicæ, ſed tantum fidei humanæ juxta regulas prudentiæ, juxta quas prædictæ Revelationes ſunt probabilès & pie credibiles*.

Idem Auctor eodem lib. 3. cap. 10. §. 6.: *Joannes Diaconus trecentis poſt S. Gregorium Magnum annis vixit, &* in ejus Vita lib. 2. cap. 44. *narrat, ejus precibus animam Trajani Imperatoris fuiſſe a pœnis inferni liberatam, de qua etiam plura habentur apud Durantum* in Notis ad cap. 13. libri 4. Revelationum S. Brigittæ. *Porro nec Anaſtaſius Bibliothecarius, nec Marianus Scotus, nec Ado, nec Beda S. Gregorii ſtudioſiſſimus hanc narrant hiſtoriam, eamque propterea tamquam fabuloſam rejiciunt Baronius* ad an. 604. §. 30., *Bellarminus* lib. 2. De Purgatorio cap. 8., *Capiſuccus* in Controverſiis Theologicis ſelectis, Controverſia 7., *Melchior Canus* lib. 11. De locis cap. 2., *aliique plures: & merito; cum antiquorum ſilentium vim quoque a materia recipiat: credit enim Eccleſia, pœnas inferni eſſe æternas, idque efficit, ut exemtio ab hac lege ſi alicui a Deo conceſſa dicenda ſit, Eccleſiæ ipſius teſtimonio*

Baronius tamen has revelationes rejicit tamquam pugnantes inter ſe. Pugnat enim traditum S. Brigittæ, *precibus S. Gregorii Trajani animam allevatam*, Mathildi autem, *nolle Deum, ut ſciant homines de anima Trajani quid factum*. (15)

nio debeat comprobari, ſicut ad rem bene annotavit Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæculi II. Differt. I. Itaque præclare ab S. Auguſtino dicitur, Contra epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamenti cap. 5. §. 6.: *Ego Evangelio non crederem* (nedum revelationibus) *niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Joannes Albertus Fabricius Bibliothecæ Latinæ tom. I. lib. 2. cap. 22. pag. 479.: *Hujus fabulæ non puduit Apologiam ſcribere* Alphonſum Ciacconium *ſingulari diatriba*, Franciſcum de Mendoza *lib. 2. de floribus ſacris, Problemate 6.* Alphonſum Salmeronem T. 14. diſp. 27. &c. *ſed eam merito rident* Alphonſus Toſtatus, Dionyſius Carthuſianus, Dominicus Soto, Franciſcus Suarez *apud* Georgium Calliſtum *De bono perfecte ſummo pag. 66. quibus adde* alios, quos Fabricius memorat ibidem, & tom. 2. lib. 2. cap. 22. pag. 761. & 762.

(15) Baronius ad an. 604. §. 47.

Scribitur in Actis S. Perpetuæ apud Ruinartum §. 8. pag. 84. illa orante fratrem ejus Dinocratem *tranſlatum eſſe de pœna*. At S. Auguſtinus lib. 1. De anima & ejus origine cap. 10. §. 12. dicit, *nec Scripturam illam canonicam eſſe, nec* S. Perpetuam *ſic ſcripſiſſe*. Vide Eſtium Comment. in Libros quatuor Sententiarum lib. 4. diſtinct. 46. extremo §. 2. tom. 2. part. 2. pag. 228. & 229. Ruinartum loco citato, & Auctorem Vitæ S. Gregorii, quæ exſtat tom. 4. Operum ejus, lib. 3. extremo cap. 10. §. 10. pag. 275.

S. Auguſtinus Epiſt. 82. alias 19.: *Ego ſolis Scripturarum Libris, qui jam* Canonici *appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos Scriptores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Eadem ſunt apud Gratianum Diſt. 9. Cap. *Ego ſolis* 5.

DIS-

DISPUTATIO XVII.

De S. Gregorio II. contra Leonem Iſaurum.

ANno Chriſti 717., cum S. Gregorius II. annum jam tertium regnaret, Leo Iſaurus Orientis Imperium occepit. Ne quid prætermitteret, quod Catholici Imperatores præſtare ſolerent, Fidei ſuæ orthodoxam confeſſionem miſit ad Pontificem; & ab Germano Conſtantinopolis Patriarcha coronandus, ipſo exigente, juravit, ſe Catholicam Fidem ſervaturum integram illibatamque. Verum qui Catholicus ab omnibus habitus fuerat, haud multo poſt, anno ſcilicet 726. apparuit hæreticus Iconoclaſta, bellumque nefarium ſanctis imaginibus, earumque cultoribus inferens, edicto promulgato, ſigna & ſimulacra Chriſti, Deiparæ, & omnium Sanctorum deleri ac disjici juſſit. Furentis & atrociter graſſantis Leonis impetum conſtantiſſime excepere Gregorius II., Germanus Patriarcha, & Joannes Damaſcenus, eumque ab nefariis cœptis revocare conati ſunt. At omnis eorum conatus inanis atque irritus fuit. Namque tantum abfuit, ut Imperator reſipiſceret, ut etiam Damaſcenum malis artibus perdere tentaret, Germanum de Epiſcopatu dejectum & alapis cæſum mitteret in exilium, & Anaſtaſium *Syncellum* (1) hæreticum Ico-

(1) *Syncellus idem eſt, quod Concellaneus, ejuſdem cellæ incola, contubernalis, commenſalis. Ita κατ' ἐξοχὴν dicebatur Clericus, qui in Patriarchæ domo, ipſi miniſtrandi cauſſa, habitabat, & ideo plerorumque negotiorum ad Patriarcham ſpectantium conſcius erat. In memoriam Lectori revocandum eſt, Patriarchas, ut & pleroſque Epiſcopos, e Monachis eligi ſolitos. Unde ad Patriarchejum tranſlati aliquos ſibi adſciſcebant Mo-*

Iconomachum in ejus locum ſubrogaret. Gregorio ipſi II. per ſuos Exarchos & Duces (2) aliosque miniſtros inſidiatus eſt, ac ſimul Pontificatu, ſimul vita privare curavit. *Cognita vero Imperatoris nequitia omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolim ducerent. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex ſperans converſionem Principis.* (3) Itaque Gregorius mitius cum Leone agens, dogmaticis humaniſſimis epiſtolis eum ſtuduit ab impietate revocare. (4) Sed *cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam.* (5) Etenim barbarus Imperator contra jus Gentium Legatos, per quos Pontifex epiſtolas miſerat, carcere incluſit, & in exilio mori coegit, (6) ac Pontificis exitio imminere, inque ſa-

Monachos, cum quibus vitam Monaſticam colerent, quibus ideo in Patriarchejo cellas concedebant. Eorum ſemper aliquis, utpote præ ceteris induſtrius, & in rebus gerendis acer, familiarius cum Patriarcha verſabatur, ipſique erat ab intimis conſiliis. Quapropter ceteris propius ad Patriarcham accedebat, & habebatur veluti Patriarchæ contubernalis. Hinc Monachi συνάδελφοι *confratres dederunt illi* Syncelli Συγκέλλυ *nomen, quaſi cellæ Patriarchalis ſocium.* Joannes Morinus De Sacris Ordinationibus part. 2. pag. 201. & 202. Vide Ducangium in Gloſſario verbo *Syncellus*.

(2) Vide annotat. 3. ad Joannem III. Pont. LXIII.

(3) Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Gregorii II. tom. 1. pag. 169.

(4) Exſtant apud Baronium ad an. 726. §. 28. & apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 7. & 23.

Nicolaus Alemannus in Diſſertat. de Lateranenſibus Parietinis cap. 15. pag. 61. *Neque a recta Fidei ſententia aberrantes licet Græcorum Cæſares Eccleſia Romana ſtatim proſcripſit, vel deſeruit; ſed modo libertate litterarum, modo Legationum auctoritate, modo publicis Synodorum congreſſionibus ab errore illos deterrere & ad veritatem allicere ſtuduit annos perpetuos quinque & ſeptuaginta.*

(5) Eccleſiaſtici Cap. XXII. 9.

(6) Nicolaus I. epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 296. & Harduinum tom. 5. pag. 147.

Digitized by Google

ſacrarum imaginum cultores ſævire perſeveravit. Quamobrem Gregorius, cum per annos quinque modo hortationibus ac precibus, modo minis ac terroribus illum ad bonam frugem reducere conatus eſſet, nec ulla adhuc affulgeret ſpes reſipiſcentiæ, extrema meditari remedia cœpit. Itaque congregato Epiſcoporum Concilio, (7) damnatis Iconomachis, cultuque imaginum ſacrarum confirmato, Anaſtaſium tamquam hæreticum, & Conſtantinopolitanæ Sedis invaſorem anathematizavit: poſtea expoſitis Leonis ſceleribus, crudeliſſima ejus in Catholicos perſecutione, & inſidiis, quas ſibi extruxerat, commemoratis, ipſum non modo tamquam non Catholicum, ſed etiam ut Catholicis infenſiſſimum, a piorum communione removit, & *Romanum Senatum, Italiamque Sacramento liberavit*. (8)

Sententiam hanc eruditiſſimi Cardinales Baronius, Bellarminus, & Sfondratus confirmant auctoritate Theophanis, Cedreni, Zonaræ, & aliorum. (9) Ac Theophanes quidem *homo Græcus, idemque ſanctus Gregorii factum quod hodie Catholicæ Fidei deſertores adeo deteſtantur, ſumma cum ejus laude narravit* (10) his verbis: *In veteri Roma vir undequaque ſacer & Apoſtolicus, Petri Apoſtolorum Coryphæi confeſſor, eruditione præclariſque facinoribus clarebat Gregorius, qui Romam atque Italiam, totumque Occidentem a Leonis obedientia* tam

(7) De quo Baronius ad an. 726. §. 21. & ad an. 730. §. 5. & Labbeus tom. 6. Conc. pag. 1460.

(8) Nicolaus Alemannus De Lateranenſibus Parietinis, cap. 15. pag. 61. Vide annotat. 10. ad diſſertat. 18.

(9) Baronius ad an. 726. §. 24. & 26. & ad an. 730. §. 5. Bellarminus lib. 5. De Rom. Pont. cap. 8. & De poteſtate ſummi Pontificis in rebus temporalibus cap. 4. Sfondratus in Gallia Vindicata diſſertat. 2. §. 2. pag. 399. In eadem ſententia eſt Sigonius lib. 3. Hiſtoriarum de regno Italiæ ad an. 726. pag. 102.

(10) Nicolaus Alemannus loco citato.

tam civili, *quam Eccleſiaſtica*, *& ab ejus imperio ſubtraxit*. Cedrenus ita de Gregorio II. ſcribit: *Is a Leone ob ejus impietatem defecit*, *& pacto cum Francis icto*, *tributa Leoni denegavit*. Zonaras vero: *Hac*, inquit, *de cauſſa Gregorius*, *qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat*, *repudiata ſocietate Pontificis novæ Romæ*, *nec non eorum*, *qui illum ſequerentur*, *illos una cum Imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit*, *& vectigalia*, *quæ ad id uſque tempus Imperio inde pendebantur*, *inhibuit*, *icto cum Francis fœdere*. (11) Hæc de Græcorum Imperatore, & Romano Pontifice Græci Scriptores teſtantur.

Illa autem, quæ ex ipſius Gregorii II. epiſtolis, Paulo Diacono, Anaſtaſio Bibliothecario, geſtis Gregorii III. & Scripturis divinis contra dicuntur a Natali Alexandro, (12) poſſunt ſingula diſſolvi.

Gregorius II. epiſt. 1. loquitur ad hunc modum: Scis *Imperator*, *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſſe*, *ſed Pontificum*, *quæ tuto debent dogmatizari*. *Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abſtinentes*: *& Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant*, *& quæ ſibi commiſſa ſunt capeſſant*... *Ceſſa & quieſce*, *tum Synodo minime opus erit*. Subjicit deinde, nonnullos Occidentis populos, audito, ſacras imagines Leonis juſſu tolli, ſeditionem feciſſe, & novos

(11) Theophanes in Chronographia pag. 272.

Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum pag. 360. Zonaras lib. 15. Annalium tom. 2. §. 4. pag. 82.

Sigibertus in Chron. ad an. 731. inter Scriptores Rerum Germanicarum Piſtorii tom. 1. pag. 771. *Gregorius Leonem Imperatorem erroris redarguit*, *& populum Romanum*, *& vectigalia Heſperiæ ab eo avertit*.

(12) Diſſertat. 1. in Hiſt. Eccl. ſæculi VIII. tom. 5. pag. 733. A Natali Alexandro non diſſentit Launojus epiſt. 7. lib. 7. pag. 456. tom. 5. part. 2.

vos Magiſtratus veteribus ſubſtituiſſe: numquam vero dicit, ſe probaſſe ſeditionem illam, aut prohibuiſſe, ne Itali tributa Leoni Iſauro ſolverent. Ita Gregorius epiſtola I: in altera vero: *Quemadmodum*, inquit, *Pontifex introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi: ſic nec Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi:* deinde ſe *inermem* & *nudum* profitetur; denique *invocandum duntaxat Deum eſſe ſignificat, ut quod apud B. Paulum Corinthio inceſtus reo contigit, Imperatori contingat*. (13) Quomodo hæc Gregorius ſcripſiſſet, ſi tributorum ſolutionem Leoni ab Italis fieri ſolitam inhibuiſſet, aut inhibere decreviſſet?

An non vides, epiſtola I. ab Gregorio coargui Leonem, quod vellet de Eccleſiæ dogmatis decernere, cum id facere non ad ipſum, ſed ad Pontificem pertineret, ac propterea Gregorium e veſtigio ſubjicere; quemadmodum Pontifices non immiſcerent ſe negotiis Reipublicæ; ita debere Imperatores abſtinere ſe ab negotiis Eccleſiæ? Non ſcribit autem, ſe Italorum ſeditionem probaſſe, quia re vera non probaverat, imo ſedare curaverat. Nondum enim *claruerat Imperatoris malitia*, (14) ideoque ſperabat, illum humaniſ-

(13) Natalis Alexander Diſſert. 1. in Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. tom. 5. pag. 734.
Gregorii II. epiſtola I. eſt apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 18. epiſtola II. pag. 26. & 27.

(14) Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Gregorii II. tom. I. pag. 172.
Leo Iſaurus Imperium iniit anno Chr. 716. Gregorius circa annum 727. ita ad eum ſcripſit, ut eſt apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 10. *Decem annos Dei benignitate recte ambulaſti, neque ſacrarum imaginum mentionem feciſti, nunc autem* (anno videlicet 726.) *eas dicis idolorum locum implere, atque illos, qui eas venerarentur, idololatras eſſe, teque ad eas evertendas penituſque delendas convertiſti*. Anno igitur 726. Leo apparere cœpit Iconomachus. Ab anno 727. ma-

niſſima hac epiſtola permotum ad mentis ſanitatem reverſurum.

In altera autem epiſtola veriſſime dictum eſt a Gregorio, Pontifices non habere poteſtatem *deferendi dignitates regias*, (15) eas videlicet, quas de-

jori malitia innotuit, ſacras imagines ex templis ſuſtulit; atque combuſſit, principes Cives ſuæ impietati contrarios obtruncavit, ſacrorum Antiſtites exilio ac morte affecit, referente Paulo Diacono lib. 6. de geſtis Langobardorum cap. 49. Anno autem 730. ſub finem Pontificatus Gregorii II. ea contigere, quæ Græci Hiſtorici Theophanes, Cedrenus, Zonaras, atque ex his Baronius ad an. 726. §. 24. & 26. & ad an. 730. §. 5. commemorat.

(15) Sfondratus in Gallia Vindicata Diſſertat. 2. §. 2. pag. 403. & 404. Maimburgo hunc ipſum Gregorii II. locum objicienti reſpondet hoc modo: *Nos ipſi concedimus, nullam eſſe Pontifici Romano in Reges ordinariam & directam poteſtatem; nec ex iſtius arbitrio deſerri Regna, ſed vel ſucceſſione, vel electione; vel jure belli; aliove legitimo titulo; & quamvis in aliquo caſu & indirecte, rebuſque in arcto ſtantibus etiam hoc Pontifici competat; hæc tamen rara & indirecta, mereque contingens poteſtas non denominat ſubjectum, nec ab ea dicimur aliquid poſſe: ſic dicimus non poſſe Eccleſiaſticos nubere, non poſſe Principes alieno juri derogare, non poſſe carnes Sabbato comedi, & mille alia, quæ abſolutam, certiſque circumſtantiis adſtrictam poteſtatem non excludunt; & hanc ipſam Pontifici permiſſam ex Gregorii litteris deducas. Nam in prima ad* Leonem *imperatorem* (apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 19.) *hæc habet*: Scire aurem debes ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Romæ exſtiterint; conciliandæ pacis cauſſa ſedere tamquam parietem integerrimum, ſeptumque medianum Orientis, & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores eſſe. *Et epiſtola ſecunda* (apud eumdem Labbeum pag. 27.) Et nos culpam peccati recipimus, ut qui poteſtatem a Deo receperimus terrena cæleſtiaque ſolvendi atque ligandi. *Ubi vides, Poteſtatem Pontificiam non ad cæleſtia ſolum & ſpiritualia, ſed etiam terrena & temporalia proferri, quando videlicet neceſſitas poſtulat. Sed præſertim ex illis verbis argumentari licet, quibus* ut Imperatori in Eccleſias & Clericorum electiones; ita Pontifici in Palatia; Regeſque nullum eſſe jus dicit. *At vero ſi Clerus Epiſcopum aliquem hæreſi imbutum, aut perduellem elegit, quique Eccleſiam vaſtet, quis dubitat, ſi alia remedia abſint, nec periculum mo-*

deferre pertinet ad Reges : ſicut non poteſt Imperator, ſeu Rex alicui conferre dignitates, quas huic vel illi concedere ſpectat ad Pontificem. Ibi ſiquidem totus in eo Gregorius eſt, ut oſtendat diſcrimen, quod inter Pontificem & Imperatorem intercedit, doceatque debere utrumque aſſignato ſibi a Deo munere fungi, nec poſſe Pontificem jura Imperatoris, nec Imperatorem jura Pontificis ſibi uſurpare. Uſurpaverat autem ſibi jura Pontificis Leo, cum edictum de tollendis imaginibus ſacris promulgavit, ſcripſitque ad Gregorium, ſe Imperatorem eſſe & Sacerdotem. Quare Gregorius reſcripſit, dogmata non eſſe Imperatorum, ſed Pontificum, neque Imperatoris eſſe novi aliquid de Fide ſtatuere, ſed quæ decreta a Pontificibus fuiſſent; diligenter tueri ac defendere. Neque vero Gregorius ſe *inermem* & *nudum* appellavit, quod ſibi Leonis anathematizandi ac tributis privandi poteſtas non eſſet, ſed quod armis & copiis careret, quas contra ipſum mit-

moras patiatur, poſſe Imperatorem, tamquam Eccleſiæ advocatum, prohibere, ne is eligatur, aut electum Regno & Eccleſia arcere? nec pauca ſunt hujus rei exempla. Si ergo id natura ipſa, ac neceſſitas Eccleſiæ defendendæ Principibus conceſſit, quanto magis Pontifici in Principes, & Regna? cum nihil magis Eccleſiæ noceat, exponatque ruinæ ut hæreſis coronata; ſi enim tot illa clades & ærumnas excitavit inermis & abjecta, quid faciet armata, regnanſque? & experientia plus ſatis docuit, ex Principum religione etiam ſubditorum religionem fidemque pendere. Ceterum cum extincto Martello; & Pippino necdum noto; aut rerum potito auxilium a Francis ceſſaret, & Græci Exarchum adhuc in Italia, & Siciliam Calabriamque obtinerent, Langobardi vero hæreſi & armis graſſarentur, ac Romæ imminerent, non deſtitere Romani Pontifices Gregorius *vid.* II. Gregorius III. Paulus, Stephanus, Zacharias, Hadrianus, *aliique apud Græcos Imperatores litteris ac legatis agere, ut in ſinum Catholicæ Eccleſiæ redirent, & Romam, Italiamque a Langobardis tuerentur: cum tandem rebus omnibus deſperatis Pippinus, & Carolus ſubvenere, Imperio Græcis adempto.*

mitteret. Quid enim? *Perſequeris nos*, inquit, *& tyrannice vexas militari carnalique manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in Cœlis, Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum, ut immittat tibi Dæmonem, ſicut ait Apoſtolus:* Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit. (16) Poteſtne quidquam dici clarius? Nonne aſſerit, ſe traditurum eum Satanæ, hoc eſt anathemate innodaturum, ac proinde effecturum, ne ipſi amplius tributa ab Italis conferantur? Subjecti enim populi non tenentur obtemperare hæretico Principi ab Fidelium communione per ſententiam Pontificis ſegregato, ſed poſſunt ab ipſo deficere, præſertim ſi poteſtate ſua abutatur ad religionem labefactandam. (17) Id quod præſtitit Leo Iſaurus, qui ſacrarum imaginum uſum & cultum abolere conatus eſt emiſſo edicto, & perſecutione ſæviſſima in earum cultores excitata. Hanc eſſe veram & germanam Gregorii II. ſententiam facile cognoſcet, qui ejus epiſtolas legere non gravabitur.

Porro Paulus Diaconus, & Anaſtaſius Bibliothecarius narrantes, Gregorium II. compeſcuiſſe conſilium & motus Italorum, qui a Leone defice-

(16) Epiſt. I. ad Corinthios cap. V. 5.
(17) S. Thomas 2. 2. quæſt. 12. art. 2. *Eccleſia infidelitatem illorum, qui fidem ſuſceperunt, poteſt ſententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod ſubditis Fidelibus dominari non poſſunt. Hoc enim vergere poſſet in magnam Fidei corruptionem, quia, ut dictum eſt;* Homo apoſtata pravo corde machinatur malum, & jurgia ſeminat, *intendens homines ſeparare a Fide. Et ideo quam cito aliquis per ſententiam denuntiatur excommunicatus propter apoſtaſiam a Fide, ipſo facto ejus ſubditi ſunt abſoluti a Dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.*

cere meditabantur, (18) deſcribunt primas Italorum ſeditiones, quas Gregorius ſtudio paterno & Sacerdotali auctoritate ſedavit, ut ſibi furentis Leonis animum conciliaret. Hoc tamen nihil obſtat, quominus poſtea Gregorius Leonem, quem nec admonitionibus, nec beneficiis abducere potuit ab impietate, percuſſerit anathemate, atque Imperii parte multaverit, Italis, quos antea in officio continere ſtuduerat, jurisjurandi religione ſolutis, ne ei tamquam pertinaci in repugnando, & Catholicis inſectandis tributa ſolverent. Ego quidem exiſtimaverim, Gregorium II. eo alacriori animo inſurrexiſſe adverſus Leonem obſtinate manentem in incepto, quo majori erga ipſum humanitate uſus antea fuerat: tantoque libentius in reum animadvertiſſe, quanto magis neceſſaria erat animadverſio, ut reſipiſceret, & ad ſe tandem aliquando rediret.

At Gregorius III. proximus Gregorii II. ſucceſſor Leonem ut Imperatorem agnovit, humaniſſimis litteris curavit deducere ab errore; & in illis, quos ab communione Chriſtianorum ſemovit, non numeravit: quod certe feciſſet, ſi ejus deceſſor eumdem anathematizaſſet; nec Italiæ populi ad illum *pro erigendis imaginibus ſupplicationum ſcripta unanimiter direxiſsent*, (19) ſi an-

(18) Paulus Diaconus lib. 6. De geſtis Langobardorum cap. 49. tom. I. Scriptor. Rer. Italic. pag. 506.: *Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim Sanctorum imagines depoſitas incendit. Romano quoque Pontifici ſimilia facere, ſi Imperialem gratiam habere vellet, mandavit, ſed Pontifex hoc facere contemſit. Omnis quoque Ravennæ exercitus, vel Venetiarum talibus juſſis uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.*
Eadem habet Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Gregorii II. tom. 1. §. 184. pag. 169.

(19) Anaſtaſius in Vita Gregorii III. §. 191. & 193. tom. 1. pag. 174. & 175.

antea ei vectigalia pendere recuſaſſent. Pulcre enimvero. Sed quid inde ad rem noſtram? An ignoras, Leonem, etiam poſtquam anathemate confixus eſt, ac multatus tributis Italorum, Orientis Imperatorem eſſe non deſiiſſe? An non meminiſti, nos aſſerere non toto Leonem Imperio, ſed Imperii parte duntaxat privatum? Quidni igitur Gregorius III. illum haberet pro Imperatore? Quidni etiam ad illum ſcriberet, & ad pravam, quam animo imbiberat, opinionem deponendam hortaretur, & deceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens benignum ſe ac mitem ei primum præberet, ut hac ratione eidem errorem eriperet? Haud equidem dubitaverim, id eo conſilio feciſſe Pontificem, ut Imperator paternis ſuaſionibus permotus ad meliorem mentem reverteretur. Sed non modo epiſtolas humanitatis & amoris plenas non accepit æquo animo: verum etiam Gregorium Presbyterum & Conſtantinum Defenſorem, (20) qui eas Conſtantinopolim detulerant, per annum detinuit in cuſtodia, & Romam injuriis affectos remiſit.

Ideo autem Gregorius nominatim non recenſuit Leonem inter ſegregatos ab Eccleſiæ communione, quia in ea Synodo neminem anathemate damnavit nominatim, ſed univerſe tantum cavit, *ut ſi quis deinceps antiquæ conſuetudinis & Apoſtolicæ Eccleſiæ tenentes fidelem uſum contemnens, adverſus eamdem venerationem ſacrarum imaginum..*

(20) Defenſores erant Clerici Eccleſiæ Romanæ, qui id habebant operis ac muneris, ut pauperum præſertim atque Eccleſiarum defenſionem ſuſciperent, & commodis eorum conſulerent, ipſius Romanæ Eccleſiæ patrimonia in diverſis provinciis poſita curarent, legationes obirent, de rebus & perſonis Eccleſiaſticis judicarent. Defenſores ſeptem *Regionarios* inſtituit S. Gregorius Magnus lib. 8. epiſt. 14. Vide Baronium ad an. 598. §. 16. & Ducangii Gloſſarium.

num . . . depoſitor atque deſtructor , & prophanator vel blaſphemus exſtiterit , ſit extorris a Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti , vel totius Eccleſiæ unitate atque compage . (21) Gregorius igitur III. epiſtolis, legationibus, Conciliis Leoni Iſauro reſtitit , qui magis exacerbatus ac furens *patrimonia ſanctorum Apoſtolorum ab Siculis & Calabris* pendi ſolita *in publicum ærarium conferri juſſit* . (22)

Ad extremum miſerunt quidem Itali ad Leonem ſupplices libellos pro erigendis imaginibus; verum *fere per octo menſes detenti* , *remiſſi ſunt ſimiliter cum exprobrationis injuria portitores* . (23) Quid ita ? quia videlicet , ut captus meus eſt , Gregorii II. auctoritate Itali a Leone jam defecerant .

Hic vero negatur , Gregorium II. auctorem fuiſſe Italis, ut ab Imperatore deſciſcerent . Quis enim ſibi perſuadeat , Pontificem , qui *erat divinæ Scripturæ eruditus* , (24) violaſſe mandatum illud Chriſti Domini : *Reddite ergo* , *quæ ſunt Cæſaris* , *Cæſari* ; (25) repugnaſſe D. Paulo ſcribenti : *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* , (26) *reddite ergo omnibus debita* , *cui tributum* , *tributum* , *cui*

Q 2

(21) Anaſtaſius in Vita Gregorii III. tom. 1. §. 192. pag. 175.

(22) Theophanes in Chronographia pag. 263. edit. Venetæ. Vide Muratorii Antiquitates Italicas medii ævi tom. 5. diſſert. 69. pag. 798.

(23) Anaſtaſius in Vita Gregorii III. tom. 1. §. 193. pag. 175.

(24) Anaſtaſius in Vita Gregorii II. tom. 1. §. 177. pag. 163.

(25) Apud Lucam in Evangelio cap. XX. 25.

(26) *Quam ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reverentia ſummæ & Apoſtolicæ Sedi , & Beati Petri Vicario , ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio* . S. Bernardus epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum.

Sym-

cui vectigal, *vectigal* : item repugnaſſe S. Petro : *Subjecti eſtote omni Creaturæ propter Deum*, *ſive Regi quaſi præcellenti*, *ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ?* (27) Næ ille divinarum litterarum maxime ignarum Gregorium II. facit, qui eum contendit, Leone Iſauro tributis Italiæ multato, recitata Scripturæ præcepta violaſſe. Ergo Gregorius ignoraverit, illud Chriſti juſſum : *Reddite*, *quæ ſunt Cæſaris*, *Cæſari*, intelligi de Cæſare legitime imperante ? (28) Ergo compertum ipſi non fuerit, generales illas ſententias ita eſſe accipiendas, ut ſignificent, tamdiu *Regibus*, *Principibus*, *Magiſtratibus*, *& reliquis*, *quorum poteſtati ſubjicimur*, obtemperandum eſſe, quamdiu ea præcipiunt, quæ Catholicæ Fidei, & religioni ac pietati in Deum non repugnant ? & *ſi quid im-*

Symmachus epiſt. 6. apologetica adverſus Anaſtaſii Imperatoris libellum famoſum apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1298. & apud Baronium ad an. 503. §. 25. *Fortaſſis dicturus es*, *ſcriptum eſſe* : Omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere. *Nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus*, *donec contra Deum ſuas erigunt voluntates*. *Ceterum ſi omnis poteſtas a Deo eſt*, *magis ergo quæ rebus eſt præſtituta divinis*. *Defer Deo in nobis*, *& nos deferemus Deo in te*. *Ceterum ſi tu Deo non deferas*, *non potes ejus uti privilegio*, *cujus jura contemnis*.

D. Thomas in Epiſt. ad Rom. cap. 13. Lect. 1. *Quidam Fideles in primitiva Eccleſia dicebant*, *terrenis poteſtatibus ſe ſubjici non debere propter libertatem*, *quam conſecuti erant a Chriſto*, *ſecundum illud Joan.* 8. Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis. *Sed libertas per Chriſtum conceſſa*, *& libertas ſpiritus*, *qua liberamur a peccato & morte* . . . *Caro autem adhuc remanet ſervituti obnoxia*, *ſicut ſupra 7. dictum eſt*. Adverſus iſtos ajebat Paulus : *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*.

(27) S. Paulus ad Rom. cap. XIII. 7. S. Petrus epiſt. 1. cap. II. 13.

(28) S. Joannes Chryſoſtomus hom. 71. in Matth. pag. 613. *Tu vero cum audias reddenda eſſe Cæſari*, *quæ ſua ſunt* ; *illa ſolum dici non dubita*, *quæ pietati ac religioni nihil officiunt*. *Nam quod Fidei ac virtuti obeſt*, *non Cæſaris*, *ſed Diaboli tributum & vectigal eſt*.

improbe, ſi quid impie imperent, cum id non ex poteſtate, ſed ex injuſtitia atque animi perverſitate agant, omnino non eſſe audiendos? (29) Improbe autem atque impie imperabat Leo imagines ſacras tolli: Profecto hunc eſſe verum ac germanum citatæ Scripturæ ſenſum, nemo niſi qui præjudicatæ opinionis tuendæ ſtudio cœcus eſt, vel primo intuitu non videt. *Quid igitur explicata implicas, & evoluta convolvis; ut ingeniis tardioribus, qualia in hominibus plura ſunt, videaris dicere aliquid, cum dicas nihil?* (30)

(29) Catechiſmus Romanus De quarto Præcepto cap. 5. §. 15. & 16. atque adeo *ipſa Eccleſia, cujus doctrina cenſenda eſt, quæ in illo Catechiſmo traditur*, ut ait ipſe Natalis Alexander in Theologia Dogmatica lib. 2. De Sacramento Pœnitentiæ art. 6. pag. 433. edit. Venetæ an. 1734.
S. Gregorius lib. 3. epiſt. 65. *Ad hoc poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum* Imperatorum *pietati cœlitus data eſt, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut Cælorum via largius pateat, ut terreſtre Regnum Cœleſti regno famuletur.*

(30) S. Auguſtinus lib. 4. Operis imperfecti contra Julianum cap. 33. Vide Bellarminum lib. 2. De Rom. Pont. cap. 29. in reſponſione ad tertium argumentum tom. 1. pag. 341.

Digitized by Google

DISPUTATIO XVIII.

De Tranſlatione Regni Francorum auctoritate S. Zachariæ Pontificis.

GEns Merovingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant, uſque in Hildericum (1) *Regem, qui juſſu Stephani* (2) *Romani Pontificis depoſitus ac detonſus, atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur; quæ licet in illo finita poſſit videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in ſe clarum præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatii Præfectos, qui* Majores Domus *dicebantur, & ad quos ſumma Imperii pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuſo, barba ſubmiſſa* (3) *ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis eſ-*

(1) *Alii* Childericum, *alii* Hildricum *vocant*, *ab anno* 742. *ad an.* 750. *imaginem, quæ hic deſcribitur, Regni geſſit.* Bollandus in annotat. ad Vitam S. Caroli Magni Imperatoris tom. 2. Jan. pag. 878. num. 6.

(2) Primus, ut id fieret, annuit Zacharias, poſtea ratum habuit Stephanus II. ejûs ſucceſſor.

(3) *Cavillatur Natalis Alexander* (Diſſertat. 2. in Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. tom. 5. pag. 740.) *falſam eſſe narrationem Eginbardi, quod dicat Merovingicos* ſubmiſſam barbam *aluiſſe, cum* Clodoveus III. *mortuus ſit anno ætatis* 19. Dagobertus III. *anno* 20. Theodoricus IV. *anno* 23. Childebertus III. *anno* 18. Nam *Eginhardus cum dicit* barba ſubmiſſa, *non loquitur de Regibus imberbibus, ſed adultis, qui a Clodoveo Magno* 18. *numerantur*. Sfondiatus in Gallia Vindicata Diſſertat. 2. §. 2. pag. 408.

Joannes Hermannus Schminckius in Diſſertatione præpoſita Eginhardo De Vita & geſtis Caroli Magni cura ſua edito: *Barbæ quidem Merovingorum cap.* 1. *mentionem facit, verum ibi de tota primæ ſtirpis gente (non de hoc, vel illo Merovingo ſingillatim) agit, quos barbam aluiſſe, nemo eſt, qui ignorat.*

effingeret, Legatos undecumque venientes audiret, eiſque abeuntibus reſponſa, quæ erat edoctus, vel etiam juſſus, ex ſua velut poteſtate redderet: cum præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii poſſideret, quam unam & eam perparvi redditus villam, in qua Domum, & ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod bobus junctis, & bubulco ruſtico more agente trahebatur: ſic ad Palatium, ſic ad publicum populi ſui conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. At Regni adminiſtrationem, & omnia, quæ vel domi, vel foris agenda ac diſponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. Quo officio tum, cum Hildericus deponebatur, Pippinus pater Caroli Regis, jam velut hæreditario jure fungebatur. Itaque Pippinus, penes quem erat adminiſtratio ſumma Regni, *per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatii Rex conſtitutus eſt*. Hæc Eginhardus in Vita Caroli Magni.

Idem in Annalibus ad an. 749. ita ſcribit: *Burcardus Vvirziburgenſis Epiſcopus, & Folradus Presbyter Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent Pontificem de cauſſa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandavit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, dataque auctoritate ſua juſſit Pippinum Regem conſtitui*. (4) Et ad an. 750.:

(4) Ex his Eginhardi verbis ita colligit Ludovicus Thomaſſinus, De vetere & nova Eccleſiæ diſciplina part. 3. lib. 1. cap. 19. §. 11. pag. 96.: *Zacharias Pippinum Regem Francorum nominavit, qui tota illa jamdiu fruebatur poteſtate, & qui eam a Majoribus ſuis acceperat, ut plerique jam docti ſentiunt*.

Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione, manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi & Martyris, more Francorum elevatus in ſolium Regni in Civitate Sueſſiona. Hildericus vero, qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in monaſterium miſſus eſt. Et ad an. 754.*: Stephanus Papa poſtquam a Rege Pippino Eccleſiæ Romanæ defenſionis firmitatem accepit, ipſum ſacra unctione ad Regiæ dignitatis honorem conſecravit, & cum eo filios ejus Carolum, & Carolomannum: manſitque hyberno tempore in Francia.* (5)

Ex his redarguitur Natalis Alexander, qui affirmare non dubitavit, *nec Zachariæ nec Stephani III. Romanorum Pontificum auctoritate Regnum Francorum a Childerico III. ad Pippinum translatum eſſe.* (6) Ejus affirmationem refellunt etiam aucto-

(5) Eginhardus in Vita Caroli Magni cap. 1. 2. & 3. In Annalibus apud Ducheſnium inter Hiſtoriæ Francorum Scriptores coævos, tom. 2. pag. 233. & 234.

Eodem modo eſt in Vita B. Pippini Ducis & Majoris Domus apud eumdem Ducheſnium tom. 1. pag. 599. in libello vetuſti Scriptoris De Majoribus Domus Regiæ tom. 2. pag. 2. in Annalibus Tilianis pag. 12. Loiſelianis pag. 25. Fuldenſibus pag. 534. Bertinianis tom. 3. pag. 151. & inter Scriptor. Rer. Italic. Muratorii tom. 2. pag. 495. Metenſibus apud Ducheſnium tom. 3. pag. 275. Hildeneshemenſibus inter Scriptores Rerum Brunsvicenſium pag. 712. & Lambecianis inter Scriptores Rer. Italicarum Muratorii pag. 103.

Anonymus Auctor, qui ſub Rege Carolo Calvo ſcribebat, apud Labbeum in Nova Bibliotheca Manuſcriptorum Librorum tom. 1. pag. 331.: *Pippinus Pater Caroli Magni Regnum Francorum ſolus obtinuit, & per auctoritatem Zachariæ Papæ, & electionem Francorum, inungente Bonifacio Archiepiſcopo Rex factus eſt. Childericum vero, qui ſolus Rex de ſtirpe ſuperiorum Regum remanſerat, Regno privatum Clericum effecit.*

(6) In Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. Diſſertat. 2. tom. 5. pag. 737.

ctores haud pauci apud Bellarminum, Sfondratum, & Serarium (7) Ego eam confutabo duobus locis prolatis, uno ſubſcriptionis appoſitæ Codici pervetuſto, qui anno Chriſti 767. atque ipſius Pippini Regis ſexto decimo conſcriptus eſt: altero Ludovici II. Imperatoris, qui, utpote Caroli Magni pronepos, res in familia ſua recens geſtas ignorare non poterat. Verba ſubſcriptionis hæc ſunt: *Florentiſſimus Pippinus Rex pius, per auctoritatem & imperium ſanctæ recordationis Domini Zachariæ Papæ, & unctionem ſancti chriſmatis per manus beatorum Sacerdotum Galliarum, & electionem omnium Francorum, tribus annis antea in Regni ſolio ſublimatus eſt. Poſtea per manus Stephani Pontificis in Regem & Patricium* (8) *una cum filiis Carolo & Carolomanno in nomine ſanctæ Trinitatis unctus & benedictus eſt.* (9) Ludovicus ve-

(7) Bellarminum De Rom. Pont. lib. 2. cap. 17. pag. 325. lib. 5. cap. 8. pag. 442. tom. 1. & De poteſtate Papæ in temporalibus cap. 4. & 42. pag. 39. & 94. tom. 5. Sfondratum in Gallia Vindicata Diſſertat. 2. §. 2. num. 3. pag. 405. & ſub nomine *Eugenii Lombardi* in Regali Sacerdotio §. 15. tom. XI. Bibliothecæ Pontificiæ Rocaberti pag. 357. Serarium Moguntiacarum rerum lib. 3. De S. Bonifacio Notatione 43. pag. 333. tom. 1.

(8) Vide annotat. 4. ad Stephanum II. Pontif. XCIV.

(9) Apud Mabillonium De Re diplomatica lib. 2. cap. 26. §. 2. num. 11. pag. 193. & lib. 5. tabula 22. pag. 384. & in Annalibus Ordinis S. Benedicti lib. 23. ad an. 754. §. 1. pag. 155. apud Ruinartum ad calcem libri De Gloria Confeſſorum Gregorii Turonenſis pag. 991. & apud Bollandum in Exegeſi præliminari ſecunda ad Martii tomum tertium cap. 3. num. 35. pag. XXI. & in Henſchenii Analectis Bonifacianis cap. 1. apud eumdem Bollandum die quinta Junii tom. I. pag. 488.

Papebrochius in Conatu Chronico Hiſtorico Diſſertat. 26. *De titulo Regio apud Francos Zachariæ auctoritate translato a prima ad ſecundam ſtirpem*, §. 3. *Si lectum locum in medium adduxiſſet* Natalis Alexander, *numquam dicere potuiſſet, Annaliſtam Loiſelianum ſæculo IX. ſcribentem fuiſſe primum, qui Zachariæ ſuper illo negotio conſulti fecerit mentionem.*

vero Imperator diſputans adverſus Baſilium Macedonem Orientis Imperatorem, qui per Legatos conqueſtus fuerat, quod nomen *Imperatoris* uſurparet, ita loquitur. *Præterea mirari ſe dilecta fraternitas tua ſignificat, quod non Francorum, ſed Romanorum Imperator appellemur: ſed ſcire te convenit, quia niſi Romanorum Imperator eſſemus, utique neque Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem aſſumſimus, apud quos profecto primo tantæ culmen ſublimitatis & appellationis effulſit, quorûmque gentem & Urbem divinitus gubernandam, & matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam atque ſublimandam ſuſcepimus, ex qua & regnandi prius, & poſtmodum imperandi auctoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumſit. Nam Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt ii duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt. In qua etiam Carolus Magnus abavus noſter unctione ejuſmodi per ſummum Pontificem delibutus, primus ex gente & genealogia noſtra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Chriſtus Domini factus eſt. Si calumniaris Romanum Pontificem, quod geſſerit, calumniari poteris & Samuelem, quod ſpreto Saule, quem ipſe unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Verum ſuper hoc ſi eſt, qui ſummo Pontifici ſaltem unum faciat nutum, congruo profecto illius non carebit reſponſo.* (10)

Quod

(10) In epiſtola apologetica ad Baſilium Orientis Imperatorem apud Baronium ad an. 871. §. 59. & 60. & apud Ducheſnium inter Scriptores Hiſtoriæ Francorum tom. 3. pag. 557.

Et §. 61. apud eumdem Baronium: *Sicut nos*, ait idem Imperator Ludovicus, *per Fidem Chriſti Abrahæ ſemen exiſtimus, & Judæi per perfidiam Abrahæ filii eſſe deſierunt: ita quoque nos propter bonam opinionem, id eſt orthodoxiam regimen Imperii Romani ſuſcepimus: Græci vero propter cacodoxiam, videlicet malam opinionem Romanorum imperatores exiſtere ceſſa-*

ve-

verunt. Nicolaus Alemannus de Lateranenſibus Parietinis cap. 14. pag. 53. *Cum ex crimine violatæ religionis (ut Imperator palam Imperatori exprobrat) Imperium* Carolo *decretum ſit a* Leone, *eam totam cauſſam juris fuiſſe Pontificii, ad Senatum vero, Populumque* Romanum *nihil omnino pertinuiſſe, nemo non videt. Quod & Sacramentum a* Carolo *Magno, ejuſque in Imperio ſucceſſoribus non Senatui, ſed Pontifici* Romano *dictum comprobat, comprobat Imperii confirmatio, quam ab uno Pontifice Maximo* Ludovicus Caroli *Magni filius, poſterique petierunt.*

Idem Ludovicus Pius in Epiſt. ad Hilduinum Abbatem S. Dionyſii, De conſcribenda Vita S. Dionyſii Epiſcopi Pariſienſis, apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 1578.: *Sanctæ recordationis avus noſter Pippinus, propter altare, quod ante ſepulcrum ſæpe fati, ſæpiuſque dicendi domini Dionyſii, per divinam & memorabilem revelationem, juſſu ipſius ſanctiſſimi martyris, in honorem Dei, & Apoſtolorum Petri & Pauli, qui præſentes oſtendebantur, a beato & angelico viro Stephano ſummo Pontifice dedicatum eſt, intra ſacra Miſſarum ſolemnia, una cum duobus filiis, Carolomanno videlicet, & divæ memoriæ domino ac genitore noſtro Carolo, jure prænominato Magno, ab eodem Apoſtolico Papa in Regem Francorum unctus ſuperni muneris benedictionem percepit.*

Hilduinus in Vita S. Dionyſii juſſu ejuſdem Ludovici Pii conſcripta apud Surium die 9. Octobris: *Geſta ſunt autem hæc in B. Stephano Papa, divina clementia, adjuvantibus ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, per beatiſſimum martyrem Dionyſium hoc anno, qui eſt ab Incarnatione Domini* 754. *V. Kal. Auguſti: quo Chriſti roboratus virtute inter celebrationem conſecrationis præfati Altaris, & oblationem ſacratiſſimi Sacrificii unxit in Reges Francorum florentiſſimum Regem Pippinum, & duos filios ejus Carolum & Carolomannum.... atque Francorum proceres Apoſtolica benedictione ſanctificans, auctoritate B. Petri ſibi a Domino Jeſu Chriſto vero Deo tradita, obligavit & obteſtatus eſt, ut numquam de altera ſtirpe per ſuccedentium temporum curricula ipſi, vel quique ex eorum progenie orti Regem ſuper ſe præſumant aliquo modo conſtituere, niſi de eorum progenie, quos & divina providentia ad ſanctiſſimam Apoſtolicam Sedem tuendam eligere, & per eum, videlicet vicarium S. Petri, imo Domini noſtri Jeſu Chriſti in poteſtatem regiam dignata eſt ſublimare, & unctione ſacratiſſima conſecrare.* Eadem ſunt apud Rheginonem in Chron. ad an. 753. pag. 32. tom. 1. Scriptorum Rerum Germanicarum Piſtorii.

Spondanus ad an. 871. §. 13. ita ſcribit de memorata Ludovici epiſt. apologetica. *Ludovicus miſſo ad* Baſilium *legato,*

Quod ſi poſt adeo firma teſtimonia ratio quidquam confirmare valet, hæc certe omnino contemnenda non eſt. Cur enim, quæſo, Francorum proceres a Zacharia per Legatos petiiſſent, ut ſibi liceret Regnum a Childerico ad Pippinum transferre; ſi ejus tum licentia atque auctoritate ſibi opus eſſe non exiſtimaſſent? Dicéſne, Francos non auctoritatem abrogandi Regnum Childerico ſibi tribui a Zacharia petiiſſe, ſed ipſum duntaxat ea de re conſuluiſſe, ideoque non Zachariæ auctoritate, ſed conſilio Regnum Francorum a Childerico ad Pippinum translatum fuiſſe? At non ſolum Eginhardus, ſed quotquot hanc hiſtoriam ſcripſerunt ſuppares Auctores, aperte teſtantur, illam Regni translationem auctoritate Romani Pontificis, juſſu, mandato, decreto, ſanctione factam eſſe. *Summa hæc tot Auctorum conſenſio*, ut verbis utar Natalis Alexandri, in translatione hujuſmodi *tribuenda* Pontifici Romano *prohibere* ipſum Alexandrum *debebat*; ne contra niti ullo modo auderet. Quod enim apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum, *inquit Tertullianus*. (11)

Sed cominus congrediamur. *Zachariæ auctoritate*, objicit Natalis Alexander, *nec depoſitum* Childericum, *nec* Pippinum *Regem elevatum*, *probatur ex Auctoribus*, *qui* Zachariæ *Pontificis Maximi Vitam ſcripſere*, *apud quos altum eſt ea de re ſilentium*.

to, acrem ſatis dedit epiſtolam apologeticam; qua inter alia multa, fuſe oſtendit ejuſmodi appellationem Baſilei *non eſſe peculiarem Conſtantinopolitanorum: ſed etiam competere aliis Principibus, maxime vero Francis, qui eam dignitatem accepiſſent a Sede Apoſtolica ob egregiam ipſorum fidem in Deum, & Eccleſiam Romanam.*

(11) Ita poſt citatos varios auctores concludit memoratus Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. diſſertat. 6. art. 1. pag. 393. tom. 7. ut probet, *Officium Corporis Chriſti S. Thomæ Aquinati tribuendum eſſe.*

tium. Anaſtaſius Bibliothecarius *proſaico ſtylo id executus eſt*, *metrico* Flodoardus. *Neuter mentionem ullam facit exauctorationis* Childerici *Regis*, *promotionis* Pippini, *aut legationis eam ob cauſſam ad* Zachariam *deſtinatæ*. *Incredibile porro videtur*, *quod tanti rem momenti prætermiſiſſent*. *Sed & in epiſtolis omnibus* Zachariæ *altum eſt ea de re ſilentium*. *Sane tantum abeſt*, *ut* Zacharias *in animum ſuum inducere potuerit a ſe deferri poſſe* Pippino *Francorum Regnum*, *ut contra pro Francorum Rege Carolum Martellum Pippini patrem habuerit*, *ut conſtat ex ipſius ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum Epiſtola*. *Et epiſtola V. Caroli Martelli filios vocat* Galliarum Principes.

Secunda judicium, *quod in cauſſa Childerici Regis a* Zacharia *latum perhibetur*, *ab ejuſdem Pontificis æquitate & ſanctimonia penitus alienum eſt*. Childericus *enim jure hæreditario Rex erat*, *a novem annis in ſolio erat collocatus*, *nihil peccaverat*, *quo poſſet e Regni poſſeſſione deturbari*. *Fingitur per Legatos ad* Zachariam *miſſos accuſatus de inertia & incapacitate ad Regnum adminiſtrandum*. *Sed nec accuſationem illam factam eſſe veriſimile eſt*: *nec*, *ſi facta*, *ejus rationem habuiſſet ullam* Zacharias, *ſanctiſſimus & æquiſſimus Pontifex*.

Tertio, *commentum iſtud de* Childerici *Regis depoſitione*, *auctoritate vel conſilio* Zachariæ *ſummi Pontificis facta*, *nititur putidæ fabulæ de Merovedarum Regum ignavia*, *& ſocordia*, *quam Auctores plerique omnes*, *qui conſultum in cauſſa translationis Regni Francorum a* Childerico *ad* Pippinum *Zachariam*, *vel Stephanum* III. *commemorant*, *rationem fuiſse tradunt Regni ad* Pippinum *ſic transferendi*. *Hujus autem fabulæ vanitas facile demonſtratur*, *incipiendo a* Dagoberti Magni *filiis*, *ultra quos Regum ignavorum initia Scriptorum nullus extendit*. Deinceps Natalis Alexander eos enumerat, qui

poſt

poſt Dagobertum uſque ad Childericum regnarunt, eorumque vitas exponit, ita ſubjiciens ad extremum: *Sed etſi* Theodoricus *Childerici Tertii Pater, ejuſque Majores inertes fuiſsent, an ipſe propterea anno ætatis ſuæ decimo quinto, vel decimo octavo ex avito Regno dejiciendus?*

Quarto, veriſimile non eſt Zachariam *a ſuorum deceſsorum doctrina, & Sedis Apoſtolicæ traditione defeciſse. At ab ea defeciſset, ſi* Childericum Tertium *exauctoraſset, Regnumque ad* Pippinum *tranſtuliſset. Pugnaſset enim cum doctrina* Gregorii ſecundi *a Majoribus accepta, qui in Epiſt. I. ad* Leonem Iſaurum *Imperatorem ita ſcripſit:* Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abſtinentes: & Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſſant. *Et Epiſt.* 2. Nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi.

Quinto, Stephanus III. Pippinum *a perjurio in* Childericum *admiſso abſolvit, ut* Theophanes *teſtatur ad annum octavum* Leonis Auguſti. *Quod teſtatur &* Anaſtaſius *in Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum* 2. Conſtantini *Auguſti*: Solvente ſcilicet eum (*Pippinum*) a perjurio in Regem commiſſo, eodem Stephano. *Quibus &* Otto Friſingenſis *ad annum Chriſti* 753. *ſuffragatur. Hujuſmodi porro abſolutio argumento eſt*, Childericum III. *a* Zacharia *exauctoratum non fuiſse, nec Regnum Francorum Apoſtolica ejus auctoritate ad* Pippinum *translatum.*

Sexto, Pippinus ſecundum morem Francorum electus eſt ad Regem, & elevatus a Francis in Regno ſuo, in Sueſſionis Civitate: *ut habetur in Annalibus Loiſelianis. Quod & Tiliani confirmant his verbis:* Pippinus ſecundum morem Francorum ele-

electus ad Regem, & elevatus a Francis in Regno, Sueſſionis Civitate. *Atqui mos Francorum non erat, ut Reges a ſummo Pontifice poſtularent, & acciperent; ſed ut in Regni Comitiis Clypeo impoſitos elevarent, acclamarentque, ut conſtat ex* Gregorio Turonenſi *lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Regni Francorum cap.* 40. *ubi narrans quomodo Colonienſes poſt* Sigiberti *Regis, ejuſque filii* Chloderici *mortem* Clodoveo Magno *ſe dediderint, ait:* Plaudentes tam parmis, quam vocibus, eum clypeo evectum ſuper ſe Regem conſtituunt. *Itaque nec a* Zacharia, *nec a* Stephano III. *Romanis Pontificibus Regnum Francorum a* Childerico III. *ad* Pippinum *translatum eſt*. (12)

Ad primum *reſpondeo* (verba ſunt ipſius Natalis Alexandri) *hæc argumenta futilia eſſe, quia negantia ſunt. Quis enim Ædis Deiparæ Lauretum advectionem fabulis accenſeat ob ſilentium* S. Antonini, *qui & coævus auctor, & Lauretanæ regioni erat finitimus?* (13) Deinde, ut alibi ſcribit idem Natalis, *negativas probationes in quæſtionibus facti nemo eruditus non exſufflat & ſugillat, ubi argumenta poſitiva ex adverſo militant ab Auctorum coævorum aut ſupparium teſtimoniis petita,* (14) cujuſmodi ſunt ſuperius memorata Subſcriptio, & Ludovici II. Imperatoris epiſtola apologetica ad Baſilium Orientis Imperatorem. Adde, quod Anaſtaſii & Flodoardi ſilentium anteponendum non eſt teſtimoniis Scriptorum, qui id aperte tradiderunt. Vetus enim illud Hieronymi admodum ſci-

(12) Ita Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. diſſertat. 2. tom. 5. pag. 737. 738. & 739.

(13) In Hiſtor. Eccleſiaſt. ſæculi I. Diſſertat. 17. propoſitione 1. tom. 3. pag. 179. Vide diſputationem XIV. in reſponſione ad ejuſdem Alexandri rationem primam, & tertiam.

(14) In Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. Diſſertat. 6. art. 16. pag. 407. tom. 7.

ſcitum eſt, qui dicebat: *Non ſtatim eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſſam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit*. (15) Tantum vero abeſt, ut Zacharias pro Francorum Rege Carolum Martellum Pippini patrem habuerit in epiſtola ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum, ut nullam omnino de eo mentionem faciat in Epiſtolis ad eumdem Bonifacium datis. (16) Meminit quidem epiſtola V. de *Principibus Galliarum* Carolomanno atque Pippino: at non inde ſequitur, Carolum Martellum eorum patrem Regem fuiſſe. Vocat enim Galliarum Principes, utpote filios ejus, qui tamquam *Major-Domus Franciam regebat*, ut ait idem Natalis Alexander, quique moriens *Majoratum inter ipſos diviſit, & Majoratum Auſtraſiæ* Carolomanno, Pippino *Majoratum Neuſtraſiæ attribuit*. (17)

Ad ſecundum reſpondeo, Zachariam utpote *ſanctiſſimum & æquiſſimum Pontificem* debuiſſe accuſationis Childerici, de qua coævi Scriptores ſuppareſque commemorant, rationem habere, & Gallis poſtulantibus annuere, ut Childericum jure quidem hæreditario Regem, ſed Regno minime aptum, de gradu dejicerent, inque locum ejus Pippinum ſubrogarent. *Quod ſane juſtiſſimum poſtulatum erat. Siquidem non ſolum nulla Regni negotia Reges illi curabant: ſed etiam propter eorum inertiam religio in Galliis ita laboravit, ut pæne extincta ſit, ut patet ex epiſtola S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini ad Zachariam Romanum Pontificem, ubi dicit per octoginta circiter annos in Francia, illis Sardanapalis regnantibus, nullam Synodum fuiſſe celebratam, Eccleſias Epiſcopales a laicis &* pu-

(15) In Epiſt. ad Galatas cap. 2. tom. 7. pag. 410.
(16) Quæ ſunt apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1497.
(17) In Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. cap. 7. art. 4. pag. 721. tom. 5.

publicanis poſſeſſas, Clericos quatuor aut quinque ſimul concubinas habuiſſe, religionem denique omnem conculcatam & diſſipatam. (18) Cum ergo Zacharias intelligeret, *jam per multos annos Reges Francorum ſolo titulo fuiſſe Reges, & Childericum, qui tunc regnabat, non ſolum more majorum nihil curare, ſed etiam omni prorſus ingenio carere, ac vere ſtupidum & dici, & eſse: & ſimul videret Regnum & religionem in Galliis ruere, & omnes Proceres Regni Pippinum Regem optare, tandem ut is, ad quem ſpectabat providere omnium ſuorum ſaluti, judicavit licere Francis Regnum Childerici in Pippinum transferre, atque ipſe eos juramento, quo ſe Childerico obſtrinxerant, ſolvit. Quod ſane juſtum fuiſse nemo ſanæ mentis negabit, præſertim cum eventus docuerit, mutationem illam feliciſſimam fuiſse: numquam enim Regnum Francorum potentius, aut religio in Gallia florentior fuit, quam tempore Pippini, & Caroli*. (19)

Ex his confutatur etiam tertium Natalis Alexandri argumentum, ac ſimul illud quoque, quod paullo poſt idem Natalis aſſerit, *fabulam de Merovingorum Regum inertia & ſocordia ab* Eginhardo *confictam eſse, ut Regibus Carolovingis adularetur*. (20) Nam quæ ille profert Merovingis purgandis, mirum quantum ea pro nihilo videantur conſideranti infortunia & calamitates, quibus

R af-

(18) Ecce verba ipſa S. Bonifacii epiſt. 132. ad Zachariam Pontificem tom. 13. Bibl. Patr. pag. 125.: *Franci, ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura alicui fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per Civitates Epiſcopales Sedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum*.

(19) Bellarminus De Rom. Pont. lib. 2. cap. 13. tom. 1. pag. 326.

(20) In Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. Diſſertat. 2. tom. 5. pag. 740.

afflictam Galliam, illis regnantibus, auritus & oculatus teſtis S. Bonifacius commemorat. Præterea ſive Childerici ſtupiditas hæreditaria fuerit, ſive propria, parum atque adeo nihil refert, cum ſatis ſuperque ſit ad poſitæ hiſtoriæ veritatem propugnandam, Childericum fuiſſe *inſenſatum*, (21) & Regnum illi Pontificis auctoritate abrogatum fuiſſe, ut antiqui Scriptores Annalium Francorum, aliique teſtantur, qui Eginhardi libellum de Vita & geſtis Caroli Magni non modo compilarunt, ſed etiam iiſdem ſæpe verbis deſcripſerunt. Id quod fidem tribuendam Eginhardo, ſi quid video, valde confirmat. Si enim ille plurimum fidei non habuiſſet apud veteres ſibi æquales ſuppareſque, non tot eum Hiſtorici in libros ſuos tranſcripſiſſent, ſed aliud narraſſent, quo fides ei abrogaretur. In hac ſane opinione fuit Petrus de Marca peritiſſimus harum rerum, & ab omni ſuſpicione nimii in Pontifices Romanos ſtudii alienus, qui cenſet, *Galliarum Optimates in negotio tam ſerio, ubi de Sacramenti quoque religione agebatur, qua obſtricti erant Hilderico, conſuluiſſe per Legatos Zachariam Sedi tum Apoſtolicæ præſidentem, atque ſecutos Sedis illius conſulentis & monentis auctoritatem, in Urbe Sueſſionica Pippinum ſcuto impoſitum, ut tum mos gentis erat, & unctione ſacra a Bonifacio Moguntino, dein martyre, delibutum, ut Regem veneratos anno* 750. tantumque abeſt, ut Eginhardi fidem ſubleſtam habeat, ut etiam affirmet, Eginhardum in Annalibus, *ne populi permiſsas ſuo arbitrio putent Regum mutationes, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem adjunxiſſe, huic vero conſenſum Procerum, utriſque vero ſeriem conti-*

(21) Monachus Engoliſmenſis apud Ducheſnium tom. 2. pag. 69.

tinuam Regum, quorum ſocordia & inertia fuerat exitialis reipublicæ Chriſtianæ. (22)

Quartum jam confutatum eſt ſuperiore Diſputatione XVII. pag. 199. Quare ne actum agam, eo lectorem remitto.

Ad quintum quod ſpectat, primum ſatis mirari non poſſum, Natalem Alexandrum eo deveniſſe, ut Pippinum ſuum malit perjurum facere, quam concedere, eum Pontificis auctoritate Regem ab Gallis conſtitutum fuiſſe: deinde argumentum ita explico, atque diſſolvo. Quis enim ignorat, ſcriptores nonnumquam verbis uti minus propriis, & vocabulorum naturam ac ſignificationem germanam haud ita religioſe ſervare? Nonne lib. 4. Regum cap. IX. 14. Jehu Dei juſſu conſtitutus Rex Iſraelitarum, Joram adhuc ſuperſtite, dicitur conjuraſſe contra Regem Joram? Nemo tamen non videt, conjurandi verbum accipi in partem bonam, cum Jehu jus ſibi a Domino collatum perſequeretur. Non diſſimili ratione, ſi parva licet componere magnis, locutos eſſe Theophanem & Anaſtaſium exiſtimo, atque idcirco ſcripſiſſe, Pippinum abſolutum per Pontificem a perjurio in Regem commiſſo, ut oſtenderent futurum fuiſſe, ut Pippinus pejeraret, niſi id, quod fecit, prævia Romani Pontificis auctoritate feciſſet: quemadmodum Sacer Scriptor dicit, Jehu a Deo ipſo Regem jam factum conjuraſſe contra Joram a Domino reprobatum, ut innuat facinus, quod alioquin Jehu perpetraſſet, niſi Dei permiſſu in perniciem Regis Joram conſpiraſſet. Præterea mos eſt Pontificum Romanorum, quem etiamnum religioſe cuſtodiunt, abſolvere atque liberare a cenſuris omnibus, & im-

R 2 pe-

(22) Lib. 3. Marcæ Hiſpanicæ cap. 4. §. 2. pag. 238. & 239. Conſentit Pagius ad an. 751. §. 5. & Spondanus ad an. eumdem §. 1.

pedimentis aliis eum, cui gratiam aliquam volunt impertire, ne quid obſtet, quominus Pontificis beneficio dignus ſit. Cum igitur Stephanus II. a Langobardis vexatus in Galliam auxilium petiturus veniſſet, Pippinum Zachariæ auctoritate Regem jam creatum inunxit & conſecravit, eumque iterum, antequam conſecraret, a jurejurando Childerico præſtito, cenſuriſque omnibus abſolvit. Quidni igitur de hac abſolutione locutos Theophanem & Anaſtaſium dicamus? Præſertim cum nefas ſit ſuſpicari, Pippinum virum religioſiſſimum perduellem fuiſſe in Regem ſuum, & ſine auctoritate Pontificis Regnum ſibi uſurpaſſe. His adde, multo magis credendum eſſe Eginhardo ſcriptori coævo, (23) quam Anaſtaſio, qui multo poſt Eccleſiaſticam hiſtoriam ſuam compilavit ex Theophane, quam Theophani ipſi, qui Conſtantinopoli, aut in exilio tum degebat.

Sextum libenter do, atque concedo, Pippinum Regem a Francis creatum more inſtitutoque majorum, ut Annales Loiſeliani, atque Tiliani teſtantur. At iidem Annales docent illud etiam, Francos in tanti momenti negotio ſecutos eſſe *auctoritatem Apoſtolicam*, quod hoc loco Natalis diſſimulat. Namque Annales quidem Loiſeliani ita loquuntur ad an. 749.: *Zacharias Papa per auctoritatem Apoſtolicam juſſit Pippinum Regem fieri:* ac poſtea ad an. 750.: *Pippinus ſecundum morem*

(23) Sigebertus De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 84. in Bibliotheca Eccleſiaſtica Fabricii pag. 103.: *Eginhardus ſcripſit vitam Caroli Imperatoris tanto accuratius*, ſeu, ut eſt apud Natalem Alexandrum in Hiſt. Eccl. ſæc. IX. & X. cap. 3. art. 8. pag. 46. tom. 6., tanto meliori fide, *quanto adhæſit ei familiarius*. Hanc Sigeberti de Eginhardo ſententiam Natalis ipſe eo loco non improbat, & initio Diſſertationis, quam nunc expendimus, Eginhardum vocat *Auctorem ætate* Caroli Magni, & Ludovici Pii *conſpicuum*; quam laudem ſimul tribuit Annaliſtæ Loiſeliano.

rem Francorum electus eſt ad Regem, & unctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi, & elevatus à Francis in Regno ſuo, in Sueſſionis Civitate : quod idem Natalis Alexander & initio diſſertationis, & infra reſpondens Bellarmino confitetur. Annales vero Tiliani hæc habent ad annos memoratos: *Zacharias Papa per Fulradum mandavit, ut Pippinus ad Regem levaretur. Pippinus ſecundum morem Francorum electus ad Regem*. (24)

Sed urget propoſitum Natalis Alexander conatus refellere Bellarminum & contendit, Eginhardum ipſum imminuere fidem ſuam. Eginhardus enim ait, ſe de Caroli Magni ortu, infantia & pueritia nihil ſcripſiſſe; quia cum manum calamo admovit, nemo ſuperſtes erat, *qui horum ſe diceret habere notitiam*; *neque ſcriptis uſquam aliquid declaratum fuerat*, unde fit conſequens, multo minus ſcire illum potuiſſe res ante Caroli natalem diem geſtas. Præterea dicit, Childericum *juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitum*, (25) cum Stephanus II. ante menſem Aprilem anni 752. in locum Zachariæ creatus non fuerit, & Pippinus præcedentibus Kal. Martii Sueſſionibus Rex conſalutatus ſit. *Suam itaque narrationem ipſe deſtruit*.

Mihi gratulor, quod Eginhardus ita cautus, fideique tam probatæ hiſtoricus eſſe voluerit, ut nihil de rebus ſibi minus cognitis referret. Quidni vero mihi gratuler? Ex hoc enim colligitur, cetera omnia, quæ ab Eginhardo ſcripta ſunt, certa ipſi ex teſtibus, aut ex antiquis monumentis comperta fuiſſe. Quia alioquin ea æque, atque Ca-

R 3

(24) Annales Loiſeliani apud Ducheſnium tom. 2. pag. 25. Tiliani pag. 12.

(25) Eginhardus De vita & geſtis Caroli Magni cap. 1. & 4.

Caroli Magni ortum, infantiam, & pueritiam; de quibus nihil in veteribus memoriis ſcriptum invenerat, ſilentio prætermiſiſſet. Itaque *quod de* Pippino *ex Præfecto Palatii* per auctoritatem Romani Pontificis *Rege facto ſcripſit*, *proprium* non *eſt ejus commentum*. (26) Deinde ex eo, quod Eginhardus nihil de ortu, infantia, & pueritia Caroli habuerit compertum, haud recte concluditur, ipſum nec translationem Regni Francorum a Childerico ad Pippinum exploratam habere potuiſſe. Neque enim hujus rei notitia ab illius cognitione oritur, & fieri potuit, ut Scriptores ortum & infantiam Caroli, utpote rem parvi momenti, omiſerint, hiſtoriam vero ſcitu digniſſimam, tantique ponderis, quanti eſt translatio Regni Francorum a Merovingis ad Carolingos, hoc eſt a prima ad ſecundam ſtirpem, accurate narraverint.

Nunc videamus, poſſitne Childericus dici *depoſitus juſſu* Stephani *Romani Pontificis*, ut ſcribit Eginhardus. Obſervandum eſt, Scriptores alios Zachariæ, alios Stephani, alios utriuſque juſſu Regnum Childerico abrogatum tradidiſſe. Cur autem id tradiderint, eam fuiſſe cauſſam opinor, quia uterque illam Regni a Childerico ad Pippinum translationem auctoritate ſua comprobavit, effectumque a Zacharia opus Stephanus effectius, ut ita dicam, reddidit. Zacharias enim per Bonifacium Moguntinum Antiſtitem Pippinum Regem conſecravit. Stephanus vero II. in Galliam auxilium petiturus contra Langobardos veniens anno 754. ipſe per ſe, deceſſoris ſui decretis confirmatis, Pippinum una cum filiis Carolo & Carolomanno, pompa multo ſolemniore, apud S. Dionyſium ſacro oleo rurſus inunxit.

(27)

(26) Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. differtat. 2. pag. 739. tom. 5.

(27) *Sic igitur res habuiſſe videtur . Anno* 750. *ſub autumnum directa eſt legatio ad Zachariam Papam de ſubſtituendo Pippino in Childerici locum . Annuit Zacharias, ejuſque rei fidem diſertis verbis facit ſubſcriptio ſuperior* (28) *cum Eginhardo, aliiſque Annalibus . Unde evertitur oppoſita cujuſdam viri docti* (29) *ſententia . Anno* 751. *pedetentim compoſiti ſunt Francorum animi ad Pippini conſecrationem, quæ labente eo anno , vel ſequenti ineunte*

(27) Fragmentum Hiſtoricum apud Ducheſnium tom. I. pag. 784. *Pippinus miſſis Romam Legatis , Zachariam Papam de Regno Francorum, & ignavis ejus Regibus conſuluit. Cujus auctoritate, & non multo poſt juſſu Stephani Pontificis Romani Hilderico, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, depoſito, atque in monaſterium detruſo , Pippinus Major domus Rex Francorum electus, & Sueſſionis a S. Bonifacio Moguntinenſi Archiepiſcopo unctus eſt anno Domini* 752.

Laureshamenſe Chronicon apud eumdem Ducheſnium tom. 3. pag. 490. *Qui* (Pippinus) *ex ſententia Zachariæ Papæ depoſito Hilderico, per Bonifacium Moguntinæ Sedis Archiepiſcopum & Martyrem, ex Præfecto Palatii in Regiam dignitatem eſt unctus, ac poſtea per Stephanum Papam Apoſtolica unctione confirmatus.*

Magnum Chronicon Belgicum inter Scriptores Rer. Germanic. Piſtorii tom. 3. pag. 37. : *Optimates Regni conſilio & auctoritate Zachariæ Papæ eumdem Pippinum ad Regiam dignitatem evexerunt, fuitque de auctoritate & mandato ipſius Papæ per B. Bonifacium Moguntinenſem in Regem Francorum unctus , & poſtea per Stephanum Papam ſecundum unctionem regalem conſecratus, detruſo in Monaſterium Hilderico.*

(28) Quæ ex ipſo Mabillonio accepta, in ipſa diſputatione ſupra allata eſt pag. 210.

(29) *Cointii ſub anno* 752. *num.* 5. *& ejus exſcriptoris Natalis Alexandri in Sæculo octavo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Diſſertatione ſecunda : qui temporibus Sedi Apoſtolicæ parum æquis hiſtoriam veritatis magiſtram aulicæ aſſentationi, & proprio genio accommodaturi, inconcuſſam rei antiquiſſimæ fidem conſilio præpoſtero elevare conati fuerunt, fabuloſis narrationibus accenſentes miſſionem Pippini ad Zachariam , quaſi inglorium quid admiſſuri, ſi a ſummo Pontifice Francorum Regnum Childerico ſtirpis Meroveadarum ultimo ablatum, & Pippino collatum fuiſſe, concedere viderentur.* Fontaninus in Vindiciis Diplomatum lib. 2. cap. 9. §. 6. pag. 207.

facta eſt. Itaque ab hoc anno 751. *regnum Pippini numerari cœpit*, *non ab anno* 754. *quo a Stephano Papa denuo conſecratus unctuſque eſt*. (30) Hinc Eginhardus, qui non Annales (nam in Annalibus Zachariæ auctoritate Pippinum Regem conſtitutum aſſerit) ſed vitam Caroli Magni ſcribere animo intendebat, rem non exorſus ab ovo ſcripſit, Childericum *juſſu Stephani depoſitum ac detonſum*, *atque in monaſterium truſum*. Eadem de cauſſa Theophanes, incertus auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, (31) aliique poſterioris tantum unctionis meminerunt, utpote prima multo celebrioris.

Subjungit ad extremum Natalis Alexander, *Annaliſtas*, quos ſupra memoravimus, *fabulam de* Childerici III. *exauctoratione conſilio vel decreto Romani Pontificis*, *ab* Eginhardo *accepiſſe*, ab Eginhardo & Annaliſtis ſumſiſſe Continuatorem Aimoini, Rheginonem, Adonem Viennenſem, Ma-

Idem in Diſſertat. de Corona Ferrea extremo cap. 3. Cointius ad an. 752. §. 5. *aulicas gratias aucupaturus*, *Pippini Regis Francorum inaugurationem ab Zacharia Pontifice inſtitutam primus omnium contra veterum ſcriptorum diſertam auctoritatem exploſit*, *ipſe propterea ab aliis exploſus*.

Ruinartus quoque annotat. in Fredegarii Chronicum, ſeu Appendicem ad S. Gregorii Turonenſis Hiſtoriam Francorum part. 3. pag. 686. affirmat, *Romanum Pontificem*, *qui tunc erat Zacharias*, *ſe ſe Pippini electioni immiſcuiſſe*, repudiatque Cointii ſententiam his verbis: *Cointius ſuæ conjectationis*, *quæ omnibus ſcriptis*, *& editis contraria eſt*, *nullam rationem affers*, *niſi quod*, *ut quidam exiſtimat*, *Franci Pontificem de Regis electione non conſuluerint*, *nec tunc conſuetudo fuerit Reges ungendi*: *utrumque vero refellitur ex clauſula veteris Codicis Dionyſiani*, *ipſo Pippino regnante ſcripti*, quam clauſulam ex Mabillonio acceptam nos ſupra recitavimus annotat. 9.

(30) Mabillonius lib. 2. De re diplomatica cap. 26. §. 2. num. 11. pag. 193.

(31) Theophanes in Chronographia pag. 268. edit. Venetæ. Hiſtoria Miſcella lib. 22. tom. 1. Scriptor. Rer. Italic. Muratorii pag. 155.

Marianum Scotum , Hermannum Contractum , Lambertum Schaſnaburgenſem , Ottonem Friſingenſem , Abbatem Urſpergenſem , Sigebertum , Nangium , Trithemium , Gaguinum , ceteroſque . (32) Injuria prorſus & immerito . Etenim non Eginhardum ſolum , ſed antiqua Regni Francorum monumenta , vetereſque Scriptores alios ante oculos habere potuerunt . *Neque enim omnia , quæ memoriæ , litteriſque mandata ſunt , novimus* . (33) Præterea , ut verbis utar ipſius Natalis Alexandri , *ſumma hæc tot Auctorum ex omni natione , religione , ordine conſenſio in* Childerici exauctoratione Pontifici Romano tribuenda *prohibere vel ſola debebat* eumdem Natalem Alexandrum ; ne hanc ei *tam præcipiti judicio abjudicaret* . Quod enim apud multos unum invenitur , non eſt erratum , ſed traditum , *inquit Tertullianus* . (34) Cujus traditionis vim ſenſere Magdeburgenſes ipſi , homines alioquin expertes veritatis , non auſi hiſtoriam hujuſmodi in dubium revocare . (35)

(32) In Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. cit. Diſſertat. 2. tom. 5. pag. 740. & ſeqq.

(33) S. Auguſtinus lib. 2. De Baptiſmo contra Donatiſtas . cap. 4.

S. Maximus Prologo in Opera S. Dionyſii Areopagitæ , objicientibus ; quod illa non *recenſuit Euſebius Pamphili* , reſpondet , *quam plurima Euſebium omiſiſſe , quæ ad manus ejus non pervenerant* . Tom. 2. Bibl. Patr. pag. 140.

(34) In Hiſt. Eccl. ſæc. XIII. & XIV. Diſſertat. 6. art. 1. tom. 7. pag. 393.

(35) Centuria 8. cap. 10. pag. 392. tom. 2.

DIS-

DISPUTATIO XIX.

De falſa Synodo ſub Hadriano I. circa jus eligendi Romanum Pontificem, & inveſtituras concedendi Epiſcopis.

CUm ſub initium Pontificatus Hadriani I. Deſiderius Rex Langobardorum *Faventiam, & Ducatum Ferrariæ, ſeu Comaclium de Exarchatu Ravennate, quas Pippinus Rex & ejus filii Carolus & Carolomannus B. Petro obtulerant*, fœdifragus occupaſſet, ſtatim Tribuni Ravennates confugerunt ad Pontificem, qui datis ad Regem litteris de promiſſo non ſervato conqueſtus eſt. Conqueſtio tamen exitum habuit haud felicem. Tantum enim abſuit, ut Rex incepto deſiſteret, ut etiam mitteret ad Urbes Ducatus Romani diripiendas, minitatus, ſe miſſurum etiam, qui Romam ipſam invaderent. In tanto rerum diſcrimine conſtitutus Pontifex Carolum Magnum per Legatos rogavit, ut ſecutus exemplum Pippini Patris ſui opem Eccleſiæ ferret, Exarchatui ſuccurreret, *atque Plenarias B. Petri juſtitias, & ablatas Civitates ab Deſiderio Rege exigeret*. (1) Præſto fuit Hadriano Carolus, & obſeſſo Ticini, captoque Deſiderio, Regnum Langobardis ademit anno, poſtquam invaſerant in Italiam, 206. Chriſti 774. Obſidionis tempore Carolum ad Paſcha celebrandum Romam profectum honorificentiſſime excepit Hadrianus, impetravitque ab eo, ut

(1) Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Hadriani I. tom. I. §. 294. & 307. pag. 235. & 243. Vide Petrum de Marca lib. 3. De Concordia cap. 10. §. 5. & annotat. 3. ad Joannem III. Pontif. LXIII. & 6. ad Stephanum II. Pontif. XCIV.

ut omnia, quæ Pippinus Romanæ Eccleſiæ donaverat ac reſtituerat, amplioribus privilegiis confirmaret. Sigebertus in Chronico ad an. 773. addit, Carolum poſt captum Ticinum Romam iterum conceſſiſſe, atque interfuiſſe Synodo 153. Epiſcoporum & Abbatum, in qua Hadrianus ei tribuerit jus eligendi Pontificem Romanum, ac inſuper decreverit, ut Epiſcopi ſingularum provinciarum ab eo *inveſtituras* acciperent. Verum ipſa verba, quibus id tradit Sigebertus, præſtat, ut opinor, adſcribere. Sunt autem hæc: *Hadrianus Papa ad tuendas res Eccleſiæ Carolum Romam accerſit. Quo pergens Papiam obſidet, ibique relicto exercitu Romam pervenit, ſanctam Reſurrectionem ibi peregit, poſtea rediens Papiam cepit. Iterumque Romam rediit, Synodum conſtituit cum Hadriano Papa, aliiſque centum quinquaginta tribus religioſis Epiſcopis & Abbatibus, in qua Hadrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, dignitatem quoque Patriciatus*, (2) *inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi a Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, a nemine conſecretur: omneſque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, eorum bona publicari*. (3)

Hæc Sigebertus Monachus Gemblacenſis *ſcribebat anno Redemptoris* 1112. *poſt annos videlicet trecentos & triginta octo ab hoc tempore nullo alio aucto-*

(2) *In Chronico Sigeberti legitur* Principatus, *nullo ſenſu. Sed in variis MSS. & apud Gratianum e Sigeberto legitur* Patriciatus. Petrus de Marca lib. 8. De Concordia cap. 12. §. 13. Vide annotat. 6. ad Stephanum II. Pontif. XCIV.

(3) Sigebertus in Chron. ad an. 773. inter Scriptores Rer. Germanic. Piſtorii tom. I. pag. 780. Gratianus diſt. 63. cap. *Hadrianus* 22.

Sigebertum exſcripſit Sigonius de regno Italiæ lib. 4. pag. 144.

ſtore conſcio , *favens Henrico Imperatori Schiſmati-co*, (4) qui Eccleſiarum *inveſtituras* ſibi adverſus Paſchalem II. vindicabat. Ita placet magnis viris Baronio, Bellarmino, Gretſero, Thomaſſino, aliiſque: & quidem recte ac jure placet; (5) Nam Carolum Magnum poſt captum Ticinum veniſſe Romam, falſum eſt. Siquidem Eginhardus Cancellarius Caroli Magni expreſſe affirmat, *intra ſeptem & quadraginta annorum*, *quibus regnaverat*, *ſpatium quater tantum illo votorum ſolvendorum ac ſupplicandi cauſſa profectum eſſe*. Primum Romam ſe contulit Carolus pridie feſtum Paſchæ *anno* 774. *cum Papiam obſideret*; *anno iterum* 781. *cum ejus filii Pippinus Italiæ*; *Ludovicus Aquitaniæ Reges ab Hadriano inuncti ſunt*; *anno* poſtea 187. *cum inde Capuam ac Beneventum adverſus Grimoaldum Ducem profectus eſt*: (6) denique ad ſedandas turbas contra Leonem III. excitatas ab Romanis, anno 800. ; quando ab eodem Pontifice Imperator conſtitutus eſt. Ubi ergo eſt quintus a Sigeberto confictus Caroli in Ur-

(4) Baronius ad an. 774. §. 10.

Eugenius Lombardus, ſeu Cæleſtinus Card. Sfondratus in Regali Sacerdotio lib. 1. §. 5. tom. XI. Bibliothecæ Pontificiæ Rocaberti pag. 328. *Audi Morerum in ſuo Dictionario Gallico, & ipſum Gallum in Vita Sigeberti*: Sigebertus; *inquit*; Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. Paſchalem II. ſummos Pontifices adhæſit; quæ cauſſa illi fuit, ut multa ſcriberet, non in præjudicium tantum Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam falſa, & petulanter effuſa.

(5) Baronio ad an. 774. §. 10.

Bellarmino De Scriptoribus Eccleſiaſticis ad an. 1145. tom. 7. pag. 386.

Gretſero in Apologia Baronii cap. 1. & Contra Replicatorem cap. 1. & 2. tom. 6. pag. 180. & 366.

Thomaſſino De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 2. lib. 2. cap. 20. §. 5. & cap. 25. §. 2. pag. 364. & 376.

(6) Jacobus Sirmondus annotat. in Epiſtolam Hadriani Papæ ad Carolum Magnum apud Labbeum tom. VI. Conc. pag. 1821.

Urbem adventus? Hoc Eginhardi teſtimonio ad incitas redacti adverſarii comminiſcuntur, Eginhardum loqui duntaxat de itineribus *votorum ſolvendorum cauſſa ſuſceptis*. Sed commentum iſtud revincit Eginhardus ipſe ſubjiciens e veſtigio: *Ultimi adventus ſui non ſolum hæ fuere cauſſæ* (ſupplicandi nimirum & vota ſolvendi) *verum etiam quod Romani Leonem Pontificem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, lingua amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Eccleſiæ ſtatum, ibi totum hyemis tempus protraxit*. (7) Itaque poſtrema ſaltem hac vice Carolus Romam venit alia etiam de cauſſa, præterquam ſupplicandi & vota ſolvendi.

Accedit, quod in illa *univerſali Synodo* perperam dicitur Hadrianus dediſſe Carolo *dignitatem quoque Patriciatus*. Illa enim fruebatur Carolus jure hæreditario uſque ab avo ſub Carolo Martello, cui Patriciatum contulerat Gregorius III., eumque Stephanus II. affirmaverat Pippino & filiis ejus, in quorum numero erat Carolus Magnus. (8) Quare Paulus I. & Stephanus III. Hadriani deceſſores, litteras Carolo Magno Patricio Romanorum inſcripſerunt, (9) ideoque Hadrianus eidem Carolo venienti Romam obviam miſit *venerandas Cruces, id eſt ſigna, ſicut mos eſt, ad Exarchum, aut Patricium ſuſcipiendum*. (10) Acce-

(7) De vita & geſtis Caroli Magni cap. 27. & 28. pag. 123. & 124.

(8) Pagius ad an. 740. §. 4. & 5. Petrus de Marca lib. 1. de Concordia cap. 12. §. 3.

(9) Inter epiſtolas Codicis Carolini apud Muratorium tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. part. 2. pag. 116. & 177. apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1675. & 1715. & apud Gretſerum tom. 6. pag. 704. & 733. Vide annotat. 3. ad Paulum I. Pontif. XCV.

(10) Anaſtaſius in Vita Hadriani I. tom. I. num. 315. pag. 248.

cedit etiam, quod Romani Pontifices ætate Caroli, & initio Principatus Ludovici Pii, electi ſunt nullo interventu Principis. (11) Certe Florus Magiſter in lib. De electionibus Epiſcoporum cap. 6. ita ſcripſit circa annum 820.: *In Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis* (divinæ) *judicio, & Fidelium ſuffragio legitime Pontifices conſecrari*. (12) Qui potuit, quæſo, Florus iſta tam affirmate dicere, ſi jus eligendi Pontificem Carolo Magno Hadrianus conceſſit?

Quid quod Hadrianus ipſe fidem omnem Sigeberto derogat duabus epiſtolis ad ipſum Carolum datis? Altera enim ſcripta anno 784. profitetur, ab ſe ordinatos Epiſcopos Regni Langobardorum, poſt ſuſceptum Cleri & plebis decretum de electione legitima. Altera autem Carolo cupienti & exoptanti, ut Ravennæ Epiſcopus eligeretur coram miſſis ab ſe Legatis, anno 787. reſpondit, id numquam factum, ſed hoc duntaxat Pippini etiam ætate fuiſſe in more poſitum traditione antiqua, ut *Clerus, & plebs Apoſtolica, ſuſcepta admonitione, ſibi eligerent Paſtorem, decretoque electionis, omnium manuum ſubſcriptione roborato, ad Apoſtolicam Sedem perlato, proprium ſibi Antiſtitem conſecrandum peterent*. (13) Itaque in S. Petri Damiani Dialogo, qui inſcribitur: *Diſceptatio Synodalis inter Regium Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem*, nullum jus hujuſmodi Carolo Magno datum ab Hadriano commemoravit Regius Advocatus, qui illud non omiſit, quod Henrico

(11) Id ab exemplis probat Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 2. lib. 2. cap. 25. §. 2. & 3. pag. 876.

(12) Exſtat in Bibl. Patr. tom. 15. pag. 8. & cum Agobardo Baluzii pag. 258.

(13) Epiſtola 85. & 71. Codicis Carolini apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1771. & 1779.

rico IV. ab Nicolao II. conceſſum fertur. (14) Quibus ex rebus breviter diſputatis facile colligi licet, id, quod Sigebertus, ſeu ut Pagio utrique, Cointio, & Mabillonio placuiſſe video, (15) Sigeberti interpolator obganniit, commentum eſſe hominis ſchiſmatici tam male propugnatum ab nonnullis Calvini ſectatoribus, ut eruditos ejuſdem ſectæ viros jam pudeat ineptiſſimæ defenſionis.

Cur autem non pudeat? Etenim rationes, quibus probare contendunt, memorata jura Carolo conceſſa ab Hadriano, teruncii ſunt. Ne videar malitioſe ſubterfugere, quæ opponunt, & ictum declinare, ajo, altum ſilentium de commentitia Sigeberti Synodo eſſe in Hiſtoria Eccleſiaſtica Anaſtaſii Bibliothecarii, quem ibidem, auctore Panvinio in Vita Gregorii VII. (16) dicunt meminiſſe de ea. Idque dictum volo etiam de Theophane, ex quo Anaſtaſius hiſtoriam ſuam ferme verbum e verbo expreſſit. Neque temere hoc dico, ſed præeuntem ſequor eruditiſſimum virum Jacobum Gretſerum, qui utrumque manuſcriptum ſe legiſſe, & nihil hujuſmodi inveniſſe, aſſeveranter pronuntiat, ſubjicitque, nec aliquid tale eſſe in Hiſtoria Miſcella, quæ magna ex parte ab Anaſtaſio ſumpta eſt. (17) Quare Panvinii aſſertio teſtimonio Anaſtaſii deſtituta, quod pace tanti viri dixerim, parum atque adeo nihil habet auctoritatis.

Quid

(14) Opuſculo 4. pag. 27. tom. 3. & apud Baronium ad an. 1062. §. 21. & 30. Vide annotat. 7. ad Nicolaum II. Pontif. CLV.

(15) Antonio Pagio ad an. 774. §. 13. Franciſco Pagio in Vita Hadriani I. §. 13. pag. 594. Cointio ad an. 774. §. 116. tom. 6. pag. 72. Mabillonio lib. 3. De re diplomatica cap. 3. §. 16.

(16) Apud Gretſerum tom. 6. pag. 107.

(17) Contra Replicatorem lib. 2. cap. 1. tom. 6. pag. 371.

Quid vero reſpondendum Gregorio VI. aſſerenti apud Gulielmum Malmesburienſem, jus iſtiuſmodi Carolo Magno datum ab Hadriano? (18)

Næ ego in Pontificis auctoritate libenter acquieſcam, ſi certum ſit, orationem illam eſſe Gregorii VI., neque potius ei a Malmesburienſi affictam eo modo, quo ab Oratoribus aliqui interdum ea dicentes inducuntur, quæ numquam ipſi cogitarunt. Nimirum Malmesburienſis *opinionem*, *quam ex* Sigeberto *hauſerat*, Gregorio VI. *de ſua innocentia differenti attribuit: cum Gregorii VI. tempore diploma hoc necdum cuſum fuiſſet. Nam ſi cuſum erat*, *cur* Henricus quartus *&* quintus *tot annis cum Pontificibus de Epiſcoporum inveſtituris*

(18) Malmesburienſis lib. 2. De rebus geſtis Regum Anglorum apud Gretſerum in Baſilico Doro, cap. 5. tom. 7. pag. 43., ita loquentem facit Gregorium VI.: *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus I., quod inveſtituras Eccleſiarum Carolo Magno conceſſerit, ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi prius a Rege inſigniretur & anulo & baculo. Contra laudatur in noſtri ſæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita?* Quod erat *animus Magni adverſus avaritiam invictus, nec facile inveniſſet aditum aliquis, niſi intraſſet per oſtium. Præterea per tot terrarum interſtitia nequibat requiri Sedes Apoſtolica, ut unicuique electo accommodaret aſſenſum ſuum, dum eſſet prope Rex, qui nihil per avaritiam diſponeret, ſed juxta ſacra Canonum ſcita religioſas perſonas Eccleſiis introduceret. Nunc omnia palatia Regum luxus, & ambitus occupavit. Quare merito libertatem ſuam ſponſa Chriſti aſſeverat, ne illam tyrannus ambitioſo uſurpatori proſtituat.* Poſtea Malmesburienſis hujuſmodi privilegium urgentibus, reſponſum hoc ab Gregorio VI. datum fingit: *mutata eſſe tempora, mutatas perſonas. Hæc talia olim abſque avaritia, corde puro & ſimplici peracta: nunc auri ſacra fame invaleſcente omnia venalia eſſe; & Epiſcopatus, ceteraſque Prælaturas ita Simoniace quaſi in foro exponi, ut qui plus æris annumeraret, dignitatem obtineret, licet ceteroqui mortalium ineptiſſimus eſſet. Hinc privilegium Carolo conceſſum merito revocatum eſſe, quando poſteri Caroli eo tam flagitioſe abutebantur.*

ris digladiantes, ſe & ſuum jus hoc privilegio numquam tutati ſunt? Cur tam altum eſt de eo ſilentium in rebus geſtis & ſcriptis Gregorii VII. *& Pontificum, qui hunc ſecuti ſunt, & cum Imperatoribus perpetuo ob* inveſtituras *decertarunt?* (19)

At Leo VIII. *in Synodo congregata Romæ in Eccleſia S. Salvatoris: Ad exemplum B. Hadriani Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum & Langobardorum Patriciatus dignitatem, & ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit*, eadem Ottoni I. largitus eſt, ut apud Gratianum legere licet. (20) Nimirum apud Gratianum *inconſiderate nimis iſta tractantem*, ut veriſſime dicit Baronius ad an. 964. §. 22. Hujus enim conſtitutionis νοθεία (21) initio ſtatim ſe prodit. Nam Pſeudopontifex Leo VIII. ait, ſe id Ottoni I. Imperatori concedere *ad exemplum B. Hadriani*, cum nihil hujuſmodi Carolo Magno, ut graviſſimis rationum momentis probavimus, Hadrianus conceſſerit. Deinde quid cauſſæ fuit, cur Leo hac conſtitutione Ottoni, qui ab Joanne XII. jam conſecratus fuerat Imperator, daret, *ut ipſe eſſet Patricius & Rex?* An non cum Imperio dignitas Patriciatus conceſſa fuit? An quid amplius & auguſtius ſonat Regis nomen, quam Imperatoris? Nonne dignitati Patriciatus tum ſubrogata eſt dignitas Imperii Occidentalis, cum ab Leone III. Imperator creatus eſt Carolus Magnus, qui ob eam cauſſam *omiſſo Patricii nomine Imperator & Auguſtus appellatus eſt?* (22) Inſuper *ait Leo ſe donare Ottoni, quæ ſibi obvenerant a* Juſtiniano

S Imp.

(19) Gretſerus in Baſilico Doro cap. 5. tom. 7. pag. 43. & lib. 2. contra Replicatorem cap. 1. tom. 6. pag. 371.

(20) Diſt. 63. cap. *In Synodo* 23.

(21) Spuria auctoritas.

(22) Eginhardus in Annalibus ad an. 801. apud Ducheſnium tom. 2. pag. 251.

Imp. & Ariperto Rege, *& tamen Juſtinianus Imp. & Aripertus Langobardorum Rex nihil Eccleſiæ Romanæ dedere. Tum addit ſe tradere* Corſicæ Regnum, *quod tamen* Ottonis *tempore nondum inſtitutum erat. Dat etiam* Ducatum Iſtriæ, Dalmatiæ, *in quibus Pontifices nihil umquam poſſedere* (23) *Præterea quod illic in fine legitur, ut ultimo afficiatur ſupplicio, ſi quis ejus Conſtitutionis invenietur eſſe tranſgreſſor: quam illud abhorret a Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ut violatoribus pœna mortis etiam irrogetur.* (24) Quomodo igitur Leo VIII. Romanæ Eccleſiæ olim Protoſcriniarius, ideoque moris Curiæ Romanæ non ignarus, pœnam hujuſmodi conſtituiſſet in Conſtitutionis violatores? Nec mirum alicui videri debet, tam hoc, quam illud Hadriano I. ſuppoſitum ab homine ſchiſmatico decretum collectioni ſuæ Gratianum inſeruiſſe. Etenim *Gratianus non habuit delectum Auctorum, ex quibus decreta collegit.* (25)

Neque reſponderi poteſt, hos duos canones, qui habentur apud Gratianum diſt. 63. can. Hadrianus, *& can.* In Synodo, *niti etiam auctoritate* Ivonis *Carnotenſis, qui Sigeberto antiquior fuit. Exſtant enim in* Pannormia, *ſive* Pannomia, *ut rectius ſcribi deberet, Ivonis lib. 8. cap.* 135. *&* 136. *Hoc, inquam, reſponderi non poteſt, quoniam Auctor* Pannormiæ *Ivonis, non fuit Ivo, ſed alius recentior, qui canones collegit magna ex parte ex Ivone, ſed ad-*

(23) Pagius ad an. 964. §. 7. ubi ad extremum dicit, *Marcam*, qui *lib.* 8. de Concordia cap. 12. *Leonis* VIII. *reſcriptum genuinum putat, illud juxta leges Criticæ non examinaſſe, indeque* Hadriani *Papæ* I. *Decretum de Inveſtituris, quo Diploma iſtud innititur, ut legitimum admiſiſſe, licet merum Schiſmaticorum commentum ſit.*

(24) Baronius ad an. 964. §. 23.

(25) Bellarminus De Scriptoribus Eccleſiaſticis ad an. 1145. tom. 7. pag. 387.

addidit etiam aliquos ex decretis, quæ facta ſunt poſt obitum Ivonis. *Itaque vocatur* Pannormia *Ivonis; quia eſt quaſi compendium Decreti Ivonis, non quod auctor compendii fuerit* Ivo. *Quod enim auctor* Pannormiæ *fuerit Ivone poſterior, colligitur ex lib.* 8.; *ubi ponuntur multa decreta Innocentii II., qui ſedit poſt obitum Ivonis. Vide* lib. 8. cap. 141. 142. 143. 149. 152. *Quemadmodum igitur in* Pannormia *inveniuntur canones Innocentii II., qui fuit Ivone poſterior,* (26) *ita poteſt fieri, ut canones illi duo* Hadrianus; *&* In Synodo *deſumti ſint ex auctore, qui vixerit poſt* Ivonem. *Certe canones iſti in Decreto* Ivonis, *cujus* Pannormia *dicitur eſſe compendium; nullo loco inveniuntur*. Ita Bellarminus. (27) Labbeus quoque & Pagius Pannormiam Ivoni Carnotenſi abjudicant. (28) Adjudicat vero Baluzius in Præfat. ad Antonii Auguſtini Dialogos *De emendatione Gratiani*, fretus *vetuſtiſſimo Codice MS. S. Victoris Pariſienſis*: idem tamen ſubdit, *cum Antonio Auguſtino dicendum, addita eſſe decreta illa Pannormiæ*.

Præterea urgent hoc etiam, Petrum Diaconum lib. 4. Chron. Caſin. cap. 97. ſcripſiſſe hoc modo: *Innocentius Alemmanorum & Lotheringorum terram ingreſſus à Lothario Rege juxta Leodium excipitur virgam & anulum ei juxta morem antiquum confirmans*. Apage commentum putidiſſimum. Inſtitit quidem Leodii Innocentio II. Lotharius, ut ſibi reſtitueret *inveſtituras* nuper dimiſſas ab Henrico IV. ſed fruſtra prorſus inſtitit. Qua de re aperte teſtatur S. Bernardus, qui epiſt. 150. ut Innocentium II. rerum præclare geſtarum re-

(26) Annis quindecim: Ivo enim obiit anno 1115. & Innocentius II. Pontifex creatus eſt anno 1130.

(27) In Recognitione Librorum ſuorum, quæ exſtat tom. 5. pag. 22.

(28) Labbeus apud Bellarminum De Scriptor. Eccleſ. ad an. 1088. tom. 7. pag. 351. Pagius ad an. 1117. §. 16.

cordatione excitaret ad coercendam ambitionem Philippi neſcio cujus, qui ſedem Turonenſem occupare tentabat, ita ſcribit de congreſſu ejus Leodii habito cum Lothario Rege : *Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquieſcere, obſequi, & obedire nimis importunis improbiſque poſtulationibus iracundi atque iraſcentis Regis*. Neque ſolum Innocentius, ſed ipſe etiam S. Bernardus Lothario *murum ſe oppoſuit. Audacter enim reſiſtens Regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit*. (29) Otto autem Friſingenſis narrat, Lotharium modeſte quidem expoſuiſſe Innocentio II. detrimenta regno ſuo illata per abrogationem *inveſtiturarum*, ipſas autem *inveſtituras* ab eo petiiſſe, nullo modo refert. (30) Quis igitur, niſi forte aliquis Calvini de grege obtrectator, fidem ſuam adjungat Petro Diacono, qui *in gratiam ejuſdem Lotharii adverſus apertiſſimam veritatem de inveſtituris, affirmat eas ab Innocentio Papa in eo conventu Leodienſi Lothario fuiſſe conceſſas*? (31) Hactenus mihi videor potiſſime dixiſſe de Synodo, quæ falſo tribuitur Hadriano I.

(29) Auctor Vitæ S. Bernardi Abb. Claravallenſis lib. 2. cap. 1. apud Surium die 20. Auguſti tom. 4. pag. 247. & apud Baronium ad an. 1131. §. 7. Vide annotat. 6. ad Innocentium II. Pontif. CLXIV.

(30) Ecce verba Ottonis in Chron. lib. 7. cap. 18. *Indeque profectus* (Innocentius) *apud Leodium Belgicæ Urbem ſynodum Epiſcoporum convocans Regem* Lotharium *ad defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ invitavit. Qui nihil cunctatus, expoſito tamen prius modeſte, in quantum Regnum amore Eccleſiarum attenuatum, inveſtituram earum quanto ſibi diſpendio remiſerit, auxilium Romanæ Eccleſiæ promittit*.

(31) Baronius ad an. 1131. §. 8.

DISPUTATIO XX.

De Conſtitutione Ludovici Pii ad S. Paſchalem I.

Paſchalis poſt expletam conſecrationem ſolemnem, Legatos cum epiſtola apologetica & maximis muneribus Imperatori Ludovico Pio miſit, *inſinuans non ſe ambitione, nec voluntate, ſed electione & populi acclamatione huic ſuccubuiſſe potius, quam inſiluiſſe dignitati. Hujus bajulus fuit Theodorus Nomenclator, qui peracto negotio & petitis impetratis ſuper confirmatione ſcilicet pacti & amicitiæ more prædeceſſorum ſuorum reverſus eſt.* (1) *Romam rediens non tabulas modo pacis & amicitiæ, ut moris erat, a Ludovico accepit Paſchali Papæ deferendas, ſed etiam conſtitutionem, qua Imperator donationes ab Avo Pippino, & a Patre Carolo Apoſtolicæ Sedi factas* ratas eſſe juſſit & amplificavit, (2) declarans ad extremum, *liberam eſſe velle electionem & coronationem Romani Pontificis, nec ad aliud teneri, qui creatus eſt Pontifex, niſi ubi eſt conſecratus, legationem mittere ad ipſum Imperatorem, qua eum de ſua promotione faciat certiorem,* (3) & inter ſe ac Pontificem *amicitiam, caritatem, & pacem ſociet, ſicut temporibus Caroli Martelli atavi*

S 3 *ſui,*

(1) Anonymus Aſtronomus in Vita Ludovici Pii ad an. 817. apud Ducheſnium tom. 2. Scriptor. Hiſtoriæ Francorum pag. 297.

Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. IX. & X. Differtat. 2. pag. 218. tom. 6.: *Aſtronomus* Ludovico Pio *imperante, rebus Palatinis intererat, & ſcripſit de ejus Actis & Vita, quæ vidit & comperire potuit, ut ipſe teſtatur in Prologo.*

(2) Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad an. 817. §. 6.

(3) Baronius ad an. 816. §. 101.

ſui, Pippini avi, & Caroli Magni Imperatoris genitoris conſuetudo erat faciendi. (4) Hujus Conſtitutionis partem publicarunt Ivo, Gratianus, Volaterranus, (5) *Auctor anonymus, qui Reicherſpergenſes Annales ſcripſit, & Gerhohus Præpoſitus Reicherſpergenſis lib. 1. De inveſtigatione Antichriſti*. (6) *Integram primus edidit Sigonius*, (7) ſed carentem ſubſcriptionibus, & erroribus haud expertem. Baronius deinde *ex Codicibus Vaticanis, quatuor exemplarium facta ſimul collatione*, emendavit, Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit, variaſque lectiones margini adjecit. (8) Gretſerus emendatam incluſit Commentariolo *De Principum in Sedem Apoſtolicam munificentia*, Sirmondus Conciliis Galliæ, Baluzius *Capitularibus Regum Francorum*, Labbeus Conciliorum collectioni maximæ, Cointius Annalibus Eccleſiaſticis Francorum, ubi eam diviſit, illuſtravit, atque oſtendit partim continere donationem novam, partim confirmationem eorum, quæ Romanæ Eccleſiæ donata & reſtituta fuerant. (9) Quod colligitur ex ipſamet Conſtitutione, quæ tam ſub initium, quam ſub finem dicitur *Pactum confirmationis*. Eademque forſitan

(4) Sunt verba Conſtitutionis apud eumdem Baronium ad an. 817. §. 14.

(5) Ivo Carnotenſis in Lib. Decretorum part. 5. cap. 51. Gratianus diſt. 63. cap. 30. Volaterranus in Commentariis Urbanis lib. 3. Geographiæ pag. 21.

(6) Gretſerus in Commentariolo De Imperatorum, Regum, ac Principum Chriſtianorum in Sedem Apoſtolicam munificentia cap. 4. tom. 6. pag. 633.

(7) Cointius ad an. 817. §. 6. Sigonius lib. 4. De Regno Italiæ ad an. 817. pag. 171.

(8) Baronius ad an. 817. §. 10. & 14.

(9) Gretſerus De Principum in Sedem Apoſtolicam munificentia cap. 4. tom. 6. pag. 631. Sirmondus Conc. Galliæ tom. 2. pag. 443. Baluzius Capitul. Reg. Franc. t. 1. p. 591. Labbeus tom. 7. Conc. pag. 1515. Cointius ad an. 817. §. 6. tom. 7. pag. 385.

ſitan de cauſſa a Leone Oſtienſi vocatur *Pactum conſtitutionis & confirmationis*. (10) Itaque recte Gretſerus, *Donatio Ludovici*, inquit, *non tam eſt nova donatio, quam confirmatio & ratihabitio earum, quæ jam a Pippino, & Carolo Magno factæ fuerant, ut patet ex ipſo diplomatis contextu*. (11)

Hactenus ſunt, qui meminerunt Conſtitutionis Ludovici Pii poſt Leonem Oſtienſem: deinceps qui ante eum meminerunt. Refellendi enim ſunt, qui dicunt, Leonem Oſtienſem ſæculi XI. ſcriptorem fuiſſe primum, qui mentionem fecerit de ea. Joannes VIII. in Concilio Romano I. anno 877. celebrato, de eadem Conſtitutione loquitur ad hunc modum: *Ludovicus maximus Imperator, Pater hujus a Deo electi Caroli Auguſti* (qui tunc imperabat) *Patrum ſolium adeo religione imitatus, pietate laudabiliter æmulatus, ut & paterna divini cultus vota, & erga prælatam principalem Eccleſiam liberalitatis inſignia Pius natus æquipararet & roboraret, ſed & uberibus beneficiis & dapſilibus munificentiis, ut hæres gratiſſimus, ampliaret*. (12)

(10) Lib. 1. cap. 16. tom. 4. Scriptor. Rer. Italic. pag. 287.

Eodem modo, & eodem ſæculo Auctor Chronici Vulturnenſis lib. 2. apud Ducheſnium tom. 3. Scriptor. Hiſt. Franc. pag. 689. & apud Muratorium tom. 1. part. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 369.

(11) Lib. 2. Contra Replicatorem cap. 6. tom. 6. pag. 383.

Petrus de Marca lib. 3. De Concordia cap. 11. §. 12.: Ludovicus Pius in ſua Conſtitutione *nihil ſibi auctoritatis neque in Romanam Provinciam, neque in ceteras reſervavit, præter ſolas preces &* interceſſionem *ſuam erga Pontificem, ſi quis a judicibus oppreſſus ad ſe confugeret*.

(12) Apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 296.

Idem Joannes VIII. apud eumdem Labbeum pag. 89. & 156. Epiſt. 119. Caroli Calvi, & Ludovici Germaniæ Regis fratris filios, & Ludovici Pii nepotes alloquens, meminit pacti, *quod avi & patres* eorum *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ promiſerunt*. Et epiſt. 206. Carolum Craſſum memorati

Præterea *Vido Imperator* anno 891. IX. Kal. Mart. *ut ſe Pontifici Stephano V. gratum præberet, privilegia ac dona a Pippino Rege, Carolo, & Pio Imperatoribus Romanæ Eccleſiæ data probavit*. (13) Etiam Otto I. Magnus, & Henricus I. Sanctus ejuſdem Conſtitutionis fecere mentionem: quia verba ipſa in ſuas Conſtitutiones tranſtulerunt, & contextum fere integrum recitarunt. (14) Quare *donationis Ludovici cognomento Pii veriſſima hiſtoria eſt*, (15) quam Hæretici quidem impudenter, Catholici vero imprudenter tamquam fabulam rejecerunt.

Argumenta, quibus uſi eam rejicere conati ſunt, videamus. *Vir doctiſſimus* Pagius ad an. 817. §. 7. *hæc hauſit, quod nollem, ex turbidis fontibus Goldaſti & Molinæi, quorum nomina ideo ſilentio præteriit*. (16) *Ex tot enim*, inquit, *Pontificibus Romanis, qui dona a Pippino, & Carolo Magno facta memorarunt, nullus eſt, qui donationis Ludovici Pii meminerit, quia nempe juſtiſſimum habentes titulum rerum ab Eccleſia poſſeſſarum, fictitium con-*

Ludovici Germaniæ Regis filium monet, ut *unum de pactis, & privilegia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ more parentum ſuorum renovare & confirmare ſtudeat*.

(13) Sigonius lib. 6. De Regno Italiæ ad an. 891. pag. 227.

(14) (Si quis Ottonis I. Henrici I. Conſtitutiones legere & conferre velit cum Ludovici Pii conſtitutione, eas habet apud Baronium ad an. 962. §. 3. & ad an. 1014. §. 7. & apud Gretſerum De Principum in Sedem Apoſtolicam munificentia cap. 4. 5. 6. pag. 631. 633. 635. tom. 6.

(15) Franciſcus Hormannus in libro Quæſtionum illuſtrium quæſt. 1. pag. 4.

Gretſerus lib. 2. Contra Replicatorem cap. 6. tom. 6. pag. 383. *Si hoc diploma Pontifici Romano tantum auferret, quantum tribuit, jam non modo authenticum, ſed etiam, ut ita loquar*, authenticiſſimum *eſſet, licet Aventinus, aut Illyricus quiſpiam ante paucos annos illud confixiſſet*.

(16) Fontaninus lib. 1. De Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Hetruſcorum extremo cap. 4. pag. 92.

contemſere . *Præterea* Otto I. *&* Henricus I. *Imperatores ſingillatim enumerant* , *quæ Pippinus & Carolus Magnus Eccleſiæ Romanæ donarunt* , *eaque diplomatis ſuis confirmant* : *ſed donationis Ludovicianæ mentionem non fecere* , *ut videre eſt apud Baronium anno* 962. §. 3. *& ſeqq.* *& anno* 1014. §. 7. *& ſeqq.*

Tertio , Ludovicus *ea donatione concedit Apoſtolicæ Sedi inſulas* Corſicam , & Sardiniam , & Siciliam ſub integritate cum omnibus adjacentibus territoriis *: & tamen Sicilia numquam in poteſtate Caroli Magni* , *nec ſucceſſorum fuit* .

Denique in ea donatione Ludovicus *ſtatuit* , *ut mortuo Pontifice Romano* , *quem omnes Romani elegerint* , *ſine aliqua ambiguitate & contradictione more canonico conſecraretur* . Et cum conſecratus fuerit , *inquit* , Legati ad nos , vel ad Succeſſores noſtros Reges Francorum dirigantur , &c. *quod merum commentum eſt* , *cum ipſo Ludovico Pio vivente* Eugenius II. *Papa ad poſtulationem* Lotharii *Imperii paterni Collegæ ſtatuerit* , *ut Pontifex Romanus non conſecretur* , *niſi in præſentia Legatorum Imperialium* , *quod toto hoc ſæculo & ultra in uſu poſitum fuit* , *abſque eo quod Clerus Romanus illam donationem in medium attulerit* , *licet ſe ab ea lege abhorrere non ſemel oſtenderit* : *imo & Hadrianus* III. *Papa illam reſciderit* , *cujus tamen decretum executioni mandatum non fuit* . *Nullum itaque de ejus falſitate dubium ſupereſſe poteſt* . *Leo Oſtienſis ſæculi duodecimi initio demortuus* , *primus fuit* , *qui ejus meminerit* , *ideoque non multo ante ea excogitata fuerit* .

Primum , atque alterum ex iis , quæ ſupra diximus , falſum eſſe convincitur . Nam Joannes VIII. teſtatur , Ludovicum Pium æmulatum liberalitatem & munificentiam Patrum ſuorum , *uberioribus beneficiis* Romanam Eccleſiam cumulaſſe ,

Or-

Ottonis vero primi diploma majori ex parte compoſitum eſt verbis ipſis, quibus conſtat *Donatio Ludoviciana*, exceptis iis, quæ Otto ſub finem Diplomatis adjecit de libera electione & coronatione Romani Pontificis. (17) Henrici pariter diploma magnam Conſtitutionis *Ludovicianæ* partem continet, nomenque ipſum Ludovici Pii. Quare non ſolum inficias imus, Henricum I. in ſuo diplomate ſiluiſſe de Conſtitutione Ludovici Pii, ſed etiam negamus, nomen Ludovici Pii, quod ibidem legitur, *addititium eſſe*, ut credit Pagius, falſo exiſtimans, eam ſubdititiam eſſe. (18) Præterea ſi Ludovici Conſtitutio ideo commentitia habenda eſt, quod Otto I. & Henricus I. nullam de illa mentionem fecerint, jam eamdem ob cauſſam negandum erit, Imperatores ante Ottonem & Henricum I. ullam condidiſſe, quandoquidem hi numquam meminerunt Conſtitutionum Lotharii I. Ludovici II. Caroli Calvi, & Craſſi, Vidonis, Lamberti, Arnulphi, Ludovici III. & Berengarii I., qui tamen eaſdem pro Eccleſia Conſtitutiones ediderunt, quas antea Pippinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, ac poſtea Otto I. & Henricus I. promulgarunt. Nullum dubitandi locum relinquit Concilium Ravennatenſe anno 904 celebratum. Ibi enim cap. 3. Lambertus Imperator: *Ut privilegium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, inquit, *quod a priſcis temporibus per piiſſimos Imperatores ſtabilitum eſt atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus noſtris, ſicut condecet, immutilatum ſervetur, & ſancta Romana Eccleſia mater noſtra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad Imperii noſtri eſt.* Et cap. 6. ita reſpondet Pontifex Lamberto: *Ut pactum, quod a Beatæ memoriæ veſtro genitore* Vidone,

(17) Vide annotat. 8. ad Joannem XII. Pontif. CXXXIII.
(18) Ad an. 1014. §. 2.

ne, & a vobis piiſſimis Imperatoribus juxta præcedentem conſuetudinem factum eſt, nunc reintegretur, & inviolatum ſervetur. (19) Idem de Carolo Calvo teſtatur Joannes VIII. de Vidone Sigonius, de Berengario coævus Auctor Panegyris ejuſdem Berengarii. (20)

Ad tertium quod attinet. *Nos* Calabriam Siciliamque *eodem modo donatam a Ludovico dicimus, quo modo donationem explicat diploma confirmationis tam* Ottonianæ, *quam* Henricianæ, *nempe non facto* poſſeſſionis, *ſed* jure prætenſionis, *neque re, ſed* promiſſione: *ſiquidem expreſſe habet:* Nec non Patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus, (21) *vindicandum jure belli a Græcis Eccleſiæ hoſtibus propter hæreſim Iconoclaſticam, Advocatiamque inique deſertam, aliaque mala, Apoſtolicam Sedem infeſtantibus, adeoque per arma merito repreſſis*. (22)

Poſtremum ſic refellitur. Nam poſt Conſtitutionem Ludovici Pii Eugenius II. decretum ſuum edidit neceſſitate coactus ad arcendas turbas a comitiis Pontificalibus. Rem ab ovo narrat Pagius ipſe ad an. 825. §. 29. *Mortuo* Paſchali, *a maxima tum Cleri, tum Nobilium parte anno ſuperiori* Eugenius

(19) Apud Baronium ad an. 904. §. 16. & apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 508. & 509.

(20) Joannes VIII. epiſt. cit. Sigonius item loc. cit. Anonymus in Carmine Panegyrico De laudibus Berengarii lib. 4. apud Muratorium tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 412. Vide annotat. 2. ad Joannem X. Pontif. CXXV.

(21) Apud Baronium ad an. 962. §. 5. & ad an. 1014. §. 7.

(22) Ignatius Schvvarz in Collegiis Hiſtoricis Part. 9. quæſt. 2. §. 2. pag. 34.

Eodem modo Ludovicus Pius Paſchali donavit Calabriam, quamvis teneretur dominatu Græcorum, *a quibus & a Saracenis Ludovici II. armis ereptam Carolus Calvus Romanæ Eccleſiæ conceſſit, ut teſtantur Annales Fuldenſes*: Petrus de Marca lib. 3. De Concordia cap. 10. §. 6.

nius II. *electus eſt Pontifex Romanus, & alter ab aliis, indeque ſchiſma exortum, cujus componendi gratia miſſus eſt a Ludovico patre* Lotharius, *qui una cum eo imperabat. Cauſſa utriuſque coram eo agitata, &* Eugenius II. *legitimus Pontifex agnitus. Ad vitanda autem in poſterum comitiorum diſſidia ſtatutum, ut Legati Cæſarei conſecrationi Pontificis Romani intereſſent.* Ludovicus igitur Lotharium filium Romam miſit, *ut vice ſua functus, ea, quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, populoque Romano ſtatueret atque firmaret.* (23) Itaque Eugenii II. decretum, Ludovico Pio non ſolum vivente, ſed etiam volente & conſentiente ſancitum *toto ſæculo IX. & ultra* ſervatum eſt, quia neceſſarium creandis Romanis Pontificibus ſine tumultu: ideoque confirmatum anno 847. a Leone IV., referente Pagio ad an. eumd. §. 9. poſtea anno 897. ab Stephano VI. & anno 904. ab Joanne IX. in Concilio Romano. Ex quibus *patet, uſum, quem tamdiu Pontifices exhorruerant, & tam anxie amoliri enixi fuerant, longo annorum lapſu, rerumque ſtupenda viciſſitudine, tantæ utilitatis, tantæ neceſſitatis evaſiſſe, ut in Legem Canonicam cooptatus ſit.* (24) Nulla igitur cauſſa erat, cur Clerus Romanus Ludovici Conſtitutionem proferret adverſus decretum Eugenii II., tam utile ac neceſſarium, ut quamvis Hadriani III. auctoritate abrogatum, vim habere non deſierit.

Præterea ſi Conſtitutio Ludovici Pii ideo commentitia habenda eſt, quia a Clero Romano numquam in medium allata ad removendos Legatos Imperatoris a conſecratione Romani Pontificis; eam-

(23) Annales Bertiniani ad an. 824. tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 516.

(24) Thomaſſinus De Vet. & Nova Eccleſiæ diſciplina part. 2. lib. 2. cap. 25. §. 6. pag. 378.

eamdem ob rem ſubdititium item erit decretum, quo Hadrianus III. de eadem conſecratione idem ſtatuit, ac Ludovicus Pius: ſiquidem neque hoc umquam in medium attulit Clerus Romanus. Cum igitur Hadriani III. decretum Pagio ſuppoſititium non ſit, neque Conſtitutio Ludovici Pii ſuppoſititia Pagio eſſe debet. (25) Leonem vero Oſtienſem non fuiſſe primum, qui de Ludovici Pii Conſtitutione meminerit, ſupra demonſtratum eſt.

Alii perinde, ac Pagius, ſecuti Goldaſtum & Molinæum rejiciunt Ludovici Pii Conſtitutionem his etiam de cauſſis, primum quia Anaſtaſius Bibliothecarius ſiluit de ea: deinde quia Conſtitutionis exemplaria non conſentiunt inter ſe: poſtremo quia Ludovicus omnia patrimonia ſua Romano Pontifici condonat, quod incredibile eſt.

Ad primum *reſpondeo, alios non ſilere. Cur potius audiamus ſilentes, quam loquentes?* (26)

Ad ſecundum. Verba quidem Conſtitutionis paullo diverſa ſunt apud diverſos, eadem tamen eſt ubique ſententia. *Quod vero ex diverſitate verborum Inſtrumenti, etiam donationis falſitatem concludit Molinæus, male facit. Sic enim librorum fere omnium exemplaria ſuſpicione falſitatis non carerent, cum injuria temporis, incuria librariorum, varietate interpretum in omnibus ferme libris frequens occurrat verborum & rerum ſeries in pleriſque diverſa.* (27)

Tertium non aſſeruiſſent, ſi paullo attentius ſen-

(25) Gretſerus in Myſta Salmurienſi cap. 36. tom. 7. pag. 285. *Nec proba eſt hæc conſecutio, quam tacite Pleſſæus* (& Pagius) *innuit*: Renunciatio Ludovici non eſt poſterioribus ſæculis obſervata: ergo eſt fictitia, neque umquam a Ludovico profecta.

(26) Idem Gretſerus ibidem.

(27) Marcus Antonius Capellus De ſucceſſione Epiſcopi Romani cap. 10. tom. 16. Bibliothecæ Pontificiæ Rocaberti pag. 112.

ſenſum Diplomatis expendiſſent. Ludovicus enim affirmat Apoſtolicæ Sedi præter donationem Urbium ac provinciarum, quas ſupra memoraverat, etiam patrimonia S. Petri, quæ in ſuo erant dominatu. *Patrimonia* (28) *ad poteſtatem & ditionem noſtram pertinentia*, inquit, *ſicut eſt patrimonium Beneventanum, & Salernitanum, & patrimonium Calabriæ inferioris & ſuperioris, & patrimonium Neapolitanum, & ubicumque in partibus Regni atque Imperii noſtri a Deo nobis commiſſi patrimonia Veſtra eſſe noſcuntur*. Ita veteres Codices Vaticani, in quibus legitur *Veſtra*, non autem *Noſtra*, ut eſt apud Baronium ad an. 817. §. 11., qui ad marginem Conſtitutionis Ludovici ex mendoſo Sigonii Codice deſcriptæ appoſuit emendationes variaſque lectiones ex iiſdem Vaticanis Codicibus depromtas, ut dictum eſt. Ad eumdem modum Labbeus tom. 7. Conc. pag. 1516. advertit, *legendum haud dubie Veſtra*. Quod confirmat Harduinus tom. 4. Conc. pag. 1236.

Sunt etiam, qui dicant, Conſtitutionem Ludovicii Pii ideo eſſe ſuppoſititiam, tum quia *Corſicam & Sardiniam* complectitur, quarum utraque erat in ditione Francorum, & neutra in Conſtitutione Ottonis I. & Henrici I. memoratur; tum quia Baluzius in Capitularibus Franc. tom. 2. pag. 1104. & Mabillonius De re Diplomatica lib. 2. cap. 3. §. 13. de eadem Conſtitutione callide dubitarunt.

At Corſicam Eccleſiæ donatam a Carolo Magno, teſtantur Anaſtaſius in Hadriano I. pag. 250. & Leo III. epiſt. 8. ad Carolum Magnum. (29) Gregorius vero VII. epiſt. 4. libri 5. dicit, *Inſulam* illam *nulli mortalium, nullique poteſtati, niſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex debito, vel juris pro-*

prie-

(28) S. Petri, cujus nomen ſupra poſitum eſt.
(29) Apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 1121.

prietate pertinere. (30) Quare Ubertus Folieta lib. 1. Hiſt. Genuenſis (31) ſcribit, *Saracenis ex Corſica expulſis, ejus inſulæ imperium Genuenſi populo adjunctum: quod bello partum poſtea Romani Pontifices illi ratum fecerunt*. Si igitur donatio Caroli Magni commentitia non eſt, quod Corſicam contineat, non video, cur donatio Ludovici Pii ſubdititia habenda ſit, quod eamdem inſulam complectatur. De Sardinia item tamquam ditione Sedis Apoſtolicæ verba facit Gregorius VII. lib. 1. epiſt. 41. & lib. 8. epiſt. 10. ad Orzoccum judicem Calaritanum, (32) & facile crediderim, Sardiniam juxta, atque Siciliam Eccleſiæ conceſſas ratione patrimoniorum, quæ Romana Eccleſia in utraque inſula poſſidebat uſque a S. Gregorio Magno, ut conſtat ex ejus epiſtolis lib. 1. epiſt. 2. 3. 70. 72. lib. 2. epiſt. 32. lib. 9. epiſt. 2. 64. & lib. 14. epiſt. 2. In Conſtitutione autem Ottonis I. & Henrici I. nulla quidem mentio eſt de Sardinia, *inſula* tamen *Corſica*, & *patrimonium Siciliæ* aperte nominatur, ut legere eſt apud Baronium ad an. 962. §. 4. & 5. & ad an. 1014. §. 7. (33)

Etſi vero Baluzius & Mabillonius *aliqua dubia moverint*, *neutiquam tamen ea momenti tanti judicarunt*, *ut diploma* Ludovicianum *veluti ſuppoſititium declararent*. (34) Imo Mabillonius adjicit, illud de-

(30) Apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 179.

(31) Pag. 235. tom. 1. Theſauri Antiquit. & Hiſtoriar. Italiæ.

(32) Apud eumdem Labbeum t. 10. Conc. p. 38. & 259.

(33) Petrus de Marca lib. 3. De Concordia cap. 11. §. 4.: *Sciunt omnes, patrimonia illa Calabriæ & Siciliæ latifundia fuiſſe, quæ per Defenſores eo miſſos ſummi Pontifices curabant, ut patet e variis epiſtolis Gregorii Magni, vel ut loquitur Nicolaus Alemannus De Lateranenſibus Parietinis cap.* 15.: diſponendo per familiares ſuos regere ſtudebant.

(34) Ignatius Schvvarz Collegiorum Hiſtoricorum part. 9. quæſt. 2. pag. 21.

defendi a Baronio, Gretſero adverſus Molinæum, & Carolo Cointio in Annalium tomo ſeptimo ad an. 817. §. *6.*, prorſus ut non videatur Mabillonius de *Ludoviciano* diplomate callide dubitaſſe. (35)

(35) Vide Gretſerum De munificentia Principum Chriſtianorum in Sedem Apoſtolicam, cap. 21. 31. & 33. tom. *6.* pag. *648. 655.* & *656.*

FINIS.

IN-

INDEX RERUM.

A

AGrippinus Carthaginienſis Epiſcopus omnium primus rebaptizandum eſſe cenſuit. pag. 72
Alexander *Natalis* confutatus. 64. 185. & ſeqq. 169. & ſeqq.
Alexander Severus imaginem Chriſti habuit in larario ſuo. 64
Alexandrini Chronici Auctor. 10
Alexandrino Epiſcopo olim demandata cura præſtituendi diem Dominicum Paſchæ celebrando. 148
Anacletus diverſus a Cleto. 45
Anglia cur Saxoniæ etiam nomine nuncupata. 219
Antiochia Metropolis totius Orientis. 17. Prima primi Apoſtoli ſedes. Ibid. Cur Petrus Antiochiæ potius, quam alibi ſedem poſuerit. Ibid. Illic primum nomen Chriſtianorum exortum. 19. 22
Antichriſti adventus imminere creditus. 107
Apollonii ſententia de dato Apoſtolis a Chriſto præcepto, ne ante duodecim ab ejus morte annos Hieroſolymis diſcederent, explicatur. 23
Apoſtoli omnium linguarum ſcientia donati. 28
Arelatenſe Concilium I. anno 314. celebratum. 87. Non eſt *Plenarium* S. Auguſtini. 88. Ex omnibus Epiſcopis provinciarum Occidentis conflatum. 176
Argumenta negantia quanti ſint ponderis. 202. 209. 255.
Ariani in cujus nomine baptizarent. 98
Armenii panem azymum ad hanc diem conſecrant. 142. 145. Primus eorum Epiſcopus. ibid. & 143. Eorum Catholicus. 144. Eorum Epiſcopi interfuerunt Concilio Conſtantinopolitano II. OEcumenico V. 145. Contra Armenios multa decrevit Synodus *Trullana*. 144. Deficiunt ad hæreſim Eutychianam. 153. & ſeq.
Aſiani cenſebant, Paſcha celebrandum ipſa Luna quartadecima Martii more Hebræorum. 50
Auctores contemporanei quinam. 169
Audientes dicti Pœnitentes publici ſecundæ claſſis. 66
Auguſtinus S. agnoſcit Romanorum Pontificum ſucceſſionem numquam intermiſſam. 32. Ignoravit Canonem Con-

Concilii Nicæni vetantem, ne in una Civitate duo ſint Epiſcopi. pag. 100. & ſeq. Quid cenſeat de Libris Scripturarum, qui *Canonici* appellantur. 232. Quid ſpeciatim de Evangelio. Ibid.
Aureliani Imperatoris mors. 120
Azymi conſecrandi ritus ex Apoſtolica Traditione. 122. ſeqq. Azymo uſum eſſe Chriſtum Dominum ad Euchariſtiam inſtituendam, olim credidit etiam Eccleſia Græca. 133. Azymus multo convenientius conſecratur, quam fermentatus. 140. & ſeq.

B

BAbylonis nomine in Epiſtola D. Petri intelligitur Roma. pag. 28. 29. 32. 34
Baptiſmi Sacramentum in Chriſti nomine plenum eſt. 80. De baptiſmo hæreticorum quid S. Stephanus I. & S. Cyprianus ſenſerint. 75. Hæreticorum baptiſmus non iterandus. 78. 99. Baptiſmi iterandi auctor primus Agrippinus Epiſcopus Carthaginienſis. 72. Controverſia de baptiſmo hæreticorum dirempta in Concilio *Plenario* ſecundum ſententiam Stephani I. 87. Olim baptiſmus ad mortem uſque protrahebatur. 164
Barnabas cum D. Paulo prædicabat. 4
Baronii regula pro Hiſtoria. 137
Baſilius Orientis Imperator apud Ludovicum II. Imperatorem Occidentis conqueſtus, quod nomen *Imperatoris* uſurparet. 250
Bernardus S. ſe oppoſuit Lothario II. Epiſcoporum *inveſtituras* repoſcenti. 276
Blaſtus qua de cauſſa damnatus. 60
Bona Cardinalis quid ſenſerit de uſu azymorum. 122
Breviarii Romani auctoritas. 175

C

CÆſarea Metropolis Palæſtinæ. pag. 17
Calmet *Auguſtinus* confutatus. 138
Calvinus ipſe fatetur, D. Petrum Apoſtolorum Principem Romæ fuiſſe. 32
Carolus *Magnus* primus ex gente Francorum Imperator. 250. Quoties Romam venerit. 268. Regnavit annos ſeptem

ptem & quadraginta. Ibid. A Leone III. Imperator conſtitutus eſt. Ibid. & 273.
Caſſiodori conſiliū in ſcribenda Hiſtoria Tripartita. pag. 190
Catechumeni vocabantur etiam *Chriſtianorum* nomine. 65. Confeſſionem peccatorum inſtituebant. Ibid. Pœnitentiæ addicebantur. Ibid. Alii *Audientes*; alii *Competentes*. 162
Catholicus nomen eſt dignitatis, & Primatem ſeu Patriarcham ſignificat. 144
Cephas, cui S. Paulus Antiochiæ *in faciem reſtitit*, idem eſt, ac S. Petrus. 2. & ſeq. Vox *Cephas* quid ſignificet. 6
Cerularius renovavit Schiſma Photianum. 128. Omnium primus objecit Latinæ Eccleſiæ, quod uteretur pane azymo. 133. 146
Childericus III. Rex Francorum regno privatus eſt auctoritate S. Zachariæ Pontificis. 247. & ſeqq.
Chriſtiani primum cognominati diſcipuli Antiochiæ. 22. Olim panem offerebant in Miſſa ab Sacerdote conſecrandum. 130. Olim in Jordane baptizari cupiebant. 163. & ſeq.
Chriſtus in ultima cœna azymum panem conſecravit. 131. 147. Ejus actiones omnes præceptum non continent. 139. Ejus corpus a jejunis ſemper accipitur. 140. Deſcendens ad inferos quoſnam liberaverit. 225
Chryſoſtomi Epiſtola ad Cæſarium num ſuppoſititia. 213
Clemens a D. Petro Pontifex deſignatus abiit de jure ſuo. 42. 47.
Clericis vetitum ab Nicæna I. Synodo cointroductam habere mulierem. 181
Cletus diverſus ab Anacleto. 43
Commentaria in *Epiſt. ad Romanos* non ſunt S. Hieronymi, ſed Pelagii, aut hominis Pelagiani. 36
Conſtantinopolitanum Concilium OEcumenicum II. anno 381. celebratum. 95
Conſtantinus *Magnus* primus Imperator Chriſtianus. 61. Baptizatus ſub finem vitæ. 164. & ſeqq. Ubi mortuus. 162. A quo baptizatus. 166. Quomodo extremo vitæ ſuæ tempore viſus ſit declinare in dogma Arianum. 167. Ejus Baptiſterium Romæ nullum ætate Hieronymi, & Ambroſii. 168. Ejus ſententia cedro digna pro Epiſcopis. 177

Digitized by Google

Conſtitutio Ludovici *Pii* legitima & vera. 236. & ſeqq.
Controverſia de die celebrandi Paſchæ ſub Aniceto exorta. 50. Sub Victore I. majore contentione agitata. 51. Pertinebat ad diſciplinam, non ad Fidem. pag. 60. De baptiſmo hæreticorum diremta in Concilio *Plenario* ſecundum Stephani I. ſententiam. 87
Conſuetudinis mutatio perturbat. 123. Conſuetudo introducit legem. 193
Corſica Eccleſiæ donata a Carolo Magno. 286. Eam Pontifices Genuenſi populo affirmarunt. 287
Cypriani error in cauſſa Baptiſmi excuſatur. 85. & ſeq.
Cyrillus S. Hieroſolymitanus excuſatur. 99

D

DAmaſceni Joannis S. Oratio *De iis, qui in fide dormierunt*, ſubdititia. 228
Datio Mediolanenſi adſcriptum Chronicon legitimum ejus opus non eſt. 151
Decreta Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. omnino obſcura ſunt & implicata. 134
Defenſores quinam. 242
Dinocrates frater S. Perpetuæ. 232
Diocletiani perſecutio adverſus Chriſtianos. 109. & 110
Diſciplina Eccleſiæ mutabilis. 61
Dodvvellus Henricus confutatus. 102. & ſeqq.
Domitianus portio Neronis de crudelitate. 116. Dictus etiam Nero, & Nerone ſævior. 117. Ejus perſecutio minor Neroniana. Ibid.
Donatiſtæ contendebant, Eccleſiam Chriſti de toto terrarum Orbe, ubi futura promiſſa eſt, periiſſe, atque in Africana Donati parte remanſiſſe. 92
Donatus a Caſis Nigris cur damnatus. 89
Dorotheus Tyrius fabuloſus. 9

E

EBionitæ dicebant, ſimul cum Evangelio legalia obſervanda. pag. 136. In ſacris Myſteriis utebantur pane azymo. 136. 141. Et quidem ad imitationem Sanctorum, qui erant in Eccleſia. 137. A S. Epiphanio coarguuntur, quod alteram Euchariſtiæ partem conficerent

rent aqua ſola. 137. & 154
Eccleſia non omnino imminuit Græcorum Sacræ Scripturæ Codicum auctoritatem. 15. Ejus diſciplina mutabilis. 61. Ejus perſecutiones. 105. & ſeqq. Eccleſiæ omnes Occidentales a Petro, vel Petri ſucceſſoribus fundatæ. pag. 126
Eginhardus Cancellarius Caroli *Magni*. 268
Epiſcopi non poſſunt ab hominibus judicari. 177
Epiſtola S. Chryſoſtomi ad Cæſarium num ſubdititia. 213
Euchariſtiæ Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum primo die Azymorum: 139. Euchariſtia *Myſterium* ab antiquis dicta. 141
Eugenius II. decretum edidit ad arcendas turbas a comitiis pontificalibus. 283
Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus collectionem de Martyribus ſejunctim ab Hiſtoria compoſuit. 119. Ejus Chronico nonnulla adjecit S. Hieronymus, 66. Interfuit Concilio Nicæno OEcumenico I. 183
Ejus laus. 165

F

FErmentato pane Græcos ſemper feciſſe, contendunt Viri doctiſſimi. 139
Fermenti vox in decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. quid ſignificet, non conſtat inter auctores. 136
Feſto Paſchæ agendo diem Dominicum præſtituendi cura Alexandrino Epiſcopo olim demandata. 148. & 159

G

GRæca Eccleſia olim credidit, Chriſtum Dominum uſum eſſe azymo pane ad Euchariſtiam inſtituendam. 133. 147. Primis Chriſti ſæculis pane azymo Euchariſtiam confeciſſe videtur. 139. & ſeqq. Uſque ad ſæculum VII. 140. 155. Quibus Clericis ab ea permittuntur connubia. 192
Græci Codices Sacrarum Scripturarum cujus ſint auctoritatis. 16
Gregorius *Magnus* S. cujus profeſſionis Monachus fuerit. 215. Cur dictus *Dialogus*. 228
Gregorius II. Leonem Iſaurum Orientis Imperatorem anathemate perculit, & Italiæ tributis privavit. 236. & ſeqq.

Gregorius Martyr primus Armeniorum Epiſcopus. 142

H.

HAdrianus I. non dedit Carolo *Magno* jus eligendi Romanum Pontificem, aut *inveſtituras* concedendi Epiſcopis. 267. & ſeqq.
Hadrianus Imperator numquam damnavit Chriſtianos ſine inquiſitione. pag. 117
Hæreticorum baptiſmus non iterandus. 77. 99. Henricus Imperator Schiſmaticus Eccleſiarum *inveſtituras* ſibi adverſus Paſchalem II. vindicabat. 268. & ſeq.
Hieronymus S. verſionem Chronici Euſebii additamentis interpolavit. 66. Ejus regula ad Hiſtoriam pertinens. 7. 255.
Hiſtoria *Paphnutii* falſa. 180
Hiſtoria verax quænam ex Huetio. 169. Hiſtoriæ falſitas quomodo colligatur ex Scriptorum diſſenſu. 39. 213. & 285. Hiſtoriæ Martyrum ignibus datæ. 110. Quæ in Conciliis leguntur, non omnes etiam pro veris approbantur. 172
Hyginus Epiſcopus in Urbe nonus. 48
Hypotypoſeon auctoritas. 9

I.

JAcobus frater Domini Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. 1
Jejunium requiritur ad ſumendam Euchariſtiam. 140
Ignatii Martyris epiſtola ad Mariam Caſſiobolitem ſuppoſita. 48
Ignatius ſecundus aut tertius poſt Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus. 18
Imperator ſedet in Conciliis ut auditor, & decretorum per *ſacras* executor. 177. Non debet ſibi jura Pontificis uſurpare. 236
Iniqui cur æterno ſupplicio deputati. 226. 240
Inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt. 193
Joannes Evangeliſta in oleum ignitum conjectus. 117
Joannes *Jejunator* Epiſcopi *OEcumenici* nomen ſibi arrogat. 157
Joannis *Philoponi* locus favet azymorum conſecrationi. 147.

147. Lapſus eſt in hæreſim Tritheitarum. 159
Irenæus S. Victori I. Pontifici perſuadet, ne Aſianos more Hebræorum Paſcha celebrantes percellat anathemate. 53. Papiæ diſcipulus. 30
Iterandi Baptiſmi auctor primus Agrippinus. 72
Ivo Carnotenſis non eſt auctor *Pannormiæ*, ſeu *Pannomiæ*. 274. Cur vocetur *Pannormia* Ivonis. 275. Quando obierit. ibid.

L

Lactantius quos Imperatores recenſeat in libro *De mortibus perſecutorum*. pag. 108
Langobardorum Regnum in Italia annos 206. duravit. 231
Latini a Græcis per ſubſannationem dicti *Azymitæ*. 129
Launojus confutatus. 76. 84. 99
Legibus Romanis externa quælibet religio vetabatur. 113
Leo III. Carolum *Magnum* conſtituit Imperatorem. 268. Eidem Leoni ab Romanis eruti oculi, & lingua amputata. 269
Leoni VIII. Pontifici Schiſmatico ſuppoſita Conſtitutio. 273. & ſeq.
Leo IX. ſcribit ad Cerularium, & Leonem Acridanum. 128
Leo Iſaurus Orientis Imperator inſurgit contra ſacras imagines. 233. Eas incendit. 240. Apoſtolicæ Sedis Legatos detinet in cuſtodia, & injuriis affectos remittit Romam. 243. Patrimonia Apoſtolorum in publicum conferri jubet. Ibid.
Lepræ *Conſtantinianæ* teſtis gravis & probatus ex veteribus nemo eſt. 171
Linus proximus poſt Petrum Pontifex ſummus. 42. 45
Lotharius II. Epiſcoporum *inveſtituras* ab Innocentio II. extorquere non potuit. 276
Lucas Evangeliſta in Actis Apoſtolorum multa prætermiſit. 6. 37
Ludovicus *Pius* profitetur, & regnandi, & imperandi auctoritatem ſumere initium ex matre omnium Eccleſiarum. 250. Ejus Conſtitutio ad Paſchalem I. vera ac legitima eſt. 279. & ſeqq.

M

MArcus Evangeliſta a Petro Apoſtolo in Ægyptum directus. 19
Martyria vocabantur Eccleſiæ, quæ in honorem aliquorum Martyrum fiebant. 64
Martyres poſt tormenta curabantur, ut ad alios cruciatus eorum membra renovarentur. 113
Martyrum multitudo in primævis Chriſtianorum perſecutionibus. 102. & ſeqq.
Michael Cerularius *Photiani* Schiſmatis renovator. 128
Mos rebaptizandi hæreticos quando in Africa cœperit. pag. 72.
Mos populi, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt. 193
Mulieres quænam permittantur eſſe in una domo cum Clericis. 181
Myſterii nomine antiqui Euchariſtiam nominabant. 141

N

NAtalis Alexander confutatus. 64. 202. & ſeqq. 248. & ſeqq.
Negantia argumenta quanti ſint momenti. 202. 209. 255.
Nero Imperator omnium primus perſecutus eſt Dei ſervos. 105. 115
Nicænum Concilium Oecumenicum I. videtur eſſe *Plenarium* S. Auguſtini. 88. Anno 325. celebratum. 87. Ejus canone 3. Clericis interdicitur etiam uxoris contubernium. 193
Nicon S. omnium primus accuſavit Armenios, quod azymis uterentur. 145
Novatiani Luna ipſa XIV. Paſcha celebrabant. 58. Damnabant ſecundas nuptias. 188

O

OEcumenici nomen ſibi arrogant Patriarchæ Conſtantinopolitani Joannes cognomento *Jejunator*, ejuſque ſucceſſor Cyriacus. 157. Soli Romano Pontifici tribuendum, ſanxit Phocas Imperator. 157

Ora-

Oratio continua eſt continuum deſiderium. 227
Origeniſtæ negabant, æternam fore Dæmonum, & hominum impiorum damnationem. 227

P

Pagius confutatus. 280. & ſeqq.
Panis conſecrandus olim a Chriſtianis offerebatur. 130.
Panvinius confutatus. 21
Paphnutii hiſtoria. 179. Num vera. 180. & ſeqq.
Papias Joannis auditor. 29
Patriarchæ quatuor ab anno 553. uſque ad finem ſæculi Conſtantinopolitanam ſedem tenuerunt. 156
Paulianiſtæ non baptizabant in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. pag. 88
Perſecutores Chriſtianorum præcipui. 105. & ſeqq.
Petrus Apoſtolus reprehenſus a D. Paulo. 1. 2. Peccavit *venialiter* tantum. 13. 14. Primus in Apoſtolatus culmine, primus & in humilitate. 7. Primus Epiſcopus Eccleſiæ Antiochenæ. 6. Non ſimulate, ſed ex animo reprehenſus a D. Paulo. 7. Quando reprehenſus. 12. Cur. 13. Cur coram omnibus. 14. Triplici nomine appellatus. 15. Cur Antiochiæ potius, quam alibi ſedem poſuerit. 17. Quando Antiochenam Eccleſiam fundaverit. 19. Quamdiu ibi ſederit. Ibid. & 20. Non fuit primum Romæ, deinde Antiochiæ. 21. Romæ ſedit annis XXV. Ibid. Romam deſignavit nomine *Babylonis*. 28. 29. 32. 34. Quis primus docuerit, D. Petrum neque Epiſcopum Romanum fuiſſe, neque Romam veniſſe. 28. Primus Romanis doctrinam Evangelicam præbuit. 36. Quando Romam venerit. 39. Ejus ſucceſſor proximus quinam. 41. Cruci affixus. 115
Philoſophi, & Dialectici laici in Concilium Nicænum Oecumenicum I. admiſſi. 177
Phocas Imperator cavit, ne ulli Epiſcopo, niſi Romano, nomen *Oecumenici* tribueretur. 157
Photius credidit, Latinos uti azymis exemplo Chriſti. 133. Ejus hæreſis damnata in Concilio Sirmienſi. 173
Plenarium S. Auguſtini Concilium. 88
Plinius quid ſcripſerit ad Trajanum de Chriſtianis. 114

Po-

Populi non tenentur obtemperare Principi ab communione Fidelium ſegregato. 240
Principibus quamdiu obtemperandum ſit. 244
Proſelyti apud Judæos quinam. 26

Q

QUartadecimani Paſcha cum Judæis die quarta decima celebrabant. 58

R

REgibus, Principibus, & Magiſtratibus quamdiu obtemperandum ſit. 244
Regula D. Hieronymi ad Hiſtoriam. 7. & 255. Baronii. 137. Huetii. 169
Romana in Eccleſia neque Epiſcopum, neque alium prædicaſſe, falſo ſcripſit Sozomenus. 190
Revelationibus etſi approbatis non poteſt adhiberi aſſenſus Fidei Catholicæ, ſed humanæ tantum. pag. 231
Romanorum Pontificum ſucceſſionem numquam intermiſſam agnoſcit D. Auguſtinus. 32

S

SAcerdotum vitia cur non ſint populo aperienda. 178
Sacræ quid. 177
Scripturæ ſacræ & divinæ igni traditæ. 110
Scholaſticorum de azymo, & fermentato opinio improbatur. 137
Sigebertus confutatus. 267. & ſeqq.
Siſinnius Novatianorum Epiſcopus. 58
Socrates Novatianus, & Novatianorum fautor. 58. & In dogmatibus non fuit valde accuratus. 58. 183. 185. & 189.
Sozomeni auctoritas imminuitur. 183. 190
Spectacula Chriſtianis vetita. 69
Stephanus I. S. anathematis metum duntaxat objecit Cypriano, & Firmiliano hæreticos rebaptizantibus. 74. Sanxit, *nihil novandum*, *niſi quod traditum eſt*. 76. Non admiſit hæreticorum baptiſmum quemcumque. ibid. Ad eum de baptiſmo ſcripſit Dionyſius Alexandrinus.

nus. 77. Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſuit. 75. 80
Stephanus II. ratam habuit translationem Regni Francorum a Childerico III. ad Pippinum factam Zachariæ auctoritate. 262
Stylus haud certe indicat Scriptorem, cum idem non ſit in omnibus Operibus. 210. & 211
Subdiaconatus ſacris Ordinibus non annumeratur apud Græcos. 194. Ei cælibatus ab S. Gregorio adnexus. Ibid.
Symbolum, *Quicumque*, adjudicatur S. Athanaſio. 196. & ſeqq. Quo nomine olim ſolebat vocari. 208. Quid de eo ſenſerit Joſephus Maria Thomaſius. Ibid.
Syncellus quis. 233
Synodus *Trullana*, ſeu *Quiniſexta* anno 692. celebrata. 144.

T

Tertullianus qua occaſione ſcripſerit librum *De ſpectaculis*, & *De Idololatria*. pag. 69
Theodoſius quid juſſerit circa religionem. 126
Thomæ Aquinatis ſententia de liberatione Trajani ab inferis. 230
Toletani XVI. Concilii canon explicatus. 132
Traditionum Apoſtolicarum duo genera. 124. Cujuſmodi ſint. Ibid. Traditio azymi conſecrandi in quo genere collocanda. Ibid.
Trajani perſecutio quam gravis. 106. Liberatio a gehenna precibus S. Gregorii fabuloſa. 223. & ſeqq.
Tripartitæ Caſſiodori hiſtoriæ auctoritas. 190

V

Victor Pontifex ſe primus oppoſuit Aſianis Paſcha celebrantibus more Judæorum. 51. Anathema eiſdem interminatus eſt. 54
Vitia ſacerdotum non ſunt populo aperienda. 177

Z

ZAchariæ I. Pontificis auctoritate Regnum Francorum a Childerico III. ad Pippinum translatum eſt. 247. & ſeqq.

Zoſimus Cilix primus Epiſcopus Babylonis in Ægypto. 33.

F I N I S.

IN Supplementis ad Nova Acta Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, anno 1737. editis, tom. 2. ſect. 4. & 12. Collector recenſens Hiſtoriam Apoſtolicam, & Familiæ Sacræ editam Patavii quaſdam adhibet calumnias, a quibus me nactus occaſionem defendo.

Collector pag. 184.: *Symbolum ab Apoſtolis compoſitum eſſe credit, nec repugnat, quin ſinguli ſingulos articulos Symboli pronuntiarint, auctoritate innixus* Baronii *in Annalibus*.

R. Non ego repugno *auctoritate innixus* Baronii *Pag. 20[illegible]*
in Annalibus; ſed quia *video, id placuiſſe viris magnis, commotis præſertim auctoritate* Leonis *in epiſtola* 27. alias 13. *ad Pulcheriam Auguſtam*, cujus epiſtolæ verba juvat hoc loco iterare. Sunt igitur hæc: *Ipſius Catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis*,

Collector p. 548.: *Uti ſe, ait, ſæpiſſime in narrando verbis ipſis hominum veterum, ac Patrum graviſſimorum, quod horum ſermo plus habeat auctoritatis & gravitatis, ſeque iis ipſis in locis cæcutire fatetur, in quibus alios parum eſſe arbitretur perſpicaces*.

R. Lege ſine perverſitate ipſiſſima verba, quæ *In Præfat. ad Lect.*
ſcripſi: *Si quando ab recentioribus magnæ eruditionis ac famæ viris diſſentio, tunc verum invenire contendo, non tamquam adverſarium aliquem convincere. Non reſpondet ad ſpem eventus, & iis ipſis in locis cæcutio, in quibus alios parum eſſe arbitror perſpicaces? & opto redargui me, & cupio refelli*. Nimirum me errantem, dum alios eſſe devios exiſtimo, in viam reduci deſidero, & peccantem in iis, in quibus alios peccaſſe; reor, corrigi at-

que

que emendari exopto. Namque *Homo ſum: humani nihil a me alienum puto*. (1) Adhuc ne horum verborum ſenſum aſſequeris?

Collector pag. 549.: *Oracula defeciſſe ex teſtimonio* Plutarchi *in libello* De oraculorum defectu *commemorat*. Baronium *dicit*, *qui alioqui ſatis credulus ſit*, *aſſenſum ſuum in hac quæſtione ſuſpendere*.

R. *Non eſt ita*, *ut loqueris*, *quicumque iſta dixiſti*, *non eſt ita*: *multum falleris*, *aut fallere meditaris*. (2) Nullo enim modo agens de Oraculorum defectu poſt Chriſtum natum dico, Baronium in hac quæſtione aſſenſum ſuſpendere. Sume librum, & quæ ſcripſi attentis oculis & animo percurre, & veritas conſideranti facile apparebit. Quæ ut omnibus ſtatim appareat, en interrogationem ipſam, & reſponſionem meam.

pag. 15. *Chriſto nato*, *defeceruntne ſtatim Ethnicorum Oracula?*

Bar. in Appar. §. 25. R. Ajunt nonnulli, atque ad id confirmandum dicunt, Auguſtum, cum ad Apollinis Delphici templum veniſſet ſciſcitandi cauſſa, ad quem ſe mortuo Imperium Romanum eſſet venturum, hoc vix demum tuliſſe reſponſum:

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, *triſtemque redire ſub orcum*;
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Ob id Imperatorem Romam reverſum Aram in Capitolio poſuiſſe cum titulo hoc: *Ara Primogeniti Dei*. Verum minime ſequendi ſunt, qui talia narrant. Etenim ex Plutarcho, qui edidit libros duos *De Oraculorum defectu*, perſpicuum eſt, Apol-

(1) Terentius Heauton Timorumenos Act. I. Scen. 1. Ver. 25.

(2) S. Auguſtinus lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 74.

Apollinem Delphicum etiam poſt Chriſti nativitatem reſponſa conſultoribus dediſſe , etſi minore , quam antea , celebritate , neque carminibus , ut antea , ſed proſa , ſolutaque oratione . Certe quidem Nero , ut eſt apud Svetonium in ejus vita cap. 40. *conſulto Delphis Apolline , ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi audivit .* Ubinam , quæſo , iſta ſcribens , Baronium dico ſe in hac quæſtione ab omni aſſenſu ſuſtinuiſſe ?

Collector pag. 549. & 550. : Joſephum *fabrum fuiſſe , & quidem lignarium , credit , reclamantibus licet* Juſtino Martyre , Hilario , *aliiſque . Locus ille , quem* Sandini *ex* Juſtini *Dialogo adducit , in verſione Latina quidem habet* : cum Jeſus fabri lignarii filius haberetur &c. : ſed in textu Græco non habetur alia vox , niſi τέκτων , *quæ & fabrum ferrarium ſignificat , & fabrum lignarium .*

R. Pro me dicis incautus . Nam ſi vox τέκτων , *& fabrum ferrarium ſignificat , & fabrum lignarium* , mihi licuit utramlibet ſignificationem eligere . Quamquam S. Juſtinus eo ſenſu vocem illam uſurpat , ut ſignificet , Joſephum fuiſſe fabrum lignarium . Addit enim e veſtigio rationem hanc : *Fabrilia namque , cum in hominibus eſſet , faciebat opera , aratra & juga conficiens* , quæ utique conficiuntur ex ligno . Id quod animadvertiſſes , ſi locum integrum S. Juſtini vel Græcum , vel Latinum a me allatum paullo attentius legiſſes . *Pag.399.*

Collector pag. 550. : *Joſephum putat , cum* Mariam *duceret uxorem , octogeſimum atque eo amplius annum attigiſſe , teſte* Epiphanio *Hæres* . LXXVIII. §. 8.

R. Quod vis , dicis , non quod ego dico . Sunt enim hæc verba mea pag. 401. : S. Epiphanius hær. 78. §. 8. refert , Joſephum , cum *Mariam duxit , octogeſimum atque eo amplius annum atti-* *Tom. 7. Hiſt. Eſ.*

giſ-

zantine pag. 148. *edit. Venetæ. In* 3. *part. D. Thomæ tom.* 2. *diſput.* 7. *ſect.* 3.

giſſe . Epiphanii veſtigiis inſiſtunt Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum , & Nicephorus lib. 1. cap. 7. Baronius vero ad an. Ch. 12. §. 9. potius, quam Epiphanio, iis conſentit , *qui illum tunc maturioris fuiſſe ætatis dicunt*. Nec immerito. *Primo quia decuit*, quemadmodum diſputat Franciſcus Suarez, *ut in matrimonio illo ſervaretur ea proportio inter virum & uxorem, quæ communi uſu & conſuetudine ſervari ſolet. Secundo quia oportuit, ut Joſeph eſſet in ætate ad generandum idonea, quia alias non poſſet ſub illius umbra fama & exiſtimatio Virginis illæſa ſervari. Tertio oportuit, ipſum eſſe viribus valentiorem, ut poſſet tot peregrinationes ſuſtinere, & ad familiam ſuam alendam & ſuſtentandam laborare. Quarto etiam Scriptura nonnihil favet. Nam Lucæ I. dicitur* Angelus miſſus ad Virginem deſponſatam viro, *non ſeni*, & *cap* 3. ut putabatur filius Joſeph. *Profecto ſi ille octogenarius fuiſſet, vel non tam facile hæc fama percrebuiſſet, aut certe Virgo in ſuſpicionem aliquam veniſſet. Unde Iſaiæ 62. de tempore adventus Meſſiæ dicitur*, habitabit juvenis cum Virgine, *quod non incommode ad hoc myſterium applicant Gloſſa Ordinaria, & Nicolaus Lyra. Certum ergo videtur, Joſeph non fuiſſe ſenem: qua vero ætate fuerit, juvenis ne, an vir triginta quadragintave annorum, definiri non poteſt, cum ex hiſtoriis nihil habeamus.*

An non vides, me Baronii, & Suarezii ſententiam probantem non iviſſe in ſententiam Epiphanii, quod hic affirmet, illi negent, Joſephum *fuiſſe octogenarium*, cum Mariam duceret in matrimonium? Itaque *redde verba mea*, & *vaneſcet calumnia tua*. (3)

(3) S. Auguſtinus lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 3. & 47.

F I N I S.

2019773

Digitized by Google